LVISII
TVRRIANI
COMPLVTENSIS
E SOCIETATE IESV IN EIVSDEM COMPLVTENSI COLLEGIO OLIM

Primariæ Theologiæ Professoris, & supremi Senatus Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris ex munere,

Tractatus de Censuris, & Irregularitate.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET EXCELLENTISSIMVM Dominum D. Didacum Messia de Guzman, Marchionem de Leganes, Hippostrategum Belgicum, Philippi Quarti Hispaniarum Regis Cubicularium, & ab eius Consilijs Togæ, seu Status, & Belli, &c.

Cum exacta errorum recognitione.

Anno  1628.

CVM PRIVILEGIO

Matriti apud viduam Ludouici Sanchez, Regni Typographam.

LVISII

TVRRIANI

COMPLVTENSIS

E SOCIETATE IESV IN EIVSDEM COMPLVTENSI COLLEGIO OLIM Primariae Theologiae Professoris, & supremi Senatus Sanctae Inquisitionis Qualificatoris ex munere,

Tractatus de Censibus, & Irregularitate.

AD ILLVSTRISSIMVM ET EXCELLENTISSIMVM Dominum D. Didacum Messia de Guzman, Marchionem de Leganes, Hippostrategum Belgicarum, Philippi Quarti Hispaniarum Regis Cubicularium & à eius Consilijs Togae seu Status, & Belli, &c.

Cum exacta errorum recognitione.



Anno 1628.

CVM PRIVILEGIO.

Matriti apud viduam Ludouici Sanchez, Regni Typographum.

ILLVSTRISSIMO,

ET EXCELLENTISSIMO D.D. Didaco Mesia de Guzman, Marchioni de Leganes, Hippostratego Belgico, Philippi Quarti Hispaniarum Regis Cubiculario, & ab eius Consiliis Togæ, seu Status, & Belli, &c.

NON Possunt exigua esse grati animi onera, cùm magna sunt beneficia. Hæc parem exigunt gratiam in mente æstimationis, in affectu amoris exhibentis effectum in manibus; tametsi non semper ita felices, & valida sint, vt satient ambitiosa officij sui vota, exequanturque quantum amor est molitus.

Atqui in gratificatione maximus quæstus est: relatio enim gratiæ & solutio est, & simul exactio, nimirum solutio solutionem exigens. Propterea dixit aliquando sanctus Thomas, inter beneficia & gratiam nonnihil infinitatis affectari: gratia enim ex prosapia est amoris, oppignoratur amando, obstringitur soluẽdo, ex officijs debet. Quòd si interminabilis gratia est, retaliatio quidem beneficiorum in cumulum se excedentium, & procedentium sine modo, sine lege, sine fine erit.

Quotus quisque, Excellentissime Princeps, ignorat quibus beneficijs V. Celsitudo, & V. Celsitudinis Maiores illustrissimi Societatem nostram obstrinxere, solicitam quidem, vt par est, sua ipsa agnoscendi vincula, quæ in me arctissima sunt, cumulo beneficiorum, quibus me V. Celsitudo ornauit, ac iucundè onerauit. Et quamuis exactam & æqualẽ gratiam, ne dicam referre, sed habere nequeam, indicia nonnulla nũc exhibere cupidus, quæ præ manibus habeo, offero Vestræ Celsitudini hæc Opuscula de Censuris Ecclesiasticis, aptum quidem argumentum, & materia idonea confessarij, scilicet pro munere meo apud V. Celsitudinem. Scio me vndique debitis obstrictum, quibus minores sunt vires: vnicum restat solatium, quòd maiora sint viribus vota, quòd captabo, quòd vouebo opportunitates exhibendi animi testes gratitudinis meæ vbique locorum, rerum, temporum, quibus nunquam muneris mei obliuiscar. Orabo semper pro votis fortunet meis suis Deus gratijs V. Celsitudinem, cuius perpetuus Cappellanus ero.

Luisius Turrianus.

EL REY.

POR Quanto por parte de vos Luis de Torres, Religioso de la Compañia de Iesus, nos fue hecha relacion auiades compuesto vn libro intitulado de Censuris, en el qual auiades puesto mucho estudio y trabajo, y por ser muy vtil y prouechoso nos pedistes y suplicastes, os mādassemos dar licēcia para le poder imprimir, y priuilegio por diez años, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias, que la prematica por nos vltimamente fecha sobre la impression de los libros dispone, fue acordado, que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon, e nos tuuimoslo por biē. Por la qual os damos licencia y facultad, para que por tiempo de diez años primeros siguientes, q̄ corran, y se cuenten desde el dia de la fecha desta nuestra cedula en adelante, vos, o la persona que vuestro poder ouiere, y no otra alguna, podais imprimir y vender el dicho libro, que de suso va fecha mencion, por su original, que en el nuestro Consejo se vio, que va rubricado, y firmado al fin de Diego Gonçalez de Villarroel nuestro escriuano de Camara, de los que en el residen: con que antes que se venda, lo traigais ante ellos juntamente con el dicho original, para q̄ se vea si la dicha impression està conforme a el, o traigais fè en publica forma, como por Corretor por nos nōbrado se vio, y corrigio la dicha impression por el dicho original. Y mandamos al impressor que assi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio y primer pliego, ni entregue mas de solo vn libro con su original al autor, o persona, a cuya costa lo imprimiere para efeto de la dicha correccion y tassa, hasta que antes y primero el dicho libro estè corregido y tassado por los del nuestro Consejo, y estando hecho, y no de otra manera, podais imprimir el dicho principio y primer pliego, y seguidamente se ponga esta nuestra cedula, y la aprouacion, que del dicho libro se hizo por nuestro mandado, y la tassa y erratas, sopena de caer, e incurrir en las penas contenidas en las leyes y prematicas de nuestros Reynos, que sobre ello disponen. Y mandamos, que durante el tiempo de los dichos diez años, persona alguna sin la dicha nuestra licencia no pueda imprimir ni vender el dicho libro, so pena que el que imprimiere, o vendiere, aya perdido, y pierda todos y qualesquier libros, moldes, y aparejos que del dicho libro tuuiere; y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis, la tercera parte para la nuestra Camara, y la otra tercera parte para el juez que lo sentenciare, y la otra tercera parte para la persona que lo denunciare. Y mandamos a los del nuestro Consejo, Presidēte y Oidores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nuestra casa y Corte, y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Assistente, Gouernadores, Alcaldes mayores, y ordinarios, y otros juezes y justicias qualesquier de todas las ciudades, villas y lugares de los nuestros Reynos y Señorios, y a cada vno en su jurisdicion, que vos guarden y cumplan esta nuestra cedula, y contra ella no vayan, ni passen, ni consientan ir ni passar en manera alguna, sopena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra Camara. Fecha en Madrid a onze dias del mes de Agosto de mil y seisciētos y ventisiete años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro señor.

Don Sebastian de Contreras.

FA-

Facultas Prouincialis.

EGO Ludouicus de la Palma Præpositus Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Toletana, potestate ad id mihi facta a Reuer. admodum Patre nostro Mutio Vitelleschi Præposito Generali, facultatem facio, vt tractatus de Censuris, Authore Patre Ludouico Turriano nostræ Societatis Theologo Complutensi, & eiusdem Societatis grauium doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Matriti in nostro Imperiali Collegio die septima Februarij, anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo.

Ludouicus de la Palma
Prouincialis.

Facultas Ordinarij.

NOS D.D. Ioannes de Mendieta Cappellanus Domini nostri Catholici Regis Hispaniarum, & Ordinarius Inquisitor, Vicarius Generalis, & officiali in Curia eiusdem Regis à Serenissimo Domino Domino meo Infante Ferdinando Cardinale Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & perpetuo Administratore huius Archiepiscopatus Toletani, &c. in eo quod ad nostrū officiū pertinet, concedimus facultatē, vt typis mādetur liber titulatus tractatus de Cēsuris à Patre Ludouico de Torres Societatis Iesu olim in Cōplutensi Collegio Primario Theologiæ Cathedræ Moderatore: (dū priùs adsit etiam licentia à Supremo Consilio Catholicæ Maiestatis) nostro enim ordine & mandato visus & approbatus fuit; nihil contra fidem, & bonos mores continet, imò vtilis, & necessarius erit. Datis Matiti anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, secunda die mensis Nouembris.

Doctor Ioannes de Mendieta
Vicarius.

Por su mandado
Simon Ximenez.

APPROBATIO R.P.M. FRATR. IOANNIS de Sancto Augustino Regij Concionatoris, & Supremi Senatus Sanctæ & Generalis Inquisitionis Qualificatoris.

TRactatum de Censuris à R.P. Luisio Turriano Complutensi è Societate Iesu conscriptum, nouemq; libris comprehensum perlegi, idque de mandato Supremi Senatus Regij: in eo verò præter omnimodam cum doctrina Catholicæ Fidei conformitatem, eruditionem quoque tam pro Theologis, quàm pro Iurisperitis non mediocrem agnoui. Quapropter vt typis mandatum hoc opus in lucē prodeat, perutile Ecclesię censeo. Matriti in Collegio D.P. Augustini, Maij 14. 1627.

Fr. Ioannes de Sancto Augustino.

AP-

APPROBATIO D. D. ANTONII DE Robles Terrones almæ Toletanæ Ecclesiæ Canonici.

HOsce de Censuris tractatus ab eruditissimo P. Ludouico de Torres Societatis Iesu in Complutensi Collegio primario Theologiæ Cathedræ moderatore sedulà diligētia recensui. Et nihil inueni non pulchrum atque præclarum, imò omnia redolent Sacrorum Pontificum decreta, sanam doctrinam, & miram, atque admirabilem eruditionem: & vt ingenuè dicā quod sentio, quæcumque hactenus à peritissimis scriptoribus tam Iuris Canonici, quàm Sacræ Theologiæ prælo mandata sunt, illustri admodum methodo, & elegantia cum vberrimis & copiosissimis proprij ingenij fructibus breui cōpendio digeruntur. Quapropter haud dubito quin meritò euulgata luce donentur. Matriti in Collegio Regali S. Elisabeth 14. Octobris 1626.

Doct. Dominus Antonius de Robles Terrones.

Errorum cognitio.

Prior numerus folium significat, secundus columnam, tertius versum.

Fol. 1. 1. 23. corruis lege coruis, 2. 2 36 indicatiuæ, l. iudicatiuæ, 2 4 44. nos, l. vos, 4. 1. 50. ter. l. te, ibidem 4 28. antequam, l. preterquam, quod. 5. 1. 43. quando, l. quæ. 6. 4 3. peccato, l. censura, fol 7. col. 2. el §. 4. ha de estar primero que el tercero, y donde dize prima pars, ha de dezir secunda, y donde dize secunda, leg. prima. fol. 11. 4 51. homicidium, l. homicidam. 28 3 44. in particulari, l. in participantes. 64. 2. 38. suspensis, l. suspensionis

Liber hic de Censuris à Patre Ludouico de Torres Societatis Iesu cōscriptus demptis his mendis suo exemplari respondet. Dat. Matriti die 8. Septembris an. 1628.

Lic. Murcia de la Llana.

TASSA.

YO Diego Gonçalez de Villarroel, Escriuano de Camara del Rey nuestro señor de los que en su Cōsejo residen, doy fè que auiendose visto por los señores del vn libro intitulado de Pœnitentia, & Censuri, en dos tomos, compuesto por el Padre Luis de Torres de la Compañia de Iesus, que con licencia de los dichos Señores fue impresso, tassaron cada pliego de los del dicho libro a quatro marauedis, y a este precio y no a mas mandaron se venda, y que esta tassa se ponga al principio de cada vn libro de los que ansi se imprimiere. Y para que dello conste, de mādamiento de los dichos Señores del Cōsejo, y de pedimiento del dicho Luis de Torres, doy esta fè en Madrid a treinta y vno Otubre de mil y seiscientos y veinte y ocho años.

Diego Gonçalez de Villarroel.

Licen-

LECTORI.

ECCE Iam desiderio multorum satisfacio, qui sæpe à me postularunt, vt materiam de Censuris, & Irregularitate, quam olim tradidi, mandarem typis, vtilem Iurisperitis, & Theologis: pro qua explicanda, neque interminata volumina, neque vile compendium effeci, vtrumq; inutile ratus: nam & compendium sæpe nihil offert doctis, & diffusa nimis disputatio sæpe fastidium generat, vt vix possit homo in eius lectione perseuerare. Accipe igitur, Lector, Disputationes hasce simul & Authoris animum, Vale.

Author.

Pro-

TRACTATVS DE CENSVRIS.

PLACET (Deo adiuuante) de Censuris dispu tare, de quibus multi Doctores Theologi & Iurisperiti disputarunt; & quidem Theologi eruditionē à Iurisperitis desumpserūt; Iurisperiti verò aliqui à Theologis rationū efficacitatē: Doctores verò referemus in principio disputationis cuiuslibet cēsurę specialis: cùm verò sanctus Thomas de hac materia non disputauerit in Summa Theologiæ, ordinem peculiarem sequemur, totumque opus certis quibusdam libris cōplectemur: in primo, de Censuris in genere: in secundo, de excōmunicatione in communi: in tertio, de excōmunicatione in specie: excōmunicationes, quæ habentur in Iure, explicabimus, & in fine eas, quæ habentur in Concilio Tridentino: in quarto, de suspensione in cōmuni: in quinto, de suspensione in specie: in sexto, de interdicto in communi: in septimo de interdicto in specie, & cessatione à diuinis: in octauo de irregularitate in cōmuni; libro vltimo de irregularitate in specie.



TRACTATVS DE CENSVRIS LIBER PRIMVS.

DISPVTATIO PRIMA
De Censuris Ecclesiasticis in communi.



NTE Quàm disputemus de censuris in specie, nempe de excommunicatione, & aliis, opus est nonnulla dicere de censura in genere.

De qua materia non pauca docuerunt Authores agentes de excõmunicatione alij verò in Procemialibus ante tractatũ de excommunicatione.

DVBIVM PRIMVM.
An sit in Ecclesia potestas ferendi censuram.

ANte omnia ponendum est, nomen Censuræ varias habere significationes, significat enim censoris dignitatem: fuit autem Cẽsor, qui de moribus ciuium Romanorum inquirebat, & sententiam ferebat. Ex hoc verò significatu deriuata est alia significatio, vt hoc nomen significat sententiam, & correctionem ipsam. Vnde Iuuenalis Satyra prima,

Dat veniam coruis, vexat censura columbis.

Item vsu scholasticorum, sumitur censura pro iudicio graui, qua opinio iudicatur aliqua, verbi gratia, cùm opinio est erronea, vel hæretica: & de hoc significatu agitur in materia de Fide, iuxta dictat significat etiam omnem sententiam, vel pœnam Ecclesiasticam, qua aliquis punitur. Sed hæc significatio minùs generalis est.

In hac verò materia peculiari sensu sumitur censura pro peculiari pena Ecclesiastica, qua fideles puniuntur bonis spiritualibus: de qua primò quærimus, an sit in Ecclesia hæc potestas: & hæretici putant non esse in Ecclesia potestatem ad puniendos fideles bonis spiritualibus. Ita sensisse Lutherum, refert P. Vazquez tomo 4. in 3. parte titulo de excommunicatione dubio 1. De his erroribus legatur Caietan. opusculo 27. quæst. q. 23. Sotus 4. distin. 22. quæst. 2. art. 1. Petrus Soto sectione 2. doctissimus Castro contra hæreses, verbo excommunicatio. Duran. lib. 4. de dignitatibus Ecclesiasticis 1 2. parte 2. P. Suarez tomo 5. in 3. parte disp. 1. P. Vazquez loco allegato, Pater Auila tractatu de censuris parte 1. dubio 2. qui aliud putant, & P. Valentia 3. parte d. 7. quæst. 17. puncto 1. *Vazquez.* *Suarez.* *Auila.* *Vazquez.* *Valentia.*

De fide autem est, hanc potestatem esse in Ecclesia. Et deducitur primò ex per-

perpetno vſu, & fruitione Eccleſiæ: quæ ſatis conſtat. Secundò ex Concilijs, quæ prædictam pœnam ſæpe impoſuerunt, & Vbiclephus damnatus eſt in Cõcilio Cõſtantienſi ſeſsione 8. & 19. & in Bulla Martini Quinti.

Item probari poteſt ex Scriptura Matthæi decimooctauo, Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. Ex quo deducitur hæc poteſtas iuxta communem ſenſum Patrum. Rurſus ex illo 1. Corinth. 5. Tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus eius ſaluus fiat, & 1. ad Timotheum 1. in fine. Tradidi huiuſmodi hominem Sathanæ, vt diſcat non blaſphemare. Circa quæ loca legantur Chryſoſtomus, Theophylact. Oecumenius, Pſeudo-Ambroſius, & Pſeudo-Anſelmus, S. Thom. & alij, quos annotauit P. Vazquez ſupra, & plura ex Patribus addunt P. Suarez, & P. Valentia locis allegatis, & certe valde fuit conueniens, vt Chriſtus ſuæ Eccleſiæ hanc poteſtatem relinqueret: conſtat ex dictis, vſum ferendi cenſuras antiquum eſſe in Eccleſia, & in ſpecie docuit P. Auila ſupra dubio 3.

Suarez. Valentia. Auila.

DVBIVM II.

Quid ſit, & quotuplex cenſura.

QVæſtio eſt de cenſura, prout in hac materia ſumitur à Doctoribus.

Aliqui ſolùm dixerunt generatim eſſe pœnam, qua quis punitur aliquibus bonis ſpiritualibus: ſed hoc abſolutè non eſt verum, quia multæ ſunt pœnæ ſpirituales, quæ (vt infra dicemus) non ſunt cenſuræ ſecundum peculiarem iuris ſignificationem, vt ex dicendis conſtabit.

Suarez.

P. Suarez diſput. 1. ſectione 1. ſic diffinit cenſuram: Cenſura eſt pœna ſpiritualis, & medicinalis priuans vſu aliquorum bonorum ſpiritualium per poteſtatem Eccleſiæ impoſitam, vt per eamdem ordinariè tolli poſsit. Et docet cenſuram per ſpiritualem pœnam tanquam per genus definiri, quia non omnis pœna ſpiritualis eſt cenſura, vt nunc loquimur; & tamen omnis cenſura eſt pœna ſpiritualis. Dicitur verò pœna, quia imponitur propter culpam; & ſpiritualis, quia priuat ſpirituali aliquo bono. Et ita facilè intelligitur, ſi eſt pœna ſpiritualis, non conſiſtere in inflictione mali ſpiritualis. Hoc enim non bene intelligitur quid ſit; & tamẽ facilè cognoſcitur, quo priuet bono: & ita in priuatione conſiſtit. Addit intelligendum eſſe priuare bono ſpirituali, etiamſi ex cõſequenti priuet bono temporali externo, vt ex dicendis de cenſuris in ſpecie intelligetur. Addit nõ priuare omnibus bonis ſpiritualibus: quod etiam conſtabit ex dicendis de natura & effectu cuiuslibet cenſuræ.

Item docet ex dictis intelligi, hanc cenſuram requirere ſpiritualem poteſtatem, à qua etiam tolli poſsit ſecundum eumdem vſum Eccleſiæ.

Sed manet adhuc difficultas, quòd iuxta doctrinam hanc non videntur eſſe tres tantùm cenſuræ Eccleſiaſticæ, quia videntur plures eſſe ſententiæ cum prædictis conditionibus. Et vt rẽ explicemus, priùs mihi videtur explicandum quotuplex ſit cenſura.

Prima ſententia eſt Soti diſt. 22. quęſt. 3 articulo 1 qui docuit cenſuras eſſe quinque, Excommunicationem, ſuſpẽſionem, interdictum, ceſſationem à diuinis, & irregularitatem, quæ oritur ex delicto: & idem ſequitur Corduba libro 1. quæſtionum, quęſtione 43 dubio 1. & poteſt probari, diffinitio ſupra tradita de cenſura videtur his omnibus conuenire, quia ſunt priuationes aliquorum bonorum ſpiritualium per Eccleſiam.

Secunda ſententia eſt aſſerentium cenſuras eſſe ſeptem: nam præter quinque relatas addunt depoſitionem, & degradationem ob dictam rationem.

Tertia eſt aliquorum recentiorum, qui dixerũt hanc quęſtionem eſſe de nomine, & non de re.

Communis tamen ſententia eſt, tres tantùm eſſe cenſuras, excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum. Ita ſentiunt Iuriſperiti in caput, quærenti, de verborum ſignificatione, & Pater Suarez diſput. 1. ſectione 3. P. Auila parte 1. dubio 5. Pater Henriquez de excommunicatione, capite 2. qui plures alios citauit. Et probatur ex capite, quærenti, vbi de hoc dubio interrogatus Pontifex reſpondet, nomine cenſuræ intelligi excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum, ex qua diffinitione cõſtat primò has tres eſſe cẽſuras, de quo nullus

Suarez. Auila. Enriquez.

poteſt

potest dubitare. Secundò esse diuersas, vt constabit ex dicendis de natura illarum. Tertiò videtur colligi has tres tantùm esse censuras, quia aliàs non rectè satisfecisset Pontifex dubio proposito, & magnum posset esse inconueniens, quia vera intelligentia huius dubij valde necessaria est ad cognoscendum quid conceditur, quando conceditur facultas ferendi censuras, & auferendi illas.

Sed respondent aliqui, Pontificem numerasse eas tres species censuræ, sed non negasse alias. Sed hæc responsio non admittenda est propter dictam rationem: tum etiam, quia, vt monere soleo, quando quæstio est de numero rerum aliquarum assignando, per numerum assignatum à respondente negari intelligitur maior aliquis: nam aliàs non esset satisfaciens quæstioni, & ideo ex citato capite non sumitur argumentum à sola authoritate negatiua, vt aiunt. Sed contendimus ibi aliquid includi assertionis, & hæc sententia eligenda, & defendenda est tanquam verissima.

Solùm restat difficultas in reddenda ratione, ob quam aliæ pœnæ Ecclesiasticæ non sint censuræ, cùm tamen sint pœnæ Ecclesiasticæ, & priuent aliquo spirituali. Authores enim aliqui distinguunt istas à censuris per aliqua accidentia, quæ reuera habent; sed non probant illa non conuenire censuræ in communi sumptæ, & ideo alij, vt videmus, concedunt plures esse censuras quàm tres.

Sed vt rem explicemus, sciendum est posse esse quæstionem in præsenti, vel quasi metaphysicam de numero censuræ, vt significat pœnam Ecclesiasticam generatim; vel de numero censuræ, vt dicit peculiarem censuram, cui ex vsu, & institutione Ecclesiæ aliqui effectus, vel accidentia sunt annexa, quæ duo valde diuersa sunt. Neque est quæstio solùm de nomine, si peculiaribus pœnis peculiaria sunt annexa, vt dicemus: quamuis hoc proueniat ex institutione Ecclesiæ.

Priori ergo modo non est dubium, quin sint plures quàm tres pœnæ Ecclesiasticæ spirituales, vt constat: neque hoc sensu loquutus est Pontifex, capite, quærenti, de verborum significatione.

Secundò tamen sensu affirmandum est tres tantùm esse censuras relatas à Pontifice capite allegato, quæ secundum iuris dispositionem intelliguntur nomine censuræ ex institutione Ecclesiæ. Ex quo fit, vt in facultate absoluendi à censuris solùm intelligatur facultas absoluendi ab excommunicatione, suspensione, & interdicto: quod in praxi obseruandum semper est: & quòd nomine absolutionis à censura non comprehendatur absolutio ab irregularitate, aliqua dicemus suo loco.

Varios verò effectus censuræ, secundò modo sumptæ explicant aliqui, ex pœnis, quæ ob violationem illarum incurrunt, & non ex alijs. Sed hæc doctrina non potest exactè intelligi, nisi explicata natura trium censurarum, & aliarum, quæ non sunt censuræ. Secundo modo alij assignant discrimen aliquod ex fine, quod nõ sufficit ad designandas tres censuras ab omnibus aliis pœnis spiritualibus, alij ex alijs accidentibus assignant differẽtiam, vt P. Suarez sectione 1. numero 7. vbi reijcit à nomine censuræ depositionem, & degradationẽ, quia istę imponuntur vt perpetuæ pœnæ, non tamen censuræ: quod reducit in institutionẽ Ecclesiæ. Quomodo verò cessatio à diuinis non sit censura, docet disp. 38. sect. 1. De irregularitate verò assignat disp. 40. sect. 1. De degradatione, & depositione. Negatur disput. 30. sectione vltima, vbi eas excludit à ratione censuræ, quia non sunt medicinales pœnę, sed indicatiuæ tantùm. Suarez

Pater Auila, & Pater Henriquez locis citatis aliqua accidentia assignarunt, per quę censuræ propriæ ab aliis pœnis differunt, de quibus suis locis dicemus. In præsenti verò satis sit dicere, tres censuras ex institutione Ecclesię habere, peculiares conditiones, quibus ab aliis pœnis Ecclesiasticis differunt: & dicendum est censuram esse pœnam medicinalem, & ex se non perpetuam, iuxta ea, quę dicemus disp. 57. dub. 2. Henriquez

Ex qua doctrina constat ad argumenta primæ, & secundę opinionis. Tertia verò non est admittenda: constat enim quęstionem non esse de solo nomine.

Deinde ex dictis intelligi potest definitio censurę in communi: est enim pœna spiritualis priuans baptizatũ vsu boni spiri-

spiritualis peculiari modo ex institutione Ecclesiæ: nempe vt medicina ordinata ad correptionem. Huius definitionis particulæ ex doctrina tradita explicandæ sunt.

Deinde solet disputari de sufficientia harum censurarum, id est de ratione, ob quam tres tantùm numerantur: & aliqui varias afferunt rationes; meritò tamen P. Suarez distinct. 1. in fine, hoc refert ad institutionem Ecclesiæ; quamuis enim institutionis conueniens ratio possit assignari, sicut in simili de numero sacramentorum, quæ à Christo sunt instituta, assignantur à Theologis.

DISPVTATIO II.

De eo qui potest ferre censuram, seu de causa efficienti censuræ.

DE Hac materia agitant DD. agentes de eo, qui potest excommunicationis sententiam ferre: & legendus est P. Vazquez tract. de excommunicatione dubio 17. qui plures citat de ead m re disputantes, P. Suarez disp. 2. & 18. & nos dicemus infra disp. 22. *Vazquez.* *Suarez.*

DVBIVM PRIMVM.

An sit aliqua censura de iure diuino.

REferuntur aliqui Iurisperiti, qui ita loquuntur, vt videantur sentire aliquam censuram esse de iure diuino, nempe excommunicationem. Et ex Theologis ita sensit Almainus 4. distin. 18. q. 1. probat, quia Paulus ad Titum tertio, dixit, Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita: ergo hæreticus iure diuino est excommunicatus. Pro qua opinione alios citat P. Suarez disp. allegata sect. 1. num. 7. *Suarez.*

Communis tamen sententia est nullam censuram esse de iure diuino. Ita Sotus 4. distin 22 quæstione 1. articulo 1. Pater Valentia 3. parte disp. 7. quæstione 17. puncto 1. in fine, P. Suarez disp. 2. sect. 1. Pater Vazquez de excommunicatione dubio 1. & alij. Et hæc est vera sententia. *Valentia.* *Suarez.* *Vazquez.*

Ponendum verò est, potestatem ferendi censuras ortum habuisse à Christo, qui illam commisit Ecclesiæ, vt citati Doctores in specie docuerunt: & hoc sensu posse dici de iure diuino potestatem hanc esse.

Secundò dicendum, exercitium huius potestatis, hoc est ferre censuram, esse ab homine, & non à Christo immediatè. Ita citati Doctores contra Almainum. Prior pars satis constat ex vsu in Ecclesia. Secundò probatur, quia ex nullo certo testimonio constat Christum tulisse sententiã excommunicationis, vel alterius censuræ: & hoc est præcipuum argumentum pro hac sententia.

Ad locum Pauli optimè respondet P. Vazquez supra, vel intelligendum esse de obligatione naturali vitandi hæreticum, quod intelligit, vel in rebus prohibitis, vel ob periculum, quod ex ipsa communicatione sequi potest. Secundò, si de censura propriè intelligatur, iudicandum est latam fuisse à Paulo, & vtramque explicationem admitit P. Suarez supra, & alij recentiores.

Sed obijcitur ex capite 18. Matthæi, vbi Christus dixit: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus. Verùm ex hoc loco Patres, & interpretes sacri non colligunt censuram latã esse à Christo, hoc enim reuera non colligitur; sed tantùm possumus colligere à Christo datam potestatem Ecclesiæ ferẽdi censuras contra inobedientes: & ideo eo loco vtitur P. Vazquez dubio 1. & alij ad colligendum in Ecclesia esse potestatẽ excommunicandi, vt supra indicauimus. *Vazquez.*

Ex dictis possunt intelligi alia loca Scripturæ. Vnũ est illud Ioan. epist 2 Si quis veniat ad nos, & hãc doctrinã non afferr, nolite recipere eum in domo, neque Aue ei dixeritis. Possunt enim hæc verba intelligi, vel vt explicat ius naturale, vel de positiuo præcepto Apostoli, aut tertiò de signis, quibus illi hæretico videretur aliquis cooperari ad crimen. Vnde & subiunxit Apostolus: Qui enim dicit illi, Aue, communicat o peribus eius malignis.

Item intelligitur ab aliquibus, iuxta dicta, illud 2. ad Thessalonicenses 3. Hunc notate, & non commisceamini

cum

cum illo. Sed ibi non est sermo de doctrina, sed de moribus, & hortatur Paulus, ne quis cooperetur peccatis alterius, sed potiùs, vt illum corripiat.

Hic potest disputari de personis, in quibus est hæc potestas: de quo P. Suarez disput. 2. sect. 2. & 3. & nos dicemus in materia de excommunicatione, interim legi potest P. Vazquez tractatu de excommunicatione dub. 17. *Vazquez.*

DVBIVM II.

Quæ conditiones sint necessariæ, vt qui potestatem habet, possit ferre censuram.

Difficultas potest esse de censura, vt habeat effectum, vel vt licitè feratur.

Prima conditio ad effectum est, vt non sit potestas impedita ex parte ipsius, qui illam habet, verbi gratia, necessarium est, vt non sit excommunicatus, & publicè denuntiatus, vt constabit ex dicendis in materia de excommunicatione cum communi doctrina.

Secunda conditio est, vt qui hanc potestatem habet, non ferat censuram in seipsum, est communis doctrina cum Glossa in caput quoties 1 q. 7. & constabit ex dicendis de excommunicatione: operatur enim hæc potestas in subditum. Legatur P. Vazquez tractatu de excommunicatione dub 17 §. dubium præterea. *Vazquez.*

Tertia conditio, vt non ferat quis censuram in propria causa. Ita Gregorius capite inter querelas 23. q. 4 vbi Glossa assignat rationem, quia nemo permittitur esse iudex in propria causa, vt docuit Fabianus cap. 14. q. 4. Secus quando quis vellet repellere violētiam ab aliquo sibi illatam, tunc enim potest in illū ferre sententiā excommunicationis, vt docuit Innocen. IIII. cap. dilecti de sententia excommunicationis.

Quartò, necessarius est vsus rationis ad ferendam sententiā, sine qua actus nō esset humanus, & similiter necessaria est voluntas libera ob eandem rationem.

Difficultas verò occurrit, an excommunicatio, vel alia censura lata ex metu graui, & prudenti, quem appellant cadentem in virum constantem, sit valida.

Prima opinio est asserentium non esse validam. Et probant ex capite vnico de his quæ vi, metusve causa, in sexto. Et ratione probatur, quia sine perfecta libertate non videtur actus sufficienter moralis, & liber ad talem effectum.

Alij verò putant eam libertatem sufficere, vt censura sit valida. Glossa in caput citatum, Pater Suarez cum alijs disput. 2. sectione 5. & Iurisperiti probant ex citato capite: & quia voluntas coacta voluntas est, lege *Si mulier*, §. penultimo, ff. de eo quod vi metusve causa fit. *Suarez.*

Et primò, considerato iure naturali, solùm puto validam esse talem censuram: nam vt cum Arist. & D. Thom. docent P. Vazquez prima secundæ disp. 27. cap. vltimo, ea quæ fiunt ex metu, sunt simpliciter voluntaria. Ergo prædicta sententia lata ab habente potestatem est simpliciter voluntaria: ergo si aliud non obstet, valida erit. Neque aliquo idoneo argumēto probatur, tale voluntarium non sufficere ad ferendam censuram, si aliud non obstet: & idem diximus de contractibus, & votis suo loco, quod ibi proximè P. Vazquez docuit, & est communis sententia, & idem docuit P. Suarez sect. 5. citata. *Vazquez.*

Secundò existimo, iure positiuo non esse cassatum prædictum actum ferendi censuram, vt bene docuit P. Suarez loco allegato: nullū enim aduertitur caput, ex quo id colligatur. Neq; ea, quę pro prima sententia admittuntur, vim habent: nam in illo capite vltimo non dixit Pontifex sententiam latam fuisse nullam, sed validam, quia voluit solum absolutionem: ergo supponit sententiam fuisse validam, vt expendit P. Suarez supra in hoc dubio formaliter ex parte voluntarij, non ex alio capite. *Suarez.*

Restat dicendum de conditionibus requisitis, vt censura iustè, & licitè feratur. Et quidē si loquamur de his, quę necessaria sunt, vt actus ipse sit honestus, ea requiruntur, quæ ad alios actus honestos sunt necessaria; de quibus non disputamus modò: vel sermo est de his, quæ necessaria sunt, vt iudex non faciat contra obligationem sui muneris. Et primò requiritur, ne alius iustè sit prohibitus, ne faciat talem actum.

Deinde P. Suarez disput. 2. certè putat necessarium esse, vt iudex in ferendis censuris seruet leges, & modum *Suarez.*

 á su-

à superioribus præscriptum, & hoc verum est. Addit enim contrarium esse peccatũ contra iustitiam legalem: quòd mihi improbatur: quia, vt dixi secunda secundæ, in materia de iustitia, non reperitur violatio iustitiæ legalis, nisi lex violetur ex expresso contemptu boni communis, iuxta doctrinam S. Thom.

Secundò docet posse esse peccatum contra iustitiam distributiuam, quia iudex potest peccare contra illam in ferenda sententia, & ferre censuram, actus quidam iudicij est. Verùm si sermo sit de censura, vt priuat bonis spiritualibus, non potest esse contra distributiuam propriè, quia illa bona non sunt materia iustæ distributionis, quę sunt materia iustitiæ; potiùs erit contra commutatiuam, quia in tali illatione damni non consideratur respectus ad plures personas, qui necessarius est ad hanc materiam, vt dixi secunda secundæ in materia de iustitia; sed consideranda ęqualitas rei cum re ad recompensandum illud damnum.

DISPVTATIO IIII.

De forma ferendi censuram.

DVBIVM PRIMVM.

An in ferenda censura sit aliqua certa forma seruanda.

ANte omnia ponendum est, censuram vulgata partitione diuidi in censuram latam à iure, & latam ab homine: duobus enim modis potest ferri censura. Altero, siquis statuat legem sub pœna censuræ, altero proferendo sententiam, vel præcipiendo aliquid in singulari actu sub pœna censuræ: illa dicitur lata à iure, hæc ab homine, licèt vtraque ab homine oriatur. Quando verò hęc lex posit imponere pęnam incurrendam ipso facto, difficultatur à Doctoribus in materia de legibus: & legi potest P. Vazquęz prima secundæ.

Deinde ponendũ est, prolationem censuræ debere esse actum externum, sine quo homini non fieret manifesta. Explicãdum verò est, qualis debeat esse hæc actio.

Et aliqui putant esse necessaria verba: probant ex cap. sacro, & cap. à nobis de sententia excommunicationis, & cap. 1. eodem titulo in 6. & capite vltimo de constitutionibus in sexto. Ita sensit Vgolinus de censuris Ecclesiasticis tabula 1. cap. 1. §. 5. & c. 2. Vnde infert mutum non posse ferre censuram, quia nõ potest proferre verba; alia verò signa non sufficiunt: & probatur ratione, quia censura, lege, aut sententia ferri debet: & ideo necessaria sunt verba expressa. Suarez.

Sed P. Suarez sectione 2. contrarium docet: & primum mihi placet posse ferri censuram per scripturam nulla facta oris prolatione, vt docet P. Suarez loco citato, & aliqui probant, quia absolutio sacramentalis fieri potest per scripturam. Sed hęc ratio non est admittẽda, falsam enim continet doctrinam, vt probaui in materia de pœnitentia. Probãda verò est, quia considerato iure naturali satis est sententiam, vel legem ferri per scripturam, & nullum est ius positiuum, quod contrarium statuat in materia censuræ ferendæ: ex citatis enim capitibus solum colligitur censuram expresse ferendam esse, non tamen quia solis verbis fieri debeat.

Secundò existimo cum P. Suarez supra, vt censura liget per nutum illam explicare, vt si quis ab alio interrogatus de hoc, an velit ferre censuram, affirmet aliquo signo. Suarez.

Tertiò dicendum est, non esse determinata verba ad ferendam censuram. Ita P. Suarez supra, qui bene addit necessarium esse, vt verba significent determinatam censuræ speciem, aliàs non habebit effectum, vt constat: in quo communis vsus loquendi consideratis circunstantijs considerandus est.

Disputant verò Doctores, & quærunt, an habeat effectũ sententia censuræ lata sub forma disiunctiua, verbi gratia, præcipio hoc sub pœna excommunicationis, vel suspensionis: & dubium debet intelligi quando particula disiunctiua vere habet sensum disiunctiuum.

Prima sententia est asserentium nullum habere effectum, quia illis verbis nihil determinatè significatur, Ita Vgolinus de censuris tit. 1. cap. 2. §. 3. num. 4. Et hanc sententiã docuit P. Vazquez tractatu manu scripto de suspẽsione §. 2. loquẽs in specie de suspẽsione ab officio, vel beneficio.

Alij putant vtramque censuram habere effectum. Citatur glossa in cap. latores de clerico excommunicato; sed glossa solùm dixit rem esse dubiam.

P.Suarez supra putat talem formam habere effectum, quia electio vnius partis relinquitur arbitrio eius, in quem fertur censura: quòd si iste nolit eligere, docet ante electionem obligari vtraq; ex intentione ferentis censuram, ne omnino eius sententia reddatur inefficax.

Mihi placet primò, si pœna relinquatur arbitrio rei, & ipse eligit vnam determinate, illa ligabit ex intentione ferentis censuram.

Tertiò quod ad praxim attinet, existimant aliqui intentionem ferentis sententiam eo modo esse, vt hoc ipso quòd subditus velit violare præceptum, ligetur minori censura illarum, ita vt si subditus violans legem expresse non eligat virtualiter, censeatur eligere minorem ex voluntate ferentis censuram, ne maneat ille absque aliqua pœna: quod non probatur firmo aliquo argumento: quòd si nollet pęna obligari, nisi expresse subditus eligeret, subdito non eligente, non incurreretur aliqua illarũ, quia non est maior ratio vnius, quàm alterius. In quo euentu Vgolinus, & P.Vazquez videntur loquuti, & idem iudicium esset, si neque superior determinaret censuram, neque relinqueret arbitrio subditi: ratio enim facta in hoc casu eandem habet vim.

Opus tamen est scire conueniens non esse in vsu communi ea forma vti in ferenda censura.

Tandem restat in hoc dubio explicare quibus verbis significetur censura lata, aut ferenda. Et certe quando in lege, aut sententia ponitur illa particula, Ipso facto, vel Ipso iure, incurratur excommunicatio, significatur censuram esse latam. Secus autem si ponantur verba significantia hominem violantem legem fore excommunicandum. Secundò est lata sententia, quando dicitur, Excommunicamus, vel quid simile.

Sed quæstio est de his verbis, excommunicationem monemus te incursurum, si mandatum violaueris.

Variè autem opinantur aliqui, & citant aliqua capita, ex quibus nihil colligitur pro præsenti controuersia. Mihi placet ea verba significare sententiam latam, quia ea verba non significant sententiam censuræ esse ferendam, sed reum contracturum censuram, vt bene docuit P.Suarez supra. Suarez.

Deinde illis verbis, Anathema sit, glossa in caput finale de foro competenti, putat solum comminari pœnam.

Quod Doctores communiter non recipiunt, quia illa verba idem significant ac illa, Excommunicatus sit, & illa forma est frequens in Concilio Tridentino.

De illis autem particulis, *Statim, ex tunc*, & similibus iudicandum est iuxta exigentiam verborum, quibus distinguuntur.

Tandem de illis verbis, sub pœna excommunicationis, dicendum est secundum se tantum, nisi aliud addatur, non significare censuram latam, sed ferendam.

DVBIVM II.

An forma ferendi censuram possit fieri sub conditione.

QVæst. potest intelligi, & de conditione pertinenti ad causam censuræ ferendę, & de conditione impertinenti.

Et si de priori conditione loquamur, certum videtur ferri posse, imò frequenter fit sub conditione, si quis fecerit tale peccatum, vel nisi satisfecerit pro damno illato, quod facilè intelligitur in excommunicatione. De suspensione verò, & interdicto dicemus suo loco, & de forma tradita de excommunicatione ab homine lata locum habet in illa, quæ est à iure. Legatur P. Vazquez de excommunicatione dub. 12. §. si dubium est, de quo dicemus infra disp 18. Vazquez.

De ea verò, quæ ab homine fit, potest esse quæstio, an possit ferri sub conditione peccati committendi, & P.Suarez distin. 3. sect. 4. num. 4. sentit fieri posse per generalem sententiam, quia neq; est contra ius naturale, neque aliquo iure positiuo est prohibitum; & si esset prohibitum, ea prohibitio per contrarium vsum esset abrogata: & cap. Romana de sentẽtia excommunicationis solùm admonentur indices, ne facilè tales sententias ferant: sed de hoc capite dicemus disp. 18. dubio 5. Suarez.

Vazquez. & legitur P. Vazquez tractatu de excommunicatione dubio 12.

Solum restat explicandum, quomodo hæc sententia generalis differat à censura lata à iure, de quo Couarr. in cap. *Alma mater*, 1. parte, §. 10. num 2. & plura refert discrimina: nobis satis sit dicere, censuram latam à iure de se esse perpetuam; latam verò ab homine non ita, sed deficit deficienti iudice.

Ex dictis intelligitur, sententiam latam à iure perseuerare post mortem statuentis illam, non tamen sententiam latam ab homine, vt ex communi doctrina Suarez Iurisperitorum docuit P. Suarez sectione illa 4.

Restat explicare, an censura sub conditione lata comprehendat eum, qui mutauit domicilium. De hoc disputat Vgolinus lib. 1. de censuris tabula 1. cap. 2. refertque varias opiniones. Mihi placet; illam censurā non comprehendere illum, qui ante impletam conditionem mutaret domicilium, ita vt non maneat subditus eius, qui tulit censuram, vt docuit P. Suarez supra sect. 5. P. Vazquez tractatu de Vazquez. excommunicatione dubio 12. numero 2. & iudex non potest ferre sententiam in non subditum, vt per se constat, & sumitur ex capite Romana de sententia excommunicationis in 6.

DVBIVM III.

Quomodo suspendatur censura sub conditione lata.

IN Hac sententia dicendum, est suspē di hanc sententiam per interpositam appellationem, vt definitur capite præterea, & secundo de appellationibus: nam per appellationem transfertur causa ad alium iudicem, & sententia conditionalis, nihil est operata ante impletam conditionem: & ita tempore quo impletur conditio, nihil efficit, capite præterea primo de sententia excommunicationis, & cap. solet, eodem titulo in sexto. Quod ita intelligendum est, vt etiam præceptū exequendi sententiam suspendatur ob rationem dictam; est communis doctrina Canonistarum ad caput præterea de appellationibus: quod ita intelligunt, nisi appellans declararet se appellare à censura, & non à mandato: quod per se manifestum est.

Item vt doctrina tradita vera sit, ita est intelligenda, vt appellatio sit legitima, vt iura decernunt, & ratio postulat. Erit autem legitima, si fiat ex causa probabili, seruato iuris ordine: requisito etiam, vt talis appellatio debito tempore fiat.

Difficultas verò est, an hæc appellatio possit fieri toto tempore, quo conditio non est impleta, vel solum intra decem dies, vt fieri solet aliarum sententiarum appellatio, iuxta caput, quod ad consultationem, de re iudicata, Abbas in citatum caput præterea, docet faciendum esse intra decem dies, quia ius est generale.

Sed contrarium docuit Glossa in citatum, caput preterea, & Nauarrus in capite cum contingat de rescriptis, causa 18.

Quam vt satis tutam, & probabilem, magisque probandam sequitur P. Suarez disp. 3. sect. 6. & fauet cap. præterea, illis verbis, *Medio tempore*. Hoc enim est totū illud tempus, quo conditio non est impleta; antequam sententia illa non est simpliciter sententia, sed secūdum quid, & ideo non mirum si non comprehendatur sub iure, & lege generali. Suarez.

Addendum verò est hoc loco à sententia excommunicationis purè lata non posse appellari, quantum ad suspendendam, vt decernitur capite Pastoralis, de appellationibus, & capite, Is cui, de sententia excommunicationis in sexto, vbi hoc etiam ad suspensionem, & interdictū extenditur. Et ratio assignatur, quia talis sententia secum affert executione: à sententia autem executioni mandata non potest appellatio fieri. Ita P. Vazquez, tractatu de suspensione, vbi loquitur de excommunicatione etiam, & interdicto, & suspensione, vbi cum alijs Doctoribus docuit, per antecedentem appellationem suspendi censuram, non tamen per subsequentem: idem docet tractatu de interdicto.

Tandem quæri potest, an censura fieri possit sub conditione ad causam nō pertinentem, verbi gratia, excommunico te, si pater ex Italia venerit: & certum est imprudenter fieri, & contra legem 1. C. quando appellandum sit.

Secun-

Secundò existimo, si conditio sit de præterito, vel præsenti, & illa subsistit, si alia adsint, validam esse censuram, quia nihil est, quod meretur effectum eius.

Deinde, si conditio sit de futuro, & omnino impertinens, putat Vgolinus c. 2. § vltimo in vltimis verbis esse inualidam, & sequitur P. Suarez sect. 7. in fine, quia est abusus spiritualis potestatis. Sed hæc ratio solùm videtur probare illicitam, non tamen esse nullam, si aliàs adsit causa ferendi censuram, nam iudex potest facere suum consensum dependentem à qualibet conditione: ergo talis actus, cùm aliàs non sit iure positiuo irritus, habebit effectum: non apparet autem, quo iure sit irritus.

Hic potest disputari de admonitione necessaria ad censuram, de qua dicemus in materia de excommunicatione, de qua agit P. Suarez disp. 3. sect. 8. P. Vazquez tractatu de excommunicatione dubio 12.

Vazquez.

DISPVTATIO IIII.

De causa, ob quam ferri debeat censura.

Suarez. Vazquez.

DE Hac materia agit P. Suarez disput. 4. de censuris in genere, & P. Vazquez tractatu de excommunicatione dubio 12. & Doctores communiter in materia de excommunicatione, & commodè potest hoc loco disputari.

DVBIVM PRIMVM.

Propter quam causam posit ferri pœna censura.

Suarez.

COnstitutum est apud Doctores, non posse hanc pœnam imponi, nisi ob peccatum, cùm sit pena. Ita P. Suarez sectione 1. Item cùm sit grauis, non potest imponi, nisi ob graue peccatum: de excommunicatione vero minori dicemus in materia de excommunicatione.

Quando verò culpa sit necessaria ad incurrendam in specie hanc, vel illam censuram, dicemus agentes de illis in specie.

Tertiò certum est, ob solum peccatum veniale non posse imponi grauem censuram, quia ob leue peccatum non potest imponi grauis pena, vt loco citato docuit P. Vazquez num. 2. qui docet, non solùm talem sententiam esse illicitam, sed etiam nullius effectus, quod apertè docuit Leo epistola 67. & capite nemo, & capite, nullus 11. quæst. 3. Et ratio est, quia hæc potestas non est data in destructionem: quã veritatem fusè explicat P. Suarez disp. 4. sectione 4. & explicat in censuris in specie.

Vazquez.

Suarez.

Deinde facilè intelligitur, censuram leuem, qualis est excommunicatio minor, posse imponi ob peccatum veniale, de quo dicemus speciatim in materia de excommunicatione.

Doctrina verò tradita satis constat ex vsu Ecclesiæ, quæ non imponit grauem censuram, nisi ob graue peccatum: quod facilè constare potest ex antiquis Conciliorum decretis, & ex aliis posterioribus, ex vsu etiam summorum Pontificum, & Episcoporum. An verò præter peccatum sit requisita contumacia, & admonitio, vt incurratur excommunicatio maior, dicemus in materia de excommunicatione, vbi ostendemus, an requiratur grauis contumacia, vel sufficiat leuis, & an sit trina admonitio necessaria.

DVBIVM II.

An propter peccatum purè internum posit imponi censura.

Suarez. Vazquez.

DE Hac materia disputat P. Suarez disp. 4. sect. 2. & P. Vazquez de excommunicatione dub. 13.

In hac controuersia Doctores, qui putant Ecclesiam habere potestatem in actus mere internos, affirmabunt posse imponi pœnam ob peccatum purè internum. Legatur P. Vazquez, & P. Suarez locis citatis, & in materia de legibus. P. Vazquez prima secundæ, disp. 160. P. Suarez tomo de legibus.

Vazquez. Suarez.

Adducuntur verò aliqua argumenta ad probandum Ecclesiam habere potestatem in actus merè internos, quæ optimè explicantur à Patre Vazquez locis allegatis.

Vazquez.

Ponendum verò est, Ecclesiam non habe-

habere iurisdictionem in actus purè internos, eo quòd illius cognitioni non subiiciuntur, ac proinde de illis iudicare non potest.

Deinde in prȩsenti dubio dicendum est, non posse imponi ob peccatum purè internum. Ita cum aliis docuerunt P. Suarez, & P. Vazquez supra. *Suarez.* Et ratio est, quia tale peccatum non est subiectum Ecclesiæ quãtum ad externam iurisdictionem, eo quòd illud non potest cognoscere.

Sed manet difficultas, an quando actus externus exterior non est signum externum sub peculiari ratione malitiæ, ob quam imponitur ab Ecclesia censura, incurratur, verbi gratia, si imponatur excommunicatio ob peccatum hȩresis, & quis ex iudicio hæretico faciat actum externum, qui non sit signum hæresis, quando est, an propter talem actum incurratur pœna imposita. Huius dubij mentionem fecit P. Vazquez tractatu de excommunicatione dub. 19. *Vazquez.* & retulit contrarias opiniones, & docet se de hac quæstione disputasse 1.2. disp. 160. cap. 5. num. 20. cuius opinionem infra referemus.

Et est prima opinio asserentium talem hominem incurrere pœnam impositam ab Ecclesia. Sequuntur, & putant hoc probari quibusdã argumentis, quibus aliqui vtuntur Ecclesiam habere potestatem in actus internos.

Alij verò Doctores censent necessariũ esse, vt opus externum sit significatiuum actus interni sub ratione, qua est prohibitum opus externum ab Ecclesia, ita sensit Castro lib. 2. de iusta hȩreticorum punitione cap 18. Paulo post initiũ. Simãcas de Catholicis institutionibus tit. 42. num. 11. *Vazquez.* P. Vazquez 1 2. disput. 160. cap. 5. num. 20. & c. 3. & multi recentiores. Et probari potest, quia actus exterior sub ea ratione malitiæ omnino est incognitus Ecclesiæ, nam neque ex materia habet eam malitiam, neque est signum malitiæ ex fine, quæ latet in voluntate. Legatur P. Vazquez cap. 3. citato.

Suarez. P. Suarez disp. 4. de censuris sect. 2. art. 18. quantum ad præsentem controuersiã docet primò, Si actus externus sit secundum se bonus nõ incurrere hominem operantem censuram impositam propter tale opus, probat numero 2. quod sit bonus, & non est signum malitiæ ex fine, neque ab Ecclesia potest iudicari malus ob solam circunstantiam finis.

Secundò docet articulo 22. posse Ecclesiam prohibere actionem externam ex se malam, & prohibere illam, vt procedentem à peculiari affectu, & non ab alio, & hoc putat probari aliquibus argumentis, quibus probari solet Ecclesiam posse punire actum internum, vt connexum exteriori: & vlterius probat, quia etiam si quis externo profiteretur hæresim: si internus veram fidem retineret, nõ incurreret pœnã hæresis: ergo potest Ecclesia actum externum punire, vt coniunctum peculiari actui interno.

Tertiò docet numero 23. Ecclesiam posse punire actum externum propter defectum interni, quando est quasi de substantia externi, & numero 27. concedit posse aliquem incurrere pœnam ab Ecclesia impositam ob defectum talis actus interni, etsi exterius nullum sit signum eius defectus.

Mihi placet sententia Patris Vazquez, & propter eius rationem placet primum dictum P. Suarez. Tertium verò displicet mihi, quia ratio facta pro opinione P. *Vazquez.* Vazquez eandem vim habet, quia talis defectus non potest esse Ecclesiæ notus. Respondent aliqui hoc esse per accidens, sed impugnatur, quia sicut intentio alia mala circa actionẽ ex se bonam externã, non potest esse nota Ecclesiæ, quando nullum est signum externum: ita & prædictus defectus, quando nullum est signum externum: ergo vtrumque est per se incognitũ Ecclesiæ. Et patet, quia si Ecclesia vellet imponere ob talem defectum aliquam pœnam distinctam à censura, quæ esset ab Ecclesia infligenda exterius, non posset, quia non posset probare in foro externo illud peccatum ex defectu signi externi, & non solùm ex defectu testimonij, vt per accidens contingit in aliis peccatis, quȩ sunt ex se cognoscibilia ab Ecclesia ob signum externum.

Circa secundum dictum ego non dubito posse Ecclesiam punire actum externum ob peculiarem actum internum, vt P. Suarez probat: *Suarez.* sed contendo non incurri censuram impositam ob actum externum, cum illo interno, nisi exterius constet de affectu illo interno, vt docuit P. Vazquez secunda secundæ disp. illa 160. *Vazquez.* cap 3. & 5.

Argumenta adduci solent hic ad proban-

bandum Ecclesiam posse punire defe- ctum actus interni, quorum nonnulla ad- Vazquez. ducit P. Vazquez tractatu de excom- municatione dubio 13. & breuiter soluit; fusiùs verò 1.2. disputatione illa 160. cap. 4. & 5. Ex qua doctrina explicanda sunt quæ breuiter dixit dub. illo 13. de excom municatione. Legi etiam potest tractatu de beneficijs cap. 5. §. 1. art. 3. & ex doctri na tradita facillimè poterunt omnia solui quantum ad præsens attinet institutum.

In fine placet aduertere aliquos recētio res docere, ob solū actum internū nō pos- se imponi censuram, sed esse necessariam actum, vel omissionem externā sed non sa tis illud explicarunt, an actus, vel omissio externa, debeat esse signum actus interni. Vazquez. Sed P. Suarez & P. Vazquez subtili discus- sione idem attigerunt.

DVBIVM III.

An actus exterior, ob quem imponitur censura, debeat esse perfectus, & con- summatus in sua specie.

IN Hac re si ponamus actum externū esse peccatū mortale, certū est prop- ter illum posse Ecclesiam imponere censuram: & ita de potestate non dubita- mus, sed de modo, quò intelligi possunt excommunicationes latæ, aut ferendæ ob aliquem actum, dicemus suo loco.

Et primò considerandum est, an excō- municatio feratur ob effectum externum, & non solùm ob peccatum externū. Si fe- ratur ob effectum externum, nō incurre- tur censura, etiamsi sit peccatum exter- num, verbi gratia, si feratur ob furtum, e- tiamsi quis exterius conetur actu ex- terno alienū accipere ab aliquo; si tamen reipsa non accipiat alienum, non incurret excommunicationem. Ex qua regula plu- ra dubia in specie solui possunt in diuersis Vazquez. materiis. Legatur P. Vazquez tractatu de excommunicatione dub. 14. num 3.

Secundò considerandum est, an censura imponatur propter effectum ipsum, vel propter occasionem, subsequuto effectu, verbi gratia, si imponatur excommunica- tio propter homicidium; secus si impona tur propter homicidij occasionem: tunc enim si quis vulnus intulit insufficiens ad homicidium, & ex alia causa superuenien- ti sequutum est homicidium: tunc incur- ret censuram qui vulnerauit, etiamsi vul nus nō fuisset sufficiens, quia fuit occasio: quod in peculiaribus materiis prudenter iudicandum est, consideratis legis, aut sen tentiæ verbis.

Tertiò, si peccatum fuit imperfectum ex defectu perfecti voluntarij, conside- randa sunt verba legis, aut sententiæ, ma- teria, & circustantiæ, vt colligatur inten- tio ferentis censuras.

Quartò, considerandum est, an censu- ra imponatur ob solum externum pecca- tum voluntarium: quia tunc etiamsi pro- cedat ex metu graui, (ita tamē vt ille non excuset à peccato) peccans incurret cen- suram, etiamsi ex metu operetur.

Quintò considerandum est, an licèt actus externus sit voluntarius, tamen malitiam non habeat ex affectu adiuncto, quem re- quirebat censura: tunc enim non incurre- tur, verbi gratia, si imponatur censura ob violationem legis ex contemptu, & quis violet illam, & non ex contemptu, non in- curret censuram, quæ non est in specie ma litiæ, aut modo requisito ad incurrendam censurā Legatur P. Suarez disp. 4. sect. 3. Suarez. disputat P. Suarez de contumelia, de qua Vazquez. P. Vazquez tractatu de excommunicatio. ne dub. 12 de qua dicemus in materia de excommunicatione disp. 18.

DISPVTATIO V.

De ignorantia, quatenus ex- cusat, vel non excusat à censura.

DE Hac materia agit P. Vazquez in Vazquez. materia de excōmunicatione dubio Suarez. 14. 15. & 16. P. Suarez de censuris in gene- re disput. 4 sect. 8. vsque in finem dispu- tationis, & nos possumus de ea hoc loco optimè disputare.

DVBIVM I.

An ignorontia inuincibilis excu- set à censura.

IN Materia de peccatis diximus, quid sit ignorantia inuincibilis: & legi po- test P. Vazquez 1. 2. à disp. 117. vsque ad 126. & modò breuiter dicunt authores, per

per ignorantiam inuincibilē eam intelligere, quæ humana diligentia ab homine vinci non poteſt, eo quòd nulla occurrat cogitatio, vel dubium de eo obiecto.

Quæſtio poteſt intelligi de ignorantia peccati, & de ignorantia cenſuræ nunc dicamus de ignorantia circa peccatum. Et primò certum eſt, Doctores excuſare ignorantiam inuincibilem iuris, & præcepti. Ita cum multis, quos citat, ſentit P. Vazquez tractatu de excommunicatione dubio 14. P. Suarez diſp. 4 ſect. 8. Et ratio eſt, quia excuſat à peccato, ob quod imponitur cenſura.

Ex quo principio deducitur etiam excuſare à cenſura, quando licèt ignorantia non excuſet à peccato, excuſat tamen ab ſpecie peccati, ob quod imponitur. Quod docuit P. Vazquez loco citato, cum Couarrub. in cap. alma mater, 1. parte §. 10. quod ſequuntur alij. Et ratio eſt manifeſta, quia ſi excuſat à culpa, ob quam imponitur cenſura: ergo non incurritur, quia deeſt cauſa: aliud verò peccatum non habet cenſuram annexam, vt ponimus.

Ex quo colligit Couarrubias, quòd ſi aliquis putans aliquem eſſe clericum, voluntariè occidat illum, qui reuera non eſt clericus, non incurret excommunicationem: quia licèt ille peccet peccato ſacrilegij propter affectum; tamen pœna requirit veram clerici occiſionem, quod pro ſimilibus obſeruandum eſt.

Secundò principaliter dicendum eſt, eodem modo eſſe philoſophandum de in conſiderantia omninò naturali, quæ excuſat à peccato, vt diximus in materia de peccatis, & docuit P. Vazquez prima ſecundæ diſput. 117. & ſæpe aliis locis. Et hanc concluſionem tradit P. Suarez ſectione 8. citata.

Vazquez. *Suarez.* Tertiò P. Vazquez, & P. Suarez docent locis allegatis ignorantiam inuincibilem facti etiam excuſare à cenſura, quando vel omnino excuſat à peccato, vel ſaltem ab ſpecie peccati, ob quod imponitur ob rationem aſsignatam, quando operans ignorat tale peccatum eſſe, non eſſe peccatum, vel non eſſe talis ſpeciei. Neque ad hoc refert hominem dare operam rei licitæ, vel illicitæ, ſi reuera non fiat peccatum, ob quod fertur cenſura. Et idem docuit Tolet. lib. 1. ſummæ cap. 34. §. quintus caſus. *Toledo.*

DVBIVM II.

An ignorantia iuris excuſet à peccato.

Hoc loco nomine iuris intelligimus ius poſitiuū: & aliud eſt commune, & aliud particulare Prouinciæ, aut Epiſcopatus.

Secundò notandum eſt, quòd ſi talis ſit ignorantia, vt omnino excuſetur à culpa, excuſabit etiam à cenſura, ſi res aliàs erat licita, & erat ignorantia iuris poſitiui imponentis cenſuram.

Difficultas verò eſt, an quando actio aliàs erat illicita, homo tamen habuit ignorantiam iuris imponentis cenſuram, excuſetur ab illa. Et primò poteſt eſſe, quādo de ſtatuto prouinciali. In qua Couarrub. loco allegato num. 7. & alij docent non excuſare. Probat Couarrub. quia omnis qui peccat, naturaliter manet obligatus ad pœnam, & non ex conſenſu proprio: ergo incurrit pęnam etiam inuincibiliter ignoratam. Secundò, quia nullus negabit, quòd incurrat alias pœnas ſtatutas à iure.

Contrariam ſententiam ſequitur Pater Suarez ſupra ſectione 8. & alij, quos ipſe citat, & probat, quia cenſura requirit contumaciā, id eſt, quòd nō velit obedire Eccleſiæ, iuxta illud Matth. 18. Si Eccleſiam non audierit. Sed qui non nouit ſtatum Eccleſiæ, non eſt ab illa admonitus: ergo non poteſt incurrere hanc pęnam. Pater Vazquez dub. 16. dicit ſe de hoc ſentire, ſicut de ignorantia iuris communis. De quo ibidem docet primò, quòd ſi aliàs peccatum ſit contra ius diuinum, aut naturale, non incurret, quia ignorat Eccleſiam illud prohibere: excommunicatio verò ſine ad monitione non violatur, ſine admonitione enim nullus eſt contumax.

Secundò docet, ſi alias illud opus ſit prohibitum iure poſitiuo tantùm, vel naturali ſimul, & poſitiuo, diſtinguendum eſſe. Si enim ius imponens cenſuram aduenit priori, & hoc poſterius ignoratur, non incurritur cenſura, quia non præceſſit admonitio: & in his dicit eodem modo philoſophandum eſſe de iure particulari Tertiò addit, ſi ſecundum ius poſitiuum ſolùm adiunxit pœnam priori, igno-

ignorantiam secundi non excusare, quia primum habet rationem admonitionis, & hoc sufficit ad incurrendam pœnam; sicut potest quis absens excommunicari, si se nel moneatur à iudice, & nolit obedire. Hoc ipso potest absens excommunicari, etiamsi nesciat se esse excommunicatum. Addit verò circa hoc tertium, esse peculiare aliquod statutum in lege, aut iure particulari, cap. 20. de constitutionibus in sexto.

Mihi placet modò sententia P. Vazquez quantum ad primum & secundum dictum, siue lex sit generalis, siue particularis propter rationem factam. Tertium infra examinabitur dubio sequenti. Argumenta verò facta pro opinione Couarr. facilè possunt solui.

Ad primum respondetur, eam obligationem naturalem non oriri absque contumacia.

Deinde ad secundum respondetur esse diuersam rationem aliarum pœnarum, quæ non requirunt contumaciam.

DVBIVM III.

An ignorantia inuincibilis censuræ excuset à censura.

IN Præsenti controuersia prima sententia est asserentium ignorantiam hanc non excusare. Ita Couarrub. in caput *Alma mater* 1. parte §. 10. quē alij sequuntur: & præcipuum argumētum est, quia ad incurrendam pœnam non est necessaria cognitio pœnæ, vt in alijs, quia neque est necessaria ad peccatum, neque ad consensum in illum; vtraque patet, ergo.

Alia est sententia communis multorum asserentium talem ignorantiam excusare. Quam esse communem Canonistarum, testatur Couarrub. loco allegato. P. Suarez suprà sect. 9 Grauitas enim huius pœnæ ita requirere videtur contumaciā, vt nisi cognita lege, & pœna imposita non videatur contumax qui legem violauit. Suarez

Tertia sententia est ignorantiam inuincibilem statuti particularis excusare à censura, non tamen ignorantiam legis Pontificiæ vniuersalis. Pro qua P. Suarez, & alij citant graues authores non paucos, & sequitur reuera P. Vazquez dubio 16. in fine. Doctores verò huius sententiæ discrimen referunt in ius positiuum. Colliguntque ex capit. 2. de constitutionibus in sexto. Cuius verba sunt, Vt animarum periculis obuietur sententiis quorumcunque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. Vazquez.

Mihi sane placet prima opinio, secluso iure positiuo, ob rationem illius.

Secūdò, prima pars tertiæ sententię mihi probatur, quia non video ius, ex quo colligatur ignorantiam censuræ in legibus Pontificijs excusare.

Tertio, secunda pars tertię opinionis mihi est valde dubia, eoquòd illud caput variè explicatur à Doctoribus: aliqui enim putant fauere secundæ opinioni. Alij docent textum loqui, quando est ignorantia non solius censuræ, sed iuris etiam. Sed contra vtramque explicationem obiici potest, quòd in eo capite nouum aliquid videtur Pontifex definire, & statuere in salutem animarum, & non solùm declarare, quod antea fuerat dispositum: & ideo in re non omnino certa mihi placet explicatio P. Vazquez.

Ratio verò secundę opinionis parum habet efficacitatis: nam ex iure positiuo non colligitur esse necessariam notitiam censuræ ad illam incurrendam, vt plures Doctores eius opinionis fatentur. Ex natura autem rerum ad contumaciam necessaria non est cognitio pœnæ, sed præcepti, cui aliquis non vult obedire.

Tandem in fine huius dubij placet asserere, quantum ad praxim attinet, in foro conscientiæ probabilem esse secundam opinionem.

Ex dictis hactenus non est difficile iudicare, quid dicendum sit de ignorantia concomitanti inuincibili.

Et Couarrubias §. illo 10. putat non eximere à pœna, quia S. Thom prima secundæ, quæst. 76. art. 1. putat non excusare à peccato.

Sed contrarium docuit P. Suarez sectione 8. numero 8. P. Vazquez tractatu de excommunicatione dub. 14. & mihi placet, & probanda est ex doctrina, quam ibi tradit P. Vazquez, & fusius prima secundæ disp. 125. ignorantiam concomitantem excusare opus externum à peculiari Suarez. Vazquez.

liari malitia, vt 1, 2. ad quæstionem 76. ostendimus: quod verò S. Thom. dixit hanc ignorantiam non excusare peccatum, intelligi debet non de opere externo, sed de affectu interno, vt ibidem cum P. Vazquez explicabamus. Vazquez.

DVBIVM IIII.

An ignorantia vincibilis excuset à censura.

REferuntur aliqui recentiores existimantes hanc ignorantiam excusare à censura; sed non video firmum fundamentum. Hanc opinionem retulit P. Suarez sectione 10. & non audet appellare illam probabilem in praxi.

Alia sententia refertur distinguentium inter censuram latam à Pontifice, vel à particulari prælato, & ignorantiam prioris dicit non excusare, bene tamen posterioris. Sed neque sententiæ huius inuenio firmum fundamentum.

Tertiam sententiam communem asserentium hanc ignorantiam non excusare, refert, & sequitur P. Suarez loco allegato, & P. Vazquez dubio 45. in principio, dicit omnes sentire ita. Suarez. Vazquez. Loquebatur enim de authoribus sui temporis (post illum autem non defuerunt recentiores aliqui docentes primam opinionem) quia talis non excusatur à culpa, siue operans det operam rei licitæ, siue illicitæ: probat verò: quia in vtroque casu est peccatum, & eiusdem speciei. Quæ doctrina debet intelligi de peccatis externis, hoc est, quæ extra intellectum, & voluntatem cõsummantur. De his enim docet P. Vazquez prima secundæ disp. 101. cap. 5. num. 17. & hanc esse mentem eius tractatus de excommunicatione dubio illo 15. patet, quia loquebatur de opere, ob quod potest imponi excommunicatio; hoc autem est externum omnino supposita voluntate: quod dixerim, quia ipse P. Vazquez prima secundæ disput. 126. putat peccatum Vazquez. hæresis aliquando non esse in eo, qui errat ex ignorantia culpabili: quòd nos diximus in materia de peccatis, & in materia de Fide ob peculiarem rationem traditam à P. Vazquez disput. citata. Sed hoc peccatú potest consummari in intellectu; & si non constet exterius, non imponitur censura propter illud, vt supra dicebamus de peccato purè interno: quod dixerim ad explicandam mentem P. Vazquez. Vazquez. Et in presenti dubio mihi placet, ignorantiam culpabilem non excusare à censura, quando non excusat à peccato, propter quod imponitur excommunicatio, quando ad illam incurrendam solùm requiritur peccatum talis speciei: quod potest esse cum ignorantia illa, vt docuimus in materia de peccatis, & docet P. Vazquez prima secundæ disp. illa 101. Vazquez. furtum enim eiusdem speciei est, si fiat expresse cum cognitione rei alienæ, & expresse sit volitum, siue fiat per indirectum voluntarium in causa ob ignorantiam culpabilem: species enim huius peccati sumitur ex obiecto, & materia externa, quæ eadem est; & aliàs supponitur voluntarium: quæ doctrina in omni peccato externo, & quod constituitur extra voluntatem & intellectum locum habet: traditam verò doctrinam de ignorantia vincibili, quod non excusat à censura, meritò intelligit P. Suarez supra, siue sit ignorantia facti, siue iuris. Suarez.

Dispútat verò P. Vazquez dubio illo 15. an quando lex requirit, ad incurrendam censuram, peccatum ex dolo, sufficiat culpa lata ex ignorantia. Vazquez.

Notat autem dolum verum esse voluntatem faciendi aliquid scienter; præsumptum verò esse, velle aliquid facere ex ignorantia culpabili: & idem est cum culpa lata, vt cum Corduba docuit P. Vazquez. Vazquez.

Est autem prima sententia, quã sequitur Couarr. §. illo cú Corduba 2. quęst. q. 28. qui docent culpam latam, quando quis dat operam rei illicitæ, ęquiparari dolo vero requisito ad incurrendam censuram; non tamen quando quis dat operam licitæ rei: huius nullam rationem inuenio in Corduba.

Couarrubias verò probat primò, quia ille incurrit excommunicationem, qui ex culpabili ignorantia occidit clericum putans esse laicum, iuxta canonem, Si verò, el segundo, de sententia excommun. & tamen requirit verum dolum. Secundò probat, quia cùm quis dat operam rei illicitæ, & ex ignorantia culpabili sequitur, peccatum est eiusdem speciei, ac si expresse esset voluntarium.

Contrariam sententiam sequitur Syluest. verbo

Verb. culpa num.4.& verb. ignorantia, num.8.dubio 4. & cum alijs sequitur P. Vazquez dubio citato. Et mihi placet, quia si lex requirit verum dolum, nullum est fundamentum ad dicendum sufficere præsumptum:nam iuxta doctrinam supra traditam non incurritur censura, nisi ob peccatum cum conditione requisita à lege,aliàs quis libere philosophabitur.

Vazquez.

Argumenta verò contrariæ sententiæ facilem habent solutionem. Ad primum respondet bene P.Vazquez,ex illo canone non colligi non esse necessarium verum dolum.

Vazquez.

Ad secundum respondetur, non esse cõsiderandam solam speciem peccati, sed conditionem requisitam à ferente censuram,ex cuius voluntate oriri potuit censura sub tali,vel tali conditione peccati: sicut ergo potest imponi excommunicatio ob magnum furtum,& non ob minus ex libertate ferentis illam,ita potest imponi ob peccatum cum tali circunstantia, vel tali, qua deficienti non incurratur.

DUBIUM V.

An censuram ab homine latam excuset ignorantia.

Constitutum est apud Doctores censuram posse ferri in absentem, vt tradit Couarrub.in cap. Alma mater 1. parte § 10.num.7.P.Suarez disp.4. sect. vltima, P. Vazquez dubio 16. in principio.Et quòd possit absens excommunicari,colligitur ex primo Corinth.5. vt ibi interpretes aliqui, & Stephanus Papa cap.de manifesta 2. quæstione 1. vt etiam capite,cum sit Romana,de appellationibus.

Suarez
Vazquez.

Sed non constat ex facto Pauli,excommunicasse ignorantem.

Sciendum verò est,ad hoc esse necessarium aliquam monitionem,ita vt non ignoret præceptum ille,qui excommunicandus est.Ita expresse Couarrub. P.Suarez, P.Vazquez, & alij,hanc enim monitionem requirit censura.

Suarez.
Vazquez.

Vbi notandum est,secundum diuersas opiniones posse hic esse diuersum modũ sentiendi:nam potest esse difficultas, an sit necessarium absenti manifestare non solum præceptum, & de illo admonere, antequam feratur censura,sed etiam admonere de censura ferenda; nam qui putant ignorantiam censuræ excusare, dicũt esse necessarium,vt admoneatur de præcepto,& de censura.

Alij verò,qui non requirunt notitiam censuræ,dicent eam in casu huius dubij non requiri,& ita expresse sentit P. Vazquez supra licèt breuiter.

Notat verò P. Suarez supra,cum qui absens excommunicatur,toto tempore, quo ignorat censuram, non peccare, etiamsi faciat contra illam: quòd intelligi debet de ignorantia omnino inculpabili: prudenter verò considerandum est, an peccator dubitet de censura lata, tunc enim peccare poterit,si non habeat probabile iudicium, quo iudicet non fuisse latam censuram : quòd si laboret puro dubio,debet facere diligentiam, vt ab eo liberetur.

Suarez.

Illud posset aliquis in quæstionem vocare,an quando absens fecit pœnitentiã, & voluit obedire, antequam in absentia excommunicaretur,incurrat excommunicationem?Cuius dubij causa est,quòd iam non videtur esse causa excommunicationis,neque videtur esse intentio ferentis illam.

Ex altera verò parte censura fertur ob causam sufficientem,& ab habente potestatem:ergo non est causa,ob quam dicamus non habere effectum,neque excommunicatus censetur obedire Ecclesiæ,donec se offerat iudici,& petat vt non ferat censuram,vel absoluat à lata. Et hanc partem esse eligendam in praxi, docet P.Suarez,licèt speculatiue res dubia illi videatur.

An verò talis excommunicatio habeat effectus,qui non pendent à notitia excommunicantis, constabit ex dicendis in materia de excommunicatione, & aliquid dicit P. Suarez sectione citata in fine.

DIS-

DISPVTATIO VI.

De modo quo impediatur effectus censuræ.

DE Effectibus censuræ in specie dicemus agentes de censuris in specie, & explicantes proprios effectus vniuscuiusque: ex definitione tamẽ censuræ in communi constat habere pro effectu priuationem aliquorum bonorum, vt omittam effectum extrinsecum, quem iudex sæpe intendit, nempe recompensationem damni, & solutionem debiti alieni.

DVBIVM PRIMVM.

An effectus censuræ possint impediri.

SCiendum est esse effectus aliquos, qui sunt voliti à ferente censuram per executionem eius; alios esse, qui ipsa executione censuræ non sunt voliti, & isti dicuntur remoti, & extrinseci.

De illis videtur certum posse impediri sola malitia peccatoris, vt si obligatur ad restituendum, & non velit: & idem iudicium est de alijs, quorum executio pendet ab excommunicato: & idem est de penitentia peccatoris pertinacis: potest enim excommunicatus in pertinacia perseuerare, & nolle pœnitere; ex malitia interdum, si voluntariè id faciat, vel impotentia, potest impediri, si amittat vsum rationis necessariũ ad eos actus, quæ impotentia in effectibus externis faciliùs intelligitur, verbi gratia, impotentia ad restituendum.

De his verò, qui immediatè sunt per executionem ipsius censuræ, dicendum est non posse impediri semel lata censura; non enim pendent ex voluntate eius, in quem fertur censura: huiusmodi est inhabilitas, & incapacitas. Legatur P. Suarez disp. 5. sect. 2. *Suarez.*

Ex dictis facilè intelligitur, quid sit dicendum de effectu excommunicationis, qui est obligatio non communicandi, de qua dicemus suo loco: & obligatio ita ex censura oritur, vt non sit in potestate excommunicatis illum impedire: actus verò ipse, & impletio eius obligationis, impediri potest, vt constat.

Ex tradita etiam doctrina facilè intelligi potest aliquẽ effectum posse impediri, vel per ignorantiam, vel per impotentiam, rectè consideratis circunstantijs.

Hic posset disputari, an per metũ possit impediri effectus censuræ. De quo P. Suarez disp. 6. sectione 3. & P. Vazquez tractat de excommunicatione dub. 7.

DVBIVM II.

Quomodò suspendantur effectus censuræ.

HIc posset disputari de absolutione ab excommunicatione ad reincidentiã, vt aiunt, quæ habet speciem aliquam suspensionis eius censuræ; de qua tamen commodiùs dicemus in materia de excommunicatione.

Deinde per appellationem non potest suspendi excommunicatio semel absolutè lata, vt constat ex cap. Pastoralis, & capite ad hæc, de appellationibus, cap. ad reprimendam de officio ordinarij: quod reuera ortum habet ex iure positiuo.

Difficultas verò est, an per dispensationem fieri possit, vt manente censura, effectus ab ea prohibitus fieri posit sine culpa. De quo legi potest P. Suarez disp. 6 sect. 4. & P. Vazquez tractatu de excommunicatione dubio 7. Et certè quamuis sint variæ opiniones, tamen res nunc non potest exactè explicari, donec explicemus, quinam sint effectus censuræ ex obligatione iuris diuini, & qui sint ex obligatione iuris humani, & generatim dicẽdum est, in his qui fiunt de iure diuino, non posse potestate humana fieri dispensationem ex communi doctrina authorũ, in materia de dispensatione. In his verò qui fiunt ex iure humano, poterit fieri dispensatio, seruatis conditionibus requisitis à Doctoribus generatim ad dispensationem legis humanæ: & in eo euentu non esset dicendum manere simpliciter censura, sed quantum ad alios effectus. Quis verò posset eam dispensationem concedere, ex principijs generalibus colligendum est.

Potest verò hoc loco disputari, an hæc

hæc dispensatio posit fieri valide sine causa; sed quæstio est communis omni dispensationi legis humanæ, de qua in materia de legibus.

Tandem disputat Pater Suarez disput. 7. de qui possunt à censura absoluere, de quo Doctores in materia de excommunicatione, & Pater Vazquez tractatu de excommunicatione dubio 18. 19. 20. & 21. & nos in ea materia dicemus.

TRACTATVS DE EXCOMMVNICATIONE in communi.

LIBER SECVNDVS.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De natura excommunicationis.

DE Hac materia agunt Scholastici cum Magistro 4. dist. 18. & 22. Iurisperiti in tractatu de sententia excommunicationis, & peculiaribus tractatibus de hac re, inter quos eruditè scripsit Vgolinus. Legatur P. Valentia in
Suarez. 3. p. dist. 7. q. 17. P. Suarez disp. de censu-
Auila. ris à disputatione octaua, P. Auila de cen-
Enriquez. suris P. Henriquez in sum. lib. 13. P. Vaz-
Vazquez. quez tractatu de excommunicatione, Couarr. in c. Alma mater, Summistæ verbo excommunicatio.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit excommunicatio.

POnendum est esse in Ecclesia potestatem excommunicandi, vt cōstat ex disputatione 1. & probat P. Vazquez tracta-
Vazquez. tu de excommunicatione dub. 1. & cōmuniter alij Doctores in principio huius materiæ. In quibus verò sit hæc potestas, dicemus infra suo loco.

Definitur autem excommunicatio à multis, *Quòd sit censura Ecclesiastica priuans ab aliqua communione fidelium.* Sic P. Vazquez: à qua reuera non differt definitio, quam tradit P. Suarez disp. 8. sectio. 1. nec ab ea, quam tradit P. Auila de censuris par. 2. difficul. 1. & à P. Valentia quest. cit. p. 1. & alijs multis, qui volunt definire excommunicationem in genere, vt comprehendat maiorem & minorem. Quæ definitio ex dicendis de effectibus excommunicationis intelligetur, & ex dicendis de alijs cēsuris facilè constabit, quomodo differat ab illis.

Vlterius ex dictis de effectibus maioris & minoris excommunicationis colligetur distinctio inter excommunicationem maiorem & minorem: est autem prædicta definitio consentanea Augustino ser. mo. 8. de verbis Apostoli: refertur capite omnis Christianus 11. quæst. 3. vbi dicitur, Christianum per excommunicationem ab Ecclesiastica communione remoueri: & fauent iura, quibus imponitur hæc censura, dum dicunt, Cōmunicatione priuetur, vel priuatus sit, vel quid simile, sæpe in Capo. nibus Apostolorum & Concil. Aurasiaco relatò cap. canonica 11. q. 3. Vnde definitio tradita à S. Tho. in additionibus ad 3. p. q. 21. art. 1. & alijs Doctoribus, quòd sit censura Ecclesiastica, qua priuatur quis communicatione Ecclesiæ, quantum ad fructus & suffragia solùm conuenit excōmunicationi maiori: nos verò cum citatis Doctoribus asignabimus definitionem vtrique excommunicationi communem.

Ex dictis facilè intelliguntur nonnulla

nulla, quæ in aliquibus Iurisperitis inuenit P. Suarez loco citato de varijs diffinitionibus excommunicationis.

Sed potest obiici ex doctrina tradita, se qui peccatum mortale esse excommunicationem, per quam homo priuatur gratia, & redditur indignus accedendi ad Eucharistiam, ac proinde videtur priuare ali qua communione externa, Gab. 4. dist. 8. quæst. 2. art. 1. not. 1. Ita loquutus est. Sed hic Doctor reprehéditur à Doctoribus, & eum refutat P. Vazquez dubio 1. quia talis priuatio non est censura Ecclesiastica, neque est necessaria ad solú peccatum mortale absolutio Ecclesiastica distincta ab absolutione Sacramentali. Vazquez

Hic posset disputari, an excommunicatio sit aliqua de iure diuino, de quo diximus dist. 1. vbi attulimus doctrinam P. Vazquez dubio 1. de excommunicatione.

DVBIVM II.

Quotuplex sit excommunicatio.

VVlgaris partitione diuiditur excommunicatio in excommunicationem maiorem & minorem: distinctio verò inter has sumitur ex effectibus diuersis; de quibus infra; & ex causa, propter quam fulminatur: vna enim requirit mortiferum peccatum; altera verò solum veniale, vt ostendemus.

Vtraq; videtur describi cap. penultimo de sententia excommunicationis, vbi sic dicitur: Excommunicatio maior est, quę à communione fidelium separat, minor quę à participatione Sacramentorum.

Vocari verò solet in quæstionem, an anathema differat ab excommunicatione maiori.

Et sciendum est, nomine anathematis censuram excommunicationis significari; & quod ad nomen attinet, habetur hoc nomen ad Rom. 9. quem locum explicat P. Vazquez 1. p. q. 24. in Com. art. 3. & ampliectitur idem in paraphrasi, & annotat in cap. 9. ad Rom.

Et vt dixit Iustinus Martyr quæst. 121. significat vel quòd Deo offertur, & Deo cõsecratur, nec sumitur in cõmunem vsum, vel quod culpę causa alienatũ est à Deo. In priori significatione sumitur art. 70. Num. 18. Nam vbi Vulgata habet, Omne, quod ex voto reddiderunt filij: Septuaginta habent, Omne anathema. In posteriori sensu sumitur Iosue. 6. & 7. & Deuter. 7. & hæc posterior significatio retinetur in aliquibus locis noui Testamenti ad Rom. 9. ad Galat. 1. ad Corinth. 12. & 16. & iuxta húc sensum vsu Conciliorum dicitur anathema, qui excommunicatur maiori excõmunicatione, vt legenti constabit per varia loca Conciliorum, & plures canones Tridentini, & ex varijs capitibus iuris Canonici, de qua P. Suarez distin. 8. sectione 2. qui bene notat anathema, cùm fertur ab homine significari excommunicationẽ cum quibusdam signis externis, & publica solemnitate: in iure verò solet poni ad grauitatem delicti significandam. Suarez

Contra definitionẽ verò excommunicationis minoris solet obijci, quòd proueniat à peccato mortali: sed hoc nullius est momenti, vt supra diximus.

Sed restat explicare dubium quoddam in sensu metaphysico, pro Theologis; & in sensu morali pro Iurisperitis, & Theologis; illud est, an excommunicatio dicatur vniuocè de excommunicatione maiori, & minori iuxta phrasim Theologorum; iuxta phrasim verò Iurisperitorum communiter nomine excommunicationis in iure intelligitur sola maior excommunicatio, vt quæ sit simpliciter excommunicatio; altera secundũ quid, & minus principaliter: & hoc posteriori sensu disputat hanc quæstionem P. Suarez disput. 8. sect. 3. de quo infra.

In priori verò sensu existimare posset aliquis, hæc duo conuenire analogicè in ratione excommunicationis, eoquod maior videatur simpliciter excommunicatio, minor verò secundum quid: non verò vniuocè cõuenire. Vnde & nomẽ, Excõmunicatio, simpliciter prolatum videtur significare maiorẽ: quod est signum analogiæ, posset verò dici, vel hanc esse analogiam proportionalitatis (si talis pura admittatur) vel attributionis, quasi id, quod est secundum quid tale, attributione quadam ad alterum extremum dicatur tale.

Secunda opinio posset esse asserentium talia extrema æquiuocè conuenire in nomine excommunicationis, quia nec analogicè conueniunt, cùm vnum extremum non sit tale per ordinem ad

ad aliud, neque vniuocè, cùm vnum sit tale simpliciter, aliud secundum quid.

Ego verò existimo, hæc duo extrema vniuocè conuenire: & probatur, quia non conueniunt æquiuocè, hoc est, in solo nomine: nam in prædicatis conueniunt: vtraque enim est censura Ecclesiastica, & priuant aliquo bono, vt constabit ex dicendis. Deinde non conueniunt analogicè, quia non analogia puræ proportionalitatis, quia hæc non significatur per nomen, vt cõstat, propter quod dixi in philosophia, hanc analogiam puræ proportionalitatis non esse admittendam: neque analogia attributionis, quia excommunicatio minor non est talis per ordinem ad maiorem, ab ea enim independenter habet suam essentiam, quia neque est causa illius, neque effectus, aut signum, neque talis est solùm metaphysicè, & per similitudinem ad aliam, verè enim habet ex se censuram esse Ecclesiasticam latam à iure, vel à iudice, priuantem passiua receptione Sacramentorum.

Ex qua doctrina constat ad argumenta aliarum opinionum.

Maioris momenti est dubium in posteriori sensu morali, nempe quid intelligatur in iure nomine excommunicationis absolutè prolato. Ex vna parte Gregorius Nonus cap. penultimo de sententia excõmunicationis, definit per excommunicationem absolutè prolatam intelligendam esse maiorem.

Ex alia verò parte aliqui sunt canones, in quibus nomen excommunicationis absolutè prolatum non potest de maiori intelligi. Citatur aliqua capita, quæ non cõuincunt: fauet verò caput 18. 11. quæst. 3. vbi dicitur, incurrere excommunicationem qui loquitur cum excommunicato: hæc verò, vt dicemus suo loco, est minor. Idem argumẽtum sumi potest ex cap. 63. de consecratione dist. 1. & similia capita citat P. Suarez supra, & alij. De hoc dubio agit P. Vazquez tractatu de excom. dub. 10. in fine, & fatetur nomine excommunicationis ex vsu intelligi maiorem.

Communis verò Doctorum sensus est, antiquitus quidem nomine excommunicationis aliquando intelligi minorem, iam verò communi vsu Ecclesiæ semper intelligi maiorem, vt docet Couarrub. in caput Alma mater 1. par. §. 8. num. 5. quia ita declaratum est à Gregorio Nono capite citato: & licèt textus loquatur de sententia lata ab homine, tamen vsus Ecclesiæ idem obtinuit in alijs.

Addendum verò est, doctrinam Gregorij intelligendam esse, quando aliàs ex materia, aut verbis non constat prolatam censuram esse de minori excommunicatione explicandam.

Aliæ sunt diuisiones excommunicationis, quæ ex dicendis intelligentur.

DISPVTATIO VIII.

De primo effectu excommunicationis.

Constitutum est apud Doctores excommunicationem maiorem priuare excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragijs, vt ex Iurisperitis, & Theologis relatis fideliter ostendunt P. Vazquez dubio 2. & P. Suarez. disputatione 9. sect. 1.

DVBIVM PRIMVM.

An sit graue peccatum hæc suffragia Ecclesiæ offerre pro excommunicato.

Diximus hoc esse certum apud Doctores. Quòd verò excommunicatio maior habeat effectum talis priuationis, constat ex vsu, est enim potestas ad hoc in Ecclesia, & eius intentio satis nota. Sed hinc oritur difficultas, quo sensu excõmunicatio possit dici medicinalis, si habet hunc effectum: de quo Doctores communiter, & P. Suarez sect. cit. & P. Vazquez dubio 1. Dicitur verò medicinalis, nõ quòd ex se bona sit, sed quòd ex intentione ferentis illam oriatur bonum, vt nimirum excommunicatus agnoscens suam culpam, & statum, resipiscat, & agat pœnitentiam. Vazquez

Ex dicta autem priuatione sequitur, prohibitum esse publicè orare pro excõmunicato. Hæc est communis doctrina, & sensus Doctorum.

Ex his verò facile est deducere, hoc peccatum ex suo genere esse graue, vt docuit S. Thom. quodlib. 11. art. 9. & alij: materia enim ex se grauis est.

Sed occurrit difficultas de vsu Ecclesiæ, quę in feria 6. Hebdomadę sanctæ orat pro excommunicatis. In qua difficultate laborant aliqui Doctores. Sed vt dixit P. Suarez supra, res est facilis: nam ea prohibitio non est de iure diuino, sed de iure Ecclesiastico: & ita potest Pontifex statuere, vt Ecclesia in eo die oret publicè pro excommunicatis.

DVBIVM II.

An liceat communia suffragia offerre pro excommunicatis iam iustificatis, nondum tamen absolutis ab excommunicatione.

NAuarrus in sum. cap. 27. num. 10. videtur affirmare, & repetit cap. 36. & in dicant alij, quos citat Nauarrus, & P. Suarez disp. 9. sect. 3. in princ. & ratio potest esse, quia non est credibile, Ecclesiam velle iustum hominem priuare his suffragijs, in cuius potestate non est hanc consequi absolutionem.

Sed contraria sententia videtur magis communis. Ita Adrianus q. 3. ad primum, Sotus 4. dist. 22. q. 1. Alan. lib. 2. de sacrificio Missæ cap. 31. P. Suarez loco allegato P. Vazquez dubio 2. & dub. 11. num. 13. Et ratio est facilis, quia censura fuit iusta, & habuit suum effectum, qui nō aufertur manente censura, censura verò non aufertur sola interna iustificatione; neque est positiuum ius Ecclesiæ, quod statuit pro hoc euentu, non perseuerare talem effectum. Et probari potest ex cap. à nobis declarato de sententia excōmunicationis, vbi statuit Pontifex excommunicatum mortuū sine absolutione à censura, etiamsi in eo præcesserint manifesta signa, indigere absolutione etiam post mortem, & quòd illa indigeat propter suffragia, vt docuit idem Pōtifex capite sacris eodē tit. dicit enim *ante absolutionem, neque oblationes, neque orationes recipiendas esse pro tali excommunicato.* Sed hæc capita fortè possent explicari de suffragijs sub peculiari publica oratione. Doctores verò disputant de orationibus generalibus: quod dici non potest, quia aliàs etiam posset quis dicere in occulto cessare alios effectus: quod nullus audet dicere.

Vazquez.

Neque argumentum contrariæ opinionis est alicuius momenti: item non est simile de eo, qui à principio fuit iniustè excommunicatus: nam in casu huius dubij ponitur fuisse excommunicationem ex iusta causa, ac proinde iustam: vnde non possumus dicere illam cessare sine absolutione.

Sed difficultas remanet, an si quis offerat orationes publicas pro hoc excommunicato, illi prosint, licèt aliàs offerens peccet?

Sermo potest esse & de operibus ipsius offerentis, & de sacrificio Missæ.

Si de operibus ipsius offerentis, facile est intelligere non prodesse per modum satisfactionis, quia opera ex applicatione, & fin, esunt peccata, eoquòd sunt prohibita: neq; prodest ex intentione Ecclesiæ; quæ est contraria potiùs.

Maior difficultas est de sacrificio Missæ. Et P. Suarez disp. 9. sect. 4. duo docet, vnum est, si Sacerdos offerat, vt minister Christi, & applicat pro excommunicato, prodesse illi. Probat, quia ablata indignitate, sola manet prohibitio, quæ illum non facit indignum: ergo sacrificium ex opere operato poterit illi prodesse. Secūdò explicat à simili de administratione Sacramentorū: nam aliquod Sacramentum potest excommunicatus prohibitus administrare, quod in suscipiente habebit effectum. Suarez

Secundum est, nomine Ecclesiæ non prodesse illud sacrificiū excommunicato, quia contraria est intentio Ecclesiæ; nec certat pro se, aut contra se, authorem aliquem.

Sed contrariam sententiam tenent Sotus 4. dist. 22. q. 1. artic. 3. P. Vazquez tractatu de excommunicatione dub. 11. & nu. 73. & tomo 3. in 3. par. disp. 217. c. 3 n. 26. & alij cōmuniter, qui absolutè docēt, hoc sacrificium non posse offerri pro excommunicato: & mihi placet. Ratio verò sumenda est ex dictis, quia censura fuit iusta, & non est ablata per solam internam iustificationem: ergo si habet Ecclesia veram potestatem excommunicandi, constituit hominem incapacem eius effectus. Aliàs sequeretur posse Sacerdotem sacrificium applicare pro excōmunicato peccatore, qui nō cōuertatur, & non solū pro excommunicato in statu iustitiæ, & pęnitenti Vazquez

tentiæ, quod est contra communem sensum Doctorum.

Vnde constat ad primam rationem, ad secundam constabit ex dicendis infra.

DVBIVM III.

An priuata oratione possit quis orare pro excommunicato.

IN Hac quæst. P. Suarez disp. 4 sectio ne vltima refert sententiam aliquorū, qui putarunt adhuc priuatæ orationis communicationem esse prohibitam, nec posse fidelem priuata oratione orare pro excommunicato, quia simpliciter est prohibita applicatio suffragiorum.

Communis tamen sententia est, non esse prohibitum orare oratione priuata pro excōmunicato. Ita sentit P. Vazquez dubio 2. & dicit esse communem opinionem quam cum S. Thom. 4. d. 18. sequitur Durandus ibi quæst. 3. Rich. artic. 7. q. 2. Gab. q. 2. dub. 1. P. Suarez sect. cit. & alij communiter. Hoc verò solet varijs modis probari, quia iuxta sensum communē Ecclesiæ non est hoc ab Ecclesia prohibitum.

Vazquez. Suarez.

Sed difficultas occurrit, an hoc posset fa cere Sacerdos in Missa, quando orat occultè, aut mentaliter: affirmant P. Suarez & P. Vazquez supra cum multis alijs Doctoribus, quia illa verè potest esse oratio priuata, & fieri à persona priuata, potest, & non nomine Ecclesiæ. Et mihi placet hæc doctrina.

Suarez. Vazquez.

Addit verò Syluester verbo excommunicatio 4. quòd potest Sacerdos orare pro illis in orationibus publicis Missæ, non nominando illas; quod nō videtur verū, cùm oratio illa fiat nomine totius Ecclesiæ vnde & de illa formaliter loquamur, non est verum, quod docuit Syluest. vt bene notauit P. Vazquez supra, quòd si Syluest. loquatur de intentione priuata concomitanti, vt aliqui volūt, verum dicit; sed illa non explicatur communi Ecclesiæ oratio ne. Ratio verò pro priori sententia ex dictis soluta manet.

Vazquez.

Quid verò sit sentiendum de hoc dubio post decretum Concilij Constantiensis, an fuerit aliquod peculiare statutum, vel nō, constabit ex dicendis.

Addendum est, effectum priuationis suffragiorum solum esse effectum excommunicationis maioris, non autem minoris: quod placet hic aduertere, vt infra facile sit explicare, quinam sit effectus minoris excommunicationis.

DISPVTATIO IX.

De alio effectu excommunicationis, qui est priuatio communicationis in Sacramentis.

DVBIVM PRIMVM.

Quod sit ius nouum Concilij Constantiensis.

DIcendum ante omnia est, decretum nouum sic referri à multis Doctoribus.

Ad vitanda scandala, & multa pericula, subueniēdumque conscientijs timoratis, statuit etiam, vt nemo deinceps à cōmunione alicuius in Sacramētorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscumque diuinis, vel extra prætextu cuiuscumque sententiæ, vel censuræ Ecclesiasticæ à iure, vel ab homine, seu suspēsionis, vel prohibitionis generaliter promulgate, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi censura, suspensio, prohibitio huiusmodi fuerit in, vel contra personam, Collegium, vel Vniuersitatem, Ecclesiam, aut locum certum à iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expressè, aut si aliquem in excommunicationis sententiam ita nouerit incidisse, ita vt nulla posit ter giuersatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari nam à cōmunione illius abstineri vult iuxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspēsos, interdictos, seu prohibitos, non intendit in aliquo releuare, neq; eis quomodolibet suffragari. Hoc decretū sub his verbis habetur in Concilio Basiliensi sess. 20. in fine, ex qua P. Suarez sect. 2. & alij recentiores illud retulere.

Deinde P. Vazquez dubio secundo refert aliud valde simile, quod tribuitur Concilio Constantiensi, vt infra dicam, in

Vazquez.

in decreto primo Concilij Constantiensis, tantùm excipitur percussor notorius clerici: Concilium verò Basiliense omnẽ notorium excommunicatum excipit: vnde de fallitur Nauarrus, cap. 27. num. 35. vbi putat idem esse decretum vtriusq; Concilij; sed, vt diximus, in aliquo differunt.

Difficultas verò est cui sit standum 1 & Sotus 4. d. 22. q. 1. art. 4. dicit standum esse Concilio Constantiensi, quia de Basiliensi dubitatum fuit, an fuerit schismaticum.

Vazquez. Sed P. Vazquez, & alij hoc refutant, licèt aliàs admittat seruandum esse decretum. Constat, quia decretum illud factum fuit ante schisma: quod putant colligi ex actis ipsius Concilij. Secùdò, quia tale decretũ approbatũ fuit à Martino V. & Nicolao V. Bullis quæ habentur 4. tomo Cõciliorũ, quantũ ad dãnationem quorundã articulorũ, & quantũ ad causas beneficiales & censuras. Tertiò, quia hoc decretũ fuit approbatum à Concilio Lateranensi sess. 11. statuimus quoque, & ordinamus, quod in regno: quod Concilium confirmatum fuit à Leone. X. Verùm negare non possumus, dubiam fuisse autoritatem Concilij Basiliensis. Quæ verò de censuris dicuntur, solùm intelligenda sunt de censuris, quæ ad ea negotia pertinebant, de quibus in Concilio agebatur, vt notauit P. Suarez.

Suarez. Necessarium autem est quod de Cõcilio Lateranensi dixit P. Vazquez. Habetur in 4. tomo Conciliorum secundum aliquas editiones, pagina 678. col. 1. in alia verò editione iussu Sixti Quinti habetur tomo 5. pagina 171. columna 2. & ita multi senserunt seruandum esse decretum Concilij Basiliensis, quos refert P. Suarez disp. 9. sect. 2. num. 4.

Nihilominus magis communis sententia est, quæ tribuit illud Concilio Constantiensi: sciendum enim est, in actis Concilij Constantiensis non reperiri hoc decretum; communiter tamen omnes authores illud recipiunt tanquam decretum Constãtiensis Cõcilij, vt notarunt P.

Vazquez. Vazquez, & P. Suarez, qui referunt plures Doctores asserentes decretum hoc esse Concilij Constantiensis.

Et quòd illi sit standum, docuit Vazquez 3. par. tit. 25. c. 3. tractatu de cẽsuris cap. 83. alias tract. de excommunicatione capit. 79. numer. 16. qui habetur tomo 4. tractatu diuersorum a summis (?) sequitur Caiet. in sum. verbo excommunicatio minor. Victoria in summa de excommunicatione num. 10. Adrianus 4. in materia de Euchar. questione penultima, Maior 4. distinctione 10. quæst. 3. Sotus 4. d. 22. quæst. 1. art. 4. P. Suarez, & multi recentiores, & P. Vazquz dubio illo 2. fatetur quòd licèt sit posterius decretum Concilij Lateranensis, tamen non est receptum, sed illud, quod tribuitur Concilio Constãtiensi, quod videtur à tota Ecclesia receptum, ob eam causam illud esse obseruandum. Vazquez.

DVBIVM II.

Quis dicatur notorius percussor clerici.

NOtat Pater Vazquez supra in sensu prædicti decreti non dici aliquid notorium, sicut aliàs dici solet notorium, quod est notum per sententiam, vel per confessionem eius, qui crimẽ commisit, vel per similia argumenta, vt habetur capit. vestra de cohabitatione clericorum. Vazquez.

Debet ergo tale crimen clerici esse notoriũ ex ipsa facti & operis euidentia, & hoc ita vt nulla possit tergiuersatione celari, vel iuris defensione excusari, vt habetur in ipso decreto: & ideo P. Suarez supra num. 11. affirmat non sufficere, quòd crimen occisionis clerici possit per testes probari. Idem docet non satis esse, quòd de tali delicto sit publica infamia sine euidentia facti. Suarez.

Rursus meo iudicio non sufficit notum esse homicidium, nisi constet occisionem esse clerici: nam excommunicatio hæc non imponitur ob solum homicidium, sed propter homicidum clerici. Vnde quamdiu dubitatur de hac circunstantia, non est crimen notorium in sensu requisito à Concilio, vt sit vitandus percussor.

Deinde requiritur, vt à multis visum sit homicidium clerici, ita apertè, vt nulla possit tergiuersatione celari: quod prudentis arbitrio iudicandum est, vt docuit P. Suarez.

Sed quæri potest, an qui vidit manifestè homicidium, teneatur vitare homicidium.

Ali-

Suarez. Aliqui respondent sub distinctione, docent enim considerandum esse, an ita fiat delictum, vt non censeatur publicum eo modo, & circunstantijs, etiamsi aliqui illud viderint, eo quòd prudenter iudicatur illos seruaturos secretum, & in hoc euentu non esse vitandum: secus si ex modo, & circunstantijs censeatur publicum. Quam distinctionem Pater Suarez iudicat probabilem; addit tamen primum membrum indigere limitatione, quia illud delictum ijs, qui illud viderunt, manifestum est, licèt respectu aliorum sit occultum, & ideo in hoc euentu seruandum esse ius antiquum, iuxta caput cùm non ab homine, de sententia excommunicationis, vt qui viderunt illud delictum solùm in occulto, teneâtur illum hominem vitare, non tamen coram alijs, quibus non est notum crimen.

Deinde quod in dicta extrauaganti dicitur, *neque aliquo modo iuris suffragio excusari*, quod intelligendum est de aliquo modo probabili, & qui habeat fundamentum aliquod: fuit enim finis constitutionis, tollere dubia ad vitandos scrupulos. Bene autẽ notauit P. Suarez, & alij, hanc doctrinam solùm esse intelligendam iuxta formam constitutionis.

Deinde in prædicta constitutione statutum est, vt non sit vitandus excommunicatus ante denunciationem, hoc est, ante quàm sit nominatim excommunicatus.

Sed difficultas est, an sufficiat esse nominatim excommunicatum, vel necessariũ sit esse denunciatum, sicut non sufficit generaliter esse excommunicatum, nisi sit etiam nominatim excommunicatus.

Aliquorum sententia est, solùm intelligi constitutionem de generaliter excommunicato, quòd non sit vitandus ante quàm nominatim denuncietur. Adrian 4. quæst. 5. de confessione dubio 9. Petrus Sotus de Conf. lect. 6. & lection. vltima, & alij: quia hoc videtur colligi ex textu.

Suarez. Vazquez. Sed contrariam sententiam docuerunt Pater Suarez disputatione citata, & sect. 2. num. 8. cum alijs Doctoribus, & P. Vazquez dubio 2. qui pro eadem opinione alios refert. Et probat ex verbis vtriusq; constitutionis Concilij Basiliensis, & Constantiensis: postquam enim dixerunt, quòd ratione censuræ, aut excommunicationis generalis, nemo teneretur vitare aliquem, addidit, nisi censura, vel sententia huiusmodi fuerit in, vel contra personam, & à iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expresse. Quæ verba frequentiori hominum sensu, ita intelligun tur, vt vnum non sufficiat, ita vt sicut non sufficit esse generaliter denunciatum, nisi sit specialiter, & nominatim, ita nec sufficiat esse nominatum re tantùm, nisi sit denunciatus, & publicatus: & quia hic sensus est maximè consentaneus intẽtioni Concilij: & ita P. Suarez docet, quantũ ad hoc illa verba non facere sensum distinctum, sed quatenus vnum verbum refertur ad censuram, alterum ad personã. Sensus ergo est, vt quando censura est lata à lege, non incurratur, donec à iudice feratur specialiter, & alias nominatim denũcietur persona, & publicetur: quando verò est ab homine, etiamsi feratur specialiter, & nominetur persona, non sit vitandus excommunicatus donec publicetur, & publicè denuncietur.

Docet etiam cum alijs P. Suarez, ita esse necessariam hanc publicationem, vt etiamsi hic iudex habeat sententiam declaratoriam, apud se nõ teneatur quis vitare excommunicatum ante publicationem.

Quæri solet, qualis debeat esse ista publicatio. Respondetur ex parte iudicis necessariũ esse, vt fiat aliqua actione externa, iuxta cõmunem vsum: ex parte verò subditorum satis est, si illis agnoscatur publicatio prudenti, & probabili modo, testimonio aliquorum, qui sint fidedigni.

Item addendum est, esse necessariam denunciationem, & publicationem censuræ absolutè, nec sufficere publicationẽ cẽsuræ sub conditione ferendæ, hæc enim respectu censuræ sub conditione conditionata tantùm est, & secundum quid denuntiatio, & publicatio.

Rursus sciendum est illum dici generaliter excommunicatum, qui generali sententia comprehenditur; neque signo aliquo proprio designatur: nominatim verò dicitur excommunicatus, qui vel proprio nomine, vel ratione oficij, aut dignitatis, similique aliquo signo quasi nomine designatur, vt bene notauit Maior, 4. distinctione 8. quæst. 2. & 3.

Sotus 4.distin.22. quæst.2 art.2. Couarr. in capit. Alma mater. §.2. num.8. Pater Vazquez, & Pater Suarez supra, & colligitur ex l. nominatim, ff. de conditionibus & demonstrationibus, l.1. & 2. ff. de liberis & posthumis, & per se videtur manifestum. An verò hæretici censeantur nominatim excommunicati; disputat infra P. Thom Sanchez.

Vazquez. Suarez.

Tandem notandum est, in vltimis verbis decreti Concilij Basiliensis approbati in Lateranensi, vt supra diximus, declarari, quòd Concilium nullum vult suffragium facere ipsis excommunicatis, vt manifestè constabit legenti. Quomodo verò iuxta decretum Concilij Constantiensis, sint vitandi, vel non sint vitandi hæretici, fuse. P. Thom. Sanchez in summa libro 2. capite 9.

Tho. San.

DVBIVM III.

An sit licitum Presbytero non excommunicato ministrare sacramentum alicui homini, excommunicato ante denunciationem, & publicationem nominatim factam.

IN Hac re Doctores aliqui docere videtur, non esse hoc licitum; alij verò contrarium indicant, non obscurè. Sed forsan non erit difficile, eorum aliquos in concordiam redigere, iuxta doctrinam, quam breuiter tradidit P. Vazquez dubio 2. à num. 12. & P. Suarez disp. 10. sect. 2.

Vazquez. Suarez.

Sciendum autem est, posse nos loqui, vel ex vi præcepti Ecclesiastici, vel ex vi præcepti diuini, & naturalis. Et quidem si de præcepto Ecclesiastico loquamur, certum videtur apud Doctores ablatum esse per Concilium Constantiense, & Lateranense. Vnde si Sacerdos conferat sacramentum excommunicato non vitando ex vi iuris positiui, non peccabit contra præceptum positiuum Ecclesiæ, neque incurret in censuram positam communicanti in sacris cum excommunicato.

Secundò, si loquamur ex vi præcepti diuini, & naturalis, sciendum est, excommunicatum non posse recipere sacramentum, & ita cùm scienter petit, peccat. Vnda Sacerdos qui agnoscit illum esse excommunicatum, non potest illi ministrare sacramentum, quia concurreret cum illo ad peccandum, quod est iure diuino, & naturali prohibitum: & supposita institutione sacramenti, tractandum est sanctè & religiosè, quòd violat excommunicatus petens administrationem sacramenti.

Vnde Concilium neque abstulit, neque potuit auferre obligationem vitandi excommunicatum in prædicto euentu: permanente enim excommunicatione, ille est indignus receptione sacramenti.

Ponendum verò est hoc loco, per se loquendo, peccare mortaliter excommunicatum recipiendo sacramentum, quia indignè recipit: est communis Doctorũ, quos refert, & sequitur P. Suarez disp. 10. sect. 1. Est enim prohibita talis receptio, & materia est grauis, & per sese constat. Et hoc de excommunicato excommunione maiori: nam de excommunicato minori excommunione infra dicendum est.

Addendum est, ministros Ecclesiæ non posse ministrare sacramentum excommunicato vitando, quia hoc est prohibitum non solùm iure diuino, vt constare potest ex dictis, sed etiam iure positiuo; & peccatum erit mortale, quia materia est grauis. An verò minister possit excusari ab hoc peccato, ex principijs generalibus iudicandum est. Et legi potest P. Suarez sect. 1. qui num. 7. explicat talem ministrum incurrere minorem excommunicationem, de qua infra. Item manet interdictus ab ingressu Ecclesiæ, cap. Episcoporum, de priuilegijs in 6.

Suarez.

DVBIVM IIII.

An sacramenta, quæ recipit excommunicatus, sint valida.

DE Sacramento pœnitentiæ dicemus infra: in Baptismo locum non habet, quia nullus excommunicatur ante receptionem baptismi: in alijs verò, posita materia & forma, non potest Ecclesia irritare illa: in matrimonio quidem posset irritare, quando parochus præsens matrimonio esset excommunicatus; sed non fecit, vt bene P. Vazquez dub. 4. num.

num. 2. sicut in simili de matrimonio præsente parocho excommunicato, diximus in materia de matrimonio: nam licèt Cōcilium Tridentinum requirat præsentiā parochi ad matrimonium, tamen non excludit parochum excommunicatum, & docet cum alijs P. Thomas Sanch. lib. 3. de matrimonio disp. 21. P. Henriquez libro 11. de matrimonio, cap. 3. P. Suarez disp. 11. sect. 2. num. 2. Simili ergo modo non est ab Ecclesia irritum matrimonium inter excommunicatos.

Tho. San. Suarez Vazquez.

Controuersia verò manet inter Doctores de sacramento pœnitentiæ, an sit validum, quando pœnitens est excommunicatus. Et quidem fatentur Doctores aliqui expresse fore nullum, quia excommunicatus petens sacramentum committit peccatum mortale, cuius contrarium sensit infra Caiet. omnino sine fundamento. Difficultas verò est, an licèt illud non cōmittat, validum sit sacramentum.

Aliquorum sententia est, tale sacramentum validum esse. Ita sensit Petrus Soto lect. 4. de excommunicatione. Couar. in cap. alma mater. 1 parte §. 6. num. 7. Caietanus in summa, verbo absolutionis impedimenta, & verbo excommunicatio minor. P. Suarez disp. cit. sect. 3. pro qua opinione licèt fiant aliquæ rationes, tamen præcipua debet esse, quòd nullo iure positiuo priuetur excommunicatus à receptione sacramenti pœnitentiæ, vt nulla sit absolutio ratione solius censuræ: quando aliàs accedit bona fide.

Sed multorum est contraria sententia, Sotus ita sentit 4. distin. 22. quæst. 1. art. 1. in fine Palud. d. 17 quæst. 6. artic. 1. Maior ibi quæst. 9. in fine, Ledesma 2. parte 4. quæst. 3. artic. 1. Gab. d. 17. quæst. 1. art. 3. dubio 2. Syluest. verbo confessor quæst. 3. casu 5. Anton. 3. part. tit. 14. cap. 19. §. 4. P. Vazquez dubio 4. citato. Pro qua sententia solent adduci plura argumenta: sed mihi placet propter argumentum, quo P. Vazquez, & alij vtuntur: nempe quia de excommunicatione minori videtur ita statutum: ergo multò magis intelligendum est de maiori ita esse factum. Antecedens probatur ex capite si celebrat, de clerico excommunicato, vbi sic dicitur. Peccat autem conferendo Ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata virtutis nō carent effectu, cùm non videatur à collatione, sed à participatione sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) remotus. Docet ergo, non esse remotum à collatione sacramentorum, & ideo collata virtutis non carere effectu: & eodem sensu affirmat, quòd sit remotus à participatione. Vel ergo illa verba tantum significant esse prohibitum à receptione, & tunc falsum esset dicere, quòd non sit prohibitus sacramenta conferre cum dixerit illum in collatione peccare: ergo eodem sensu affirmat, ita esse remotum à receptione, vt non recipiat validum sacramentum.

Vazquez.

Respondet P. Suarez loco citato ad tertium, excommunicatum minori excommunicatione nō esse priuatum actiua administratione sacramentorum, sed passiua. Sed hoc videtur contra textum, quia dicit ibi peccare illum conferendo Ecclesiastica sacramenta: ergo prohibitus est ille, licèt non sit priuatus iurisdictione.

Suarez.

DISPVTATIO X.

De Ministro administrationis Sacramentorum.

DVBIVM PRIMVM.

An ab excommunicato ante denuntiationem liceat sacramentum petere.

DE Hoc disputat P. Vazquez tractatu de scandalo, qui habetur tomo opusculorum in secunda secundæ, & quæstionis causa sumitur ex decreto Concilij Constantiensis supra relato, in quo ablata videtur prohibitio vitandi excōmunicatum ante denuntiationem modo explicato,

Vazquez.

In hac quæstione Couarrub. in caput Alma mater 1. parte relectionis §. 6. art. 7. post quintam conclusionem asserit à proprio Sacerdote licitum esse petere, & accipere sacramentum absque peccato scandali. De Sacerdote verò non proprio nihil dicit. Sotus verò 4. dist. 1. q. 5. artic. 6. & d. 22 quæst. 1. art. 4 & distinguit à Sacerdote, an sit priuatus ministrare,

strare sacramentum, an non: & docet licere petere à quocumque Sacerdote parato.

Deinde subiunxit, si sit proprius parochus, qui tenetur ex officio ministrare sacramentum, licitum esse petere ab eo sacramentum, etiam non parato: quia petendo vtitur iure suo.

Deinde post multa docet licitum esse petere à quocunque, siue paratus sit, siue non sit paratus: probat verò, quia in Concilio Constantiensi concessum est, vt quisque possit agere cum excommunicato non denunciato.

Deinde Adrianus quodlibeto 3. ad argumentum 3. ait quamuis non sit prohibitum petere sacramentum ab excommunicato ratione censuræ, aut præcepti Ecclesiastici esse illicitum, quia petens causa est, vt alter peccet. Idem videtur sentire Syluester verbo *Confessor* 1. quæstione 27. & fauet Nauarrus cap. 27. num. 33.

Sciendum est, excommunicatum administrantem sacramentum peccare post Concilium Constantiense, sicut antea: quia, vt supra vidimus in decretis Concilij Basiliensis, & Lateranensis, dicitur non esse intentionem Concilij aliquam indulgentiam concedere ipsis excommunicatis: & eodem sensu intelligitur Concilium Constantiense ab omnibus Doctoribus: & ita sensit Pater Vazquez opusculo de scandalo, vbi etiã docet, ex hac doctrina sequi non esse licitum petere sacramentum ab excommunicato, quando petens cooperatur peccato alterius. Vazquez.

Addit deinde, considerandum esse, an excommunicatus sit in eo statu, vt copiã absolutionis habere non possit: & in hoc euentu semper erit peccatum petere ab eo sacramentum, quia petit actum ab eo, qui non potest illum bene, vel male facere, sed necessariò faciet malè, si faciat. Si verò Sacerdos copiam habeat absolutionis, sed illam nolit dare, nec licitum erit petere sacramẽtum, si alij adsint. Quã regulam nos tradidimus secunda secundæ ad quæstionem 43. Deinde notat considerandum esse, an sit ministri peccatum ex infirmitate, vel ignorantia, abstinendum esse à petitione, donec ab ea liberetur; secus si peccatum sit ex malitia, vt di ximus generatim loco allegato. Hoc verò intelligitur, nisi petens æquè bene possit petere, & recipere ab alio non excõmunicato: & eamdem doctrinam tradidit tractatu de excommunicatione dub. 3. à num. 1. vsque ad 5. inclusiuè.

Ex dictis constat, leuioris momenti esse argumenta Soti. Sed quærere posset aliquis, cuius vtilitatis sit indultum Concilij Constantiensis, si fidelis non excommunicatus petens sacramentum ab excommunicato peccat? Respõdetur, quòd propter communicationem cum excommunicato non denũciato nullam incurrat censuram talis fidelis. Item, quòd fieri potest, vt recipiat veram absolutionem ab excommunicato illo, si petens aliqua ex causa non peccet: & tamen ante Concilia nulla esset absolutio. Quam doctrinã duobus locis allegatis tradidit P. Vazquez. Vazquez.

Ex tradita doctrina facilè est iudicare de his quæ P. Suarez docet disp. 11. sect. vltima. Suarez.

DVBIVM II.

An possit excommunicatus administrare sacramentum, ad vitandam propriam infamiam.

IN Præsenti quæstione variæ sunt opiniones. Aliquorum sententia est, in hoc euentu licitum esse communicare. Ita Nauarrus cap. 1. de pœnitentia distin 5. Castro lib. 2. de lege pœnali capit. vltimo, quia præceptum diuinum non obligat cum tanto periculo.

Secunda sententia est asserentium, non posse communicare in sacris etiam cum periculum adest propriæ infamiæ, eo quòd illa sententia est.

Couarrubias verò in caput alma mater 1. p. §. 2. num. 11. sequitur sententiam Syluestri.

Pater Vazquez dub. 3. num. 8. amplectitur sententiam Syluestri, quia talis communicatio est de iure diuino naturali prohibita, supposita excommunicatione, vt docuit Couarrubias 1. parte relect. §. 2. numero vltimo, & alij: quia ex natura rei est minister indignus talis communicationis, & separatus ab Ecclesia.

Addit

Addit excommunicatū, quando in Altari recordetur excommunicationis, non teneri relinquere Missam, ne se prodat: sed hoc non est quia perseuerante excommunicatione possit communicare; sed quia Ecclesia pro eo tempore non vult du rare excommunicationem: hoc enim face re potest, nō illud primū. Legatur 1.2.disp. 161.n.25.& 27.& tomo 3.in 3.part.disp. 208.c.2.n.12.§. Scio S.Thomā. Et hæc sen tentia mihi placet. Et nota, quòd in Missali Pij Quinti in rubricis de defectibus in Missa §.de defectibus dispositionis animæ dicitur: Si recordetur se esse excommunicatum, vel suspensum, &c. similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem: ante consecrationem autem si nō timeretur scandalum, debet Missam inceptam deserere.

Et Sanctus Thomas 3.parte quęstione 83.artic.6.ad secundum dixit, loquens de Sacerdote in altari existenti: & eadem ratio est, si metuerit se excommunicationi cuicumque subiacere; debet enim assumere propositum absolutionem petendi, & hic per inuisibilem Pōtificem Iesum Christum absolutionem consequetur, quantum ad hunc actum.

Vazquez. Addit P. Vazquez dubio illo tertio, ob infamiam posse excōmunicatum in alijs rebus distinctis à Sacramētis communicare, quòd ius positiuum non obligat cum tanto dispēdio: demum docet Concilium Constantiense abstulisse præceptum positiuum, & pœnas ob communicationem in Sacramentis; sed non potuit auferri ius naturale diuinum, manente excommunicatione. Tradita verò doctrina obseruāda est pro multis casibus.

DVBIVM III.

An possit in aliquo casu excommunicatus vitandus administrare Sacramenta.

DIfficultas est post denuntiationem, & publicationem nominatim factā: legatur P. Suarez disputatione vndecima sectione secunda.

Prima sententia negat esse licitum, Syluester verbo excommunicatio.5.num.6. Nauarrus capite inter verba 11.quæst.3. præludio 3.articulo 8.& alij.

Ponendum est cum Patre Vazquez, dubio 4. Sacramenta esse valida; excepto Sacramento Confessionis: quia talis ex communicatus non habet iurisdictionem, quā concedit Ecclesia: illam enim applicationem materiæ abstulit per excommunicationem.

Item ponendum est, quod vt certum tradunt Doctores (vt notat P. Sotus distinctione vndecima sectione prima in principio) hanc administrationem ex se esse peccatū graue. Difficultas est, an metu mortis possit talis excomunicatus administrare Sacramenta: & quod Sacramētum pœnitētiæ sit nullum, docet cum cōmuni sententia P. Suarez disputat. vndecima sectione secunda num.12. Non defuerunt qui dicant posse administrare ad vitandum periculum hoc. Et ratio est, quia lex non obligat cum tanto periculo. P. Vazquez dubio 7. num.15. docet apertè in Sacramentis licitam non esse talem cō municationem; neque illi licere administrare, quia semper datur, vel recipitur ab indigno, nēpe ab excommunicato: & est de iure diuino naturali hoc præceptum, ac proinde nunquam licet, & tomo 4.in 3. part.q.93.artic.1.à num.16.& num 17.refert sub distinctione varios modos philosophandi, & citati dubij 7. doctrinam tradidit.1.2.disp.161.c.vltimo num.27. addidit tamen: Possemus dicere licitum hoc esse, non quia licitum sit manēte excommunicatione, sed quia pro tali euentu Ecclesia non vult aliquē excōmunicare. Quę sentię mihi placent, & videntur rem hanc exactè explicare: nec probo id, quod Suarez disp.11 sectione 1.n.10. videtur dicere non posse excommunicatū metu mortis communicare alium. Suarez. Vazquez.

Hic disputant alij, an in articulo mortis alterius posset hæreticus, vel excommunicatus ministrare illi Sacramenta quando non est alius. De quo legi potest P. Suarez d.11.sect.2. de quo egit P. Vazquez 4 tom.in 3.par.quest.93.ar.2.dubio 4.& nos diximus in materia de Pœnitentia. Vazquez.

Hic quoque solet disputari, an lex humana possit obligare cū periculo vitæ de qua P. Vazquez, tractatu de excommunicatione dub.7.& 1.2.disp.161.

Solum hoc loco restat soluere difficilē obiectionem desumptam ex capite sa-

cris

cris, de his quæ, vi metusve causa fit, vbi interrogatum est Pontifici, an peccaret, qui cum excommunicato communicaret Respōdit autē Innocen. III. his verbis: Distinguimus autē, vtrum is, qui cōmunicat cum excommunicato, inuitus sit per coactionem, aut per metum adductus. In primo casu talem non credimus excōmunication teneri, cùm magis pati, quā agere videatur. In secūdo licèt metus attenuet culpam; quia tamen non eam prorsus excludit, cùm pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari. Videtur ergo sentire Pontifex, non esse licitum etiam ob metum communicare cum excommunicato.

Hunc textum variè explicant Doctores: legatur P. Vazquez, qui ex alijs Doctoribus varias refert explicationes: & tractatu de excommunicatione dubio 1. nu. 16 breuissimè duas retulit explicationes, vt textus intelligatur; vel quando est metus leuis; vel quando incutitur in contēptum fidei: disputatione verò 161. cap. vltimo prima secundę, videtur admittere expositionem, quam ibi refert ex Couarrub. in caput, *Alma mater*, prima parte §. 3. num. 9. vt intelligatur de metu leui, ratione cuius nullo modo licet communicare cum excommunicato, quia non excusat ab obligatione præcepti humani: addit tamen P. Vazquez ibidem hæc verba: Cæterùm cùm loquatur Pontifex de peccato mortali, intelligi etiam debet textus de communicatione illa, in qua peccatum mortale non est, & quòd vult loqui de metu mortis: & expēdit rationes Pontificis dicentis: Cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere: quæ ratio optimè quadrat, etiamsi intelligatur de metu mortis, non quod velit Pontifex vrgenti metu mortis non esse licitam eam communicationem; sed quòd peccatum si esset, non posset committi propter vllum metū. Ex quo rectè sequitur non esse communicandum cum excommunicato propter leuem metum, qui non excusat à peccato. Et sciendū est P. Suarez dis. 15. sectione 2. nu. 13. explicare prædictum caput de excōmunicatione, quæ est intrinsecè mala, & non ex prohibitione iuris positiui. Legatur disp. 6. sect. 3. n. 10. & lib. 3. de legibus cap. 3. in fine. Nos tamen contendimus in casu huius dubij communiter non esse intrinsecè malum.

Tandem aduertendum est cum aliis Doctoribus in materia de Pœnitentia, quando non est alius sacerdos, qui possit existentem in articulo mortis absoluere, posse excommunicatum illum absoluere, quia Eclesia pro eo euentu vult auferri excommunicationem.

Difficultas verò est, si contingat parochum esse præsentem, excommunicatum tamē, alium verò simplicem Sacerdotem etiam ibi adesse, quis istorum posset absoluere hominem in eo articulo existentem.

Aliqui in casu baptismi putāt præferendum esse parochum: ita sensit Vgolinus tabula 1. cap. 23. §. 17. num. 10. & probant aliqui recentiores, quia in eo articulo omnes Sacerdotes sunt habiles ad absoluendum ex voluntate Ecclesiæ: ergo parochus etiam est habilis, ac proinde præferendus, & ipse poterit absoluere existētem in eo articulo mortis.

Pro explicatione reuocandum est in memoriam quod docuimus in materia de pœnitentia, in articulo mortis concessum cuilibet Sacerdoti, vt existentem in eo articulo possit absoluere: quod intelligendum est deficiēte proprio, ita vt in præsentia illius alius non possit absoluere. Ita docuit Ledesma 2. p. 4. quæst. 26. art. 1. Sotus 4. d. 18. quæst. 4. artic. 4. P. Molina tomo 4. de iustitia d. 63. qui docet sic fuisse declaratum à Gregorio Decimoterrio. Eandē doctrinam tradidit P. Suarez tomo 3. in 3. parte disp. 11. sectione 1. num. 10. & 11. P. Vazquez tomo 4. in 3. p. quæst. 39. articulo 1. dubio 4. num. 18. Ex hac verò doctrina deducitur fundamentum contrariæ sententiæ falsum esse, nempe in prædicto articulo omnes Sacerdotes fieri habiles ad absoluendum, etiamsi alius sit præsens, qui possit absoluere: in prædicto ergo casu P. Suarez docet præferendum esse simplicem Sacerdotem, & quòd talis simplex sacerdos possit absoluere existētem in articulo mortis, quia parochus est excommunicatus; nec censetur auferri cēsura, nisi quando nullus alius adest. Probabilius verò est, Ecclesiam in eo euentu concedere iurisdictionem simplici Sacerdoti, vt possit auferre censuram impositam excommunicato.

DIS-

Vazquez.

Suarez.

Suarez.

DISPVTATIO XI.

De cōmunicationis prohibitione in alijs rebus sacris præter Sacramenta.

DVBIVM PRIMVM.

An excommunicatus priuètur externa communicatione in Missa audienda.

POnendum est, vt certum, excommunicatum priuari facultate audiendi Missam, cap. Responsis, & cap. nuper de sententia excommunicationis: vnde non potest interesse sacro, aut illi inseruire, vt cū communi Doctorum docuit P. Suarez supra d. 12. sect. 1. & violatio huius prohibitionis graue peccatum est, vt Doctores fatentur. Suarez

Sed dubitari potest, an si in casu, quo Sacerdos non excommunicatus teneretur dicere Missam, & non haberet alium ministrum, nisi excommunicatum non denūciatum, posset vti ministerio illius. Et Pater Suarez loco allegato affirmat, vt probabile, & explicari potest, quia in illo potest considerari vel indignitas personę, si est in peccato mortali; & hæc ratio non impedit, quia ad inseruiendum Missæ non est status gratiæ necessarius, vel prohibitio Ecclesiæ comparatione talis officij, & hæc credi potest pro tali euentu suspendi ab Ecclesia. Quæ doctrina intelligēda est quando grauis vrgeret causa faciendi Sacrum, vt alias, vt sæpe diximus, Concilium Const. nullum fauorem vult cōcedere excommunicato: vnde etiamsi non sit denunciatus, priuatur hac communicatione.

Addendum est, propter delictum audiēdi Missam non incurrere excommunicatum aliam pœnam, vt loco allegato docuit P. Suarez, quia in iure nulla est imposita.

Si verò loquamur de excommunicato vitando post denuntiationem, idem dubium esse potest, an in casu necessitatis possit inseruire Missæ: in quo consideranda est grauitas necessitatis.

Hoc loco posset quęrere aliquis, quomodo peccet Sacerdos celebrans coram excommunicato vitando. Et ponendum est, hanc communicationem cum excommunicato esse prohibitam, cap. is qui de sent. excommuni. in 6. vbi in specie de celebratione fit mentio, propter hanc verò communicationem incurritur excommunicatio minor, vt ex dicendis de excōmunicatione minori constabit.

Occurrit verò difficultas quid debeat facere Sacerdos quando non potest expellere ab Ecclesia ipsum excommunicatum Legatur P. Suarez supra, P. Vazquez dub. 8. 5. secundo non licet. Suarez. Vazquez.

Et primò, si Missa non est incepta, & superueniat excōmunicatus, conandū est, vt expellatur per admonitionē, & per coactionem, si necessaria fuerit: quod si non sufficiat, distinctione opus est; vel enim deuentum non est ad consecrationem, vel est deuentum: si non est deuentum, omittenda est Missa, vt docuerunt P. Suarez, & alij. Suarez

Si tamen facta est consecratio, perficiēda est Missa, quia sacrificium perficiēdum est ex iure diuino, de quo in materia de sacrificio Missæ, vel in materia de Eucharistia: & in casu huius dubij hæc est communis doctrina. Ita sensit Gabr. 4. dist. 18. q. 3. art. 3. dubio 2. Sotus dist. 22. q. 1. art. 4. P. Vazquez supra. Vazquez

Restat aliquale dubium inter authores, an sit omittenda Missa post inceptum Canonem, etiamsi consecratio non sit facta. Et P. Suarez supra refert contrarias sententias, & dicit rem esse vtrinque probabilem, & liberum esse Sacerdoti, quam voluerit partem eligere, quamuis tutius putet ante cōsecrationem omittere Missam, & si canon sit inceptus, P. Vazquez solum dixit, non esse Missam relinquendam dicto canone. Vazquez.

Item affirmant Doctores perficiēdum esse sacrificium vsque ad sumptionem Sacramenti, cap. relatum, de consecratione dist. 2. vel quia est de essentia sacrificij, vel ad perfectionem eius: quæ verò post sumptionem sequūtur, omittenda esse, ne dicantur coram excommunicato. Ita P. Vazquez supra. Vazquez

Rursus sciendum est prohibitum esse, ne alij cum excommunicato eandem Missam audiant, vt docuit P. Suarez supra num. 15. P. Vazquez. Ex qua doctrina P. Suarez

Suarez. Suarez, & alij inferunt, quòd si excommunicatus ingrediatur Ecclesiam, & velit audire Missam, & facta consecratione, teneantur alij audientes, excepto Ministro, si non potest eum expellere, relinquere Missam, quia strictius est præceptum non communicandi cum excommunicato, quàm audiendi Missam. Notat verò *Vazquez.* *Suarez.* Sotus, P. Vazquez, & P. Suarez, & alij non esse communicare cum excommunicato, si quis audiat vnam Missam, & ille aliam; vel si sit excommunicatus in Ecclesia non audiens Missam.

Restat explicare, an sit prohibitum sumere Eucharistiam in eadem Missa ab eodem Sacerdote cum excommunicato.

Negauit Durandus 4. dist. 18. quæst. 5. num. 7. eoquòd isti non videantur inter se communicare. Sed fallitur apertè Durãdus, & contrarium docuit Palud. dist. 18. q. 6. Sotus dist. 22. q. 1. art. 4. & alij, quos citat, & sequitur P. Suarez supra num. 16. *Suarez.* *Vazquez.* P. Vazquez loco allegato num. 7. Et ratio est, quia qui in eadem Missa sumunt Eucharistiam, excommuni vsu & sensu cõmunicare dicuntur, & ad eandem mēsam spiritualē accedere, ac proinde vnionem aliquam moralem habere: propter hanc verò communicationem in eadem Missa audienda, vel in ea sumēda Eucharistia, solùm incurritur excommunicatio minor, vt constabit ex dicendis de excommunicatione minori.

Vazquez. Docet verò P. Vazquez vbi proximè, posse aliquem metu mortis in communicatione audiendi Missam, vel sumendi Eucharistiam in eadem Missa communicare cum alio metu mortis: quod ex dictis supra constare potest.

DVBIVM II.

Quæ sint alia diuina officia, quibus excommunicatus priuatur.

NOmine diuini officij cõprehenditur in hac materia officiũ canonicum septem horarum, item publica processio, ad quam populus fidelium concurrit; & celebrare, vel audire Missam, de qua iam diximus.

Concio verò sacra non censetur prohibita excõmunicato, ex capite responsio, de sententia excõmunicationis: & docet communiter Doctores, P. Suarez sect. 2. P. Vazquez dubio illo octauo. *Suarez.* *Vazquez.*

Docent verò authores, communi Ecclesiæ sensu prohibitum esse excommunicato concionari.

At Sotus, & P. Suarez putant hanc prohibitionem intelligendam esse de excommunicatis denunciatis, non alijs: quod aliquibus non probatur, quia Cõcilium Constantiense noluit excommunicatis fauorē concedere: sed Cõcilium abstulit in fauorem fidelium: & sic potest intelligi. *Suarez.*

De lectione sacræ Scripturæ, aut Theologiæ difficultas est, an censeatur prohibita, dum prohibetur communicatio in diuinis officijs, ita vt sit prohibitum audire, vel legere talem lectionem.

Aliqui docent talem communicationē prohibitam, sed non satis explicant, an sit prohibita tãquam communicatio in diuinis, vel tanquam aliæ communicationes humanæ. Legatur P. Suarez dispu. 12. sect. 2. num. 5.

Alij verò dum dicunt licitum esse excõmunicato audire concionem expresse, faciunt etiam mentionem lectionis Theologiæ. Vnde P. Vazquez dubio. 8. num. 4. in fine dicit, excommunicatum posse audire cõcionem, & lectionem Theologicā, *Vazquez.* & alios posse cum illo eandem concionem audire.

Mihi placet primò, hanc communicationem non esse prohibitam, vt diuinam: cùm enim concionis communicatio non sit prohibita, multò minus censebitur prohibita lectio Theologica: quod intelligo, non solùm tam respectu excommunicati non vitandi, quàm respectu vitandi: vnde nec magister tenebitur omittere lectionē, neq; condiscipuli ab ea discedere. Sotus sane concedit, magistrum posse respondere discipulo excommunicato interroganti aliquid circa lectionem ipsam: quod P. Suarez non vult admittere, nisi *Suarez.* quando responsio esset futura vtilis ad cõuersionem, & pœnitentiam excommunicati, & meritò: aliàs ea communicatio prohibita est, vt constabit ex dicendis.

Deinde circa diuina officia dicendum est, prohibitum esse clericis excommunicatis solemniter canere Euangelium, vel Epistolam.

Item omni excommunicato prohibitũ est, ne laicorum more his officijs inseruiat:

uiat: est enim communicatio in diuinis. Est autē violatio huius prohibitionis peccatū mortiferum secundum communē sententiam Theologorum 4.dist.18.vbi S.Th. infra quęst.2.art.4.q.3. ad 1.& alij quos refert,& sequitur P.Suarez supra num.6. est enim grauis materia,vt constat.

Suarez

Hinc disputant aliqui,an excommunicatus teneatur horas canonicas recitare: de quo diximus tractatu de horis canonicis:& legi potest P.Suarez hic disput.12. sect.2. à num.13.P.Vazquez dub.8.num. 9.tractatu de beneficijs cap.16.in princ. Hic tamen potest disputari,an possit excommunicatus priuatim recitare horas canonicas cum socio.

Vazquez

Et videtur affirmare Nauarrus in summa cap.27.n.36.videtur enim hæc oratio priuata,& nō prohibita.Secūdò,quia potest esse hæc cōmunicatio vtilis ad cōuersionem excommunicati.Tertiò,quia non orat vt minister Ecclesiæ.

Sed contrarium docuit Couarrubias c. Alma mater 1.par.§.3.num.8. & videtur idem sensisse Nauarrus de oratione cap. 10.num.16. P. Suarez disp. illa 12.sect.2. num.17.aliquo modo:& probandum est, quia illa est communicatio in diuinis,quę est prohibita:& ita habet communis sensus;& vt notauit P.Vazquez,fatentur Authores non posse istum dicere, *Dominus vobiscum*,quòd verba illa communicatio nem significare videtur. Quando verò sit graue, vel leue peccatum violare prohibitionem in prædictis rebus,facile est iudicare ex materia,& alijs circunstantijs. Rursus de pœna,quā incurrat clericus ex communicatus contra prædictum præceptum,dicetur in materia de irregularitate.

Suarez

Vazquez

Addendum est,clericis non solùm esse prohibitum prædicta diuina officia celebrare,sed neque illis interesse:vnde non potest facere,vt ipso præsente celebretur cap.illud,de clerico excommunicato ministrante,cap.is qui de sententia excommun.in 6.

Item sicut nullus potest audire Missam præsente excommunicato, ita neque alia diuina officia prohibita:& videtur obseruanda esse quæ de Missa diximus.

(.§.)

DUBIUM III.

An excommunicatus priuetur vsu Ecclesiæ,& Sacramentalium rerum.

IN Hoc dubio dicendum est, non esse prohibitum excommunicato vsum rerum sacrarum:de tali enim prohibitione non constat;imò vsus declarat contrarium.

De ingressu in templa est aliqualis controuersia,an sit licitum excommunicato, quando non celebrantur diuina officia.

Glossa in cap.primum dist.21.putat nō esse licitum,& sequūtur aliqui Iurisperiti sine idoneo tamen fundamento.

Contraria sententia communis est,quā docuit S.Thom 4 dist.18.quæst. 6.art.1. sect.3.& vsus Ecclesiæ satis ostendit; neque vlla est lex,quæ talem ingressum prohibeat.

Deinde disputatur ab aliquibus,an vsus aquæ benedictæ sit prohibitus excommunicato:& aliqui affirmant esse prohibitā, ex eo quòd illa est benedicta per orationem Ecclesiæ,vt ex impetratione Ecclesiæ prosit fidelibus:& ita cùm Ecclesia priuat excommunicatum omni oratione, videtur plane priuare vsu aquæ:& ita fatetur P.Suarez sect.3. si vsus aquæ illius fiat ex intentione faciendi orationem Ecclesiæ,secus si alia intentione fiat.

Alijs verò non videtur prohibitus vsus aquæ benedictę,quia hoc nō videtur expressum aliqua lege Ecclesiæ: & quod dicit de priuatione suffragiorum,intelligi,vt tempore excommunicationis non fiant suffragia communia Ecclesiæ pro excommunicato; secus de applicatione,& vsu aquæ benedictæ.

Meum iudicium est,secundā opinionem esse piā,sed primā esse magis probabilem.

De Ecclesiastica sepultura, dicendum est excommunicatum priuari tali, si moriatur ante absolutionem,cap. sacris de sepulturis,& Clementina prima eodem titulo,& est cōmunis Doctorum,P.Vazquez dubio 7. nu.10.& specialiter de hæreticis, & eius fautoribus,cap. 2. de hæreticis in 6.& licèt moriatur cum signis contritionis,non potest sepelire donec à censura absoluatur.

Vazquez

Vnde

Vnde dicitur etiam in dicto cap. sacris, si contingat corpus excommunicati sepeliri in Ecclesia, exhumandũ esse, & reiicie dum extra Ecclesiam, & locus reconciliandus est.

Deinde dicendum est, hoc secundum iura antiqua intelligi de omnibus excommunicatis: post Conciliũ verò Constantien se intelligendum de his, qui sunt denunciati nominatim, non de alijs: quia prohibitio directè fertur in alios, ne sepeliant, & illis voluit fauere Concilium. Notetur etiam de alijs, quæ solùm prohibentur iure positiuo Ecclesiæ post Conciliũ Constant. non manere prohibitionem respectu fidelium ante denunciationem, & abstrahi prohibitionem Ecclesiasticam: legatur P. Suarez disp. 12. sect. 4. & tom. 3. in tertiam partem disp. 8. sect. 3.

Restat explicare quid in hac materia intelligatur per locũ sacrũ. Primò intelligitur templũ. Secũdò cœmeteriũ, quod solet esse benedictum, & deputatum ad sepeliendos fideles. Item locus, in quo cõsuetuit dici Missa, etiamsi aliàs non sit consecratus, aut benedictus, ipsa namque Missæ celebratione sacratur, vt dicitur cap. Ecclesiæ, de immunitate Eccles. De loco vicino Ecclesiæ, vel cœmeterio, dubitãt Doctores. Sed bene respondet P. Suarez sect. 4. num 7. considerandum esse, an locus communi sensu censeatur prophanus, vel Sacer. De pęna imposita sepelientibus ex communicatum in loco sacro legatur P. Suarez supra, qui bene ostendit hunc excommunicatum priuari honore Ecclesiastico, quo solet defunctus sepeliri: quod colligitur ex varijs iuribus, & constat ex communi sensu.

Suarez.

DISPVTATIO XII.

De prohibitione ciuilis & politicæ communicationis cum excommunicato.

DVBIVM PRIMVM.

An excommunicatus priuetur omni communicatione ciuili & politica.

Certum est, priuari excommunicatum communicatione ciuili, exceptis quibusdã casibus, de quibus infra. Ita Scholastici in 4. d. 18. quæst. 4. art. 1. & Summistæ verbo excommunicatio, P. Vazquez dub. 8. nu. 8. P. Suarez cum alijs disp. 15. sect. 1. sumitur ex capite nuper, cap. penultimo, de sententia excommunicationis, ex cap. 2. de exceptionibus, & habentur multa capita 11 quæst. 3. ex quibus sumuntur illę voces, ad quas Doctores reduxerunt effectus excõmunicationis *Os, orare, vale, cõmunio, mensa negatur.* Per os intelligitur communicatio per verba: vt explicat P. Vazquez, & alij: *Orare* significat communicationem in oratione, & suffragijs: de quibus supra: *Vale* significat omnegenus salutationis: deinde: *Cõmunio* significat cõmunicationem ciuilẽ. Item prohibetur communicatio eadem mensa. Per os aliqui putant comprehendi non solùm communicationem per verba, sed alia, vel signa beneuolentiæ.

Vazquez. Suarez.

Vazquez.

Quod verò attinet ad prohibitionem salutationis, videtur desumpta hęc prohibitio ex illis verbis Ioannis, Neque Aue ei dixeritis: quod de hęreticis & schismaticis intelligendum est, & habetur capite omnis 24. quęst. 1.

Sciendum autem est, in prohibitione communicationis per verba comprehendi communicationem per litteras, vt notauit Couarr. in cap. Alma mater 1. part. §. 1. P. Vazquez dubio 8. num. 3. & 5. circa quod potest esse difficultas de modo, quo quis debeat se gerere cum excõmunicato absenti, vt sine scrupulo possit illi scribere, si scribens prudenter iudicet illum, ad quem scribit, non esse excommunicatum, non peccat scribendo, quando nihil omnino audiuit de excommunicatione alterius, quòd si aliquid audiuit, nõ potest scribere, & communicare per litteras, donec prudẽter putet illum iam esse absolutum: quod si scripsit putans non esse excommunicatum, vel iam esse absolutum ab excõmunicatione, & tamen reuera est excommunicatus, & non est absolutus, nihil mali fecit scribens qui prudẽter se gessit: quòd si communicatio fiat per famulum, & tamen dominus aliquid audiuit de excommunicatione alterius, tenebitur monere famulum, vt illum non alloquatur ante quàm sciat sit ne excommunicatus vel non.

Deinde quod dicitur de salutatione, intelligitur de salutatione per verba, ita vt non

non sit prohibitum aliud signum reuerentiæ, verbi gratia, aperire caput, & similia signa, quæ vrbanitatis causa fieri solent excommuni hominum more. Ita philosophatur Sotus, quamuis cum scrupulo in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. Angelus verbo excōmunicatio 8. num. 5. Antonin. 3. p. num. 25. cap. 2. cui opinioni fauet consuetudo.

Vazquez. Sed P. Vazquez dubio 8. num. 5. & P. Suarez disp. 15. sect. 1. contrarium docet, eoquòd prædicta signa excōmuni vsu instituta sunt ad salutandum, vel resalutandum, estque in eis communicatio quædam publica.

Item prohibitum est comedere in eadē mensa, vt tradunt citati Doctores: & legi potest Nauarrus cap. 27. à num 17. P. Vazquez, & P. Suarez supra.

Speciatim verò docuit Nauarrus hoc esse intelligendum non solùm quando simul sunt in eadem mensa, sed etiamsi sint in diuersis. Verùm in hoc considerandum est, an illæ mensæ censeantur vna morali consuetudine, vel non: si enim solùm physicè sint diuersæ, moraliter tamen excommuni sensu censentur vna, prohibita est talis communicatio; secus si sint moraliter diuersæ, & in diuersis cubiculis sint positæ, licèt sint in eadem domo: tunc enim non censetur communicatio in mensa.

Vnde non placet quod dixit Durandus 4. dist. 18. q. 5. docet enim, quòd si aliquis prius inuitauit excommunicatum, & postea inuitauit alium nō excommunicatū, iste secundus non communicat cum excōmunicato, quia illi non cōmunicant inter se, sed ad summū ille qui inuitauit. Hoc tamē refutat P. Vazquez loco citato n. 5. & 6. eoquòd illi reuera communicent in eadem mensa ex communi hominum vsu: hæc verò communicatio prohibita est, etiamsi illi inuitentur ab aliquo vno tertio: quod obseruandum est pro communicatione cum excommunicato in eodem cubiculo, aut lecto; est similis de quo P. Suarez supra num. 8. qui num. 8. in fine putat non esse prohibitum lauari in eodem balneo simul cum excommunicato.

Suarez.

Vazquez.

Verùm P. Vazquez dubio citato §. 4. negatur mensa; eodem modo loquitur de mensa, & balneo, sicut etiam multi alij: & mihi hoc placet; & in balneo parum spatij, vt ex similitudine temporis, & status, possit colligi politica aliqua, & humana communicatio.

DVBIVM II.

Quale peccatum sit communicatio ciuilis cum excommunicato.

MVltorum sententia est, communiter loquendo, ex obiecto hanc communicationem solum esse peccatum veniale. Ita sensit S. Th. 4. dist. 8. q. 2. art. 3. & quodlibeto art. 9. Nauarrus in summa cap. 27. num. 30. Couarrubias in caput, *Alma mater* §. 3. num. 3. & 8. P. Suarez disp. 15. sect. 2 materia enim leuis videtur, secluso scandalo, & contemptu.

Vnde nō sunt audiendi aliqui Iurisperiti, qui dixerunt esse mortale, vt refert P. Suarez, quamuis aliquando posse esse mortale dicemus infra disp. 17. dubio 7.

Hostiensis verò in summa, titulo De sententia excōmunicationis distinctione vtitur, & docet excommunicationem latā ab homine obligare sub mortali; latā verò à iure solùm veniali. Quam distinctionem censet improbabilem P. Suarez vbi proximè, & reuera non habet apparens aliquod fundamentum. *Suarez.*

Sed dices, colloqui per multum temporis, aut simul comedere in eadem mensa, videtur materia satis grauis, & actio, quæ in alijs præceptis posset esse materia grauis: ergo & in hac. Respondent dicendo, has actiones in ordine ad solum conuictum humanum per se non esse magni momenti. Quod faciliùs intelligetur ex his, quæ dicemus de casibus, in quibus licet cum excommunicato communicare. Considerare verò opus est num, & eandem rem cum aliqua circunstantia, vel relata ad vnum finem, posse esse grauem, non tamen relatam ad alium.

Solùm est aduertendum, P. Suarez, & aliquos alios colligere hoc peccatum esse veniale, quia nō est credendum, Ecclesiam voluisse obligare sub mortali. Sed hoc dictum supponit doctrinam asserentium posse legislatorem in materia graui obligare sub peccato veniali. Quæ opinio mihi non probatur, quam in materia de legibus refutat P. Vazquez prima secunde.

Sed potest obijci caput, Significant, de sententia excōmunicationis; vbi dicitur, quod illa excōmunicatio, quæ incurritur

propter communicationem cum excommunicato, sit maior.

Varias explicationes huius capitis refert P. Vazquez dubio 10. Prima est Rich. 4. dist. 18. qui docet intelligendum esse de excommunicatione, quæ dicitur maior per similitudinem cum illa in passiua sacramentorum participatione, quæ est minor. Vazquez

Sed multi putant textum intelligendum esse de excommunicatione maiori, Anton. 3. part. tit. 24. c. 32. Adrian. quodlibeto 6 art. 2. ad secundum, & plures alij: putant autem sermonem esse de illo, qui communicat cum excommunicato, contra decretum illius capitis. Et probari potest, quia Canon ille statuit etiam excommunicationem, quam incurrit ille, qui cũ excommunicato communicat, esse reseruatam Pontifici: quod non contingit, nisi quando excommunicatio est maior.

Et primò caput debet intelligi de clericis participantibus, vt expresse habetur in eo capite. Legatur Tolet. 1. libro sum. cap. 36.

Secundò debet intelligi de participante in diuinis, vt constat ex illis verbis, Et ipsos in officijs receperunt. Et Antonin. cum aliquibus alijs explicat de officiis, siue in Ecclesia, siue extra Ecclesiam.

Vazquez Sed Pater Vazquez dubio 1. putat solũ esse intelligendũ de officiis, quæ in Ecclesia dicũtur: dicitur enim, quòd incidunt in hanc excommunicationem, *Qui excommunicatum in officiis recipiunt*: quorũ verborum sensus planus videtur esse de receptione in Ecclesia: & ideo P. Vazquez, & alij docent falsum docuisse legem Regiam 37. titulo 9. part. 1. quę dixit illud etiam intelligendum esse.

Deinde præter dicta requiritur tertiò, vt excommunicatio illius Canonis incurratur, vt participatio fiat scienter, & sponte, vt in textu dicitur.

Quartò requiritur, vt excommunicatus, cum quo Sacerdos communicauit, sit excommunicatus à Papa, vt cum aliis notauit P. Vazquez supra: & colligitur ex textu, qui benè addit, hoc tempore illud caput esse intelligendum de excommunicato denunciato nominatim.

Secundò obiicitur caput, Sacris, de his quæ vi, vbi loquendo de communicatione cum excommunicato in genere, dicitur esse peccatum mortale, absque vlla distinctione, aut limitatione.

Respondet S. Thom. duobus modis, primò, quòd ibi est sermo de communicatione in diuinis. Secundò, quòd eadem est ratio peccati venialis, vt propter malum fieri non debeat: quod ibi intendebat Pontifex. Legatur P. Suarez disp. 15. sect. 2. num. 13. & disp. 6. sect. 3. num. 10. Item admitti potest, communicationem in humanis aliquomodo esse peccatum mortale. Nos de hoc capite diximus disp. 10 dubio vltimo. Suarez

DVBIVM III.

An sit licitum ratione contractus ciuilis cum excommunicato communicare.

Difficultas potest esse, & quando contractus celebratus est ante excommunicationem; & quando celebratur tempore excommunicationis.

In priori sensu, si excommunicatus sit debitor, integra manet obligatio soluendi, quia Ecclesia nõ vult creditorẽ sine culpa priuare suo iure: vnde capite, Intelleximus, de iudiciis, contra excommunicatũ daretur actio creditori. P. Vazquez dub. 9. num. 3. & num. 1. Vazquez

Si verò excommunicatus sit creditor, non priuatur iure suo, & debito, quod debetur illi. Sed P. Suarez disp. 15. sect. 8. docet num. 3. priuari actione petendi in iudicio; non tamen priuatum petendi suum debitum, si tempus solutionis sit impletum.

Disputant verò aliqui, an hoc euentu teneatur debitor soluere debitum creditori excommunicato.

Abbas in caput, Inter alia, de sententia excommunicationis, sensit debitum non esse reddendum ipsi excommunicato, sed in sacra domo illud deponere, donec credi tor absoluatur: sed neque refert aliquem, qui id expresse doceat, neque firma ratione probat. Legatur P. Suarez supra.

Et contrariam sententiã satis probabilem, & securam putat P. Suarez, & supponunt alii. Rursus legatur Couarr. in caput Alma mater 1. p. §. 1. num 8. Et ratio debet esse, quia creditor non priuatur iure suo in hoc casu; neque est caput aliquod, ex quo id colligatur. Suarez

Circa

Circa secundum, tempore excommunicationis contractæ non licet contrahere, vel celebrare contractum cum excommunicato, quia hoc non potest fieri sine ciuili cōmunicatione, quæ est prohibita. Hæc verò prohibitio post Conciliū Constantiē se intelligenda est de communicatione cum excommunicato denunciato, vt bene docuit P. Suarez, & alij, & sequitur ex doctrina supra tradita.

Vocatur verò in quæstionem, an contractus celebrati ab excommunicato sint validi. Negant verò aliqui Canonistæ, propter illud dictum generale, Quæ contra legem fiunt, inualida sint, l. non dubium, C. de legibus, & cap. quæ contra ius fiunt, debent pro infectis haberi: quæ est regula 64. de regulis iuris in sexto.

Sed communis doctrina est, tales contractus esse validos. Ita sensit Couarrub. part. 1. § 1. num. 9. Castro lib. 2. de lege pœnali, cap. vltimo, P. Suarez supra, P. Vazquez dubio 8. qui alios Doctores citat, & mihi placet; quia vt dicit P. Vazquez, nullum est ius, quo nulli reddantur tales contractus; ex iure autem communi validi sunt, si alium defectum non habeat. Dixit verò P. Vazquez non esse validum contractum, si quis alteri promitteret se tempore futuræ excommunicationis aliquid facturum, quia promissio non obligat ad illicitum. An verò contractus hæreticorum post commissum crimen hæresis sint validi, & habeant aliquem defectum, disputatur in materia de confiscatione bonorum: & legi potest P. Vazquez prima secundæ disp. citata, & P. Thomas Sanchez in summa.

Suarez. Vazquez. Vazquez. Tho. San.

Hic disputant aliqui, an excommunicatus sit prohibitus ad faciendum testamentum, de quo legi possunt Doctores in materia de testamentis, & P. Suarez disp. illa 15 sect. 9.

Suarez.

DISPVTATIO XIII.

De causis, ob quas potest quis sine peccato communicare cum excommunicato.

EX Dictis constat, quando liceat, vel non liceat communicare in diuinis cum excommunicato. Restat dicere de causis, ob quas licitum sit interdum communicare in communicatione ciuili, & politica: de quo agit Pater Vazquez dubio 9.

DVBIVM PRIMVM.

Quæ ignorantia, vel necessitas, vel vtilitas excuset à peccato communicantem cum excommunicato.

AVctores communiter causas excusantes comprehendunt his verbis, Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse. Et breuiter dicemus in hoc dubio de ignorantia, & necessitate, & vtilitate.

Colliguntur verò prædictæ causæ excusationis ex capite, quoniam multos, 11. q. 3 & cap. cùm consideres, & cap. si vere, de sententia excommunicationis.

Circa primum certum est, per ignorantiam posse hominem excusari à peccato in tali communicatione. Sed quæ sit ista ignorantia, colligendum est ex doctrina auctorum 1. 2. ad quæst. 76. vbi egregiè de ea philosophatur P. Vazquez, & titulo de excommunicatione dub. 14. 15. & 16. & nos diximus supra disputatione 5 P. Suarez de censuris in genere, disput. 4 sect. 8. vsque in finem disputationis. Suarez.

Specialiter autem solet inquiri, an requiratur semper ignorantia inuincibilis. Et quòd hæc sufficiat certum est, quia omnino excusat à culpa. Addit P. Suarez disp. 15 sect. 2. num. 3. fortasse quamcunque ignorantiam sufficere, si non sit affectata, quamuis semper sit consulendum absolutionem obtinere, quando ignorantia non fuit inuincibilis. Suarez.

Ego verò existimo necessariam esse ignorantiam inuincibilem; hæc enim excusat à peccato; & hæc, siue sit iuris, siue facti: & idē iudiciū est de inconsideratione actuali, quæ excusat à peccato, propter eandem rationem, sub qua comprehenditur naturalis obliuio.

Vnde alia ignorantia, sicut non excusat à culpa, ita nec à pœna, cùm non constet iura de sola inuincibili loqui: quod etiam habet locum in communicatione diuinorum, & pro ea hæc doctrina est obseruãda.

Vocatur deinde in quæstionem, an propter solum dubium teneatur quis vitare excommunicatum denunciatum.

Suarez. P. Suarez loco citato cum aliquibus Doctoribus putant non obligari ad vitandum excommunicatum: loquuntur enim de denunciato: & probant, quia in dubio melior est conditio possidentis.

Sed licèt hæc opinio sit probabilis, & tuta in praxi, quia tale principium de conditione possessionis à multis recipitur; tamen verius censeo expositum in præsenti quæstione, quia vt dixi in materia de voto, de Sacramento, de restitutione, de matrimonio, illa propositio, In dubio melior est conditio possidentis, solùm habet locũ in materia iustitiæ: quod docuit P. Vazquez 1.2. disp. 65. P. Azor tom. 1. lib 1. c. 15. q. 2. & sæpe alijs locis, & fauent aperte Angelus verbo votum 3. num. 12. Corduba in summa quæstione 147. Vazquez. Azor.

In dubijs ergo de obligatione obseruandi præceptum tutior pars est eligenda, & ita cùm quis dubitat, an actualiter sit excommunicatus, non potest cum illo communicare, donec faciat diligentiam ad cognoscendam veritatem, vt liberetur à dubio: quòd si non possit generare assensum probabilem, sed manserit in puro dubio, tenetur tutiorem partem eligere, quamuis non facilè contingat in hac materia esse purum dubium, si dubitans velit facere diligentiam. Quæ doctrina intelligenda est, quando communicatio non est debita ex iustitia: si enim communicatio esset alteri debita ex iustitia, non possem ego priuare illum iure, cuius possessionem habet, propter solum dubium mihi occurrens. Addendum est, quòd si quis in dubio peccaret communicando cum eo, de quo dubitat, an esset excommunicatus, si reuera non erat, non incurreret pœnam impositam ob communicationem cum excommunicato.

Sed quid dicemus, quando quis est certus alium fuisse excommunicatum, & denunciatum nominatim, & solùm dubitat de absolutione, an fuerit absolutus? docet enim Authores non posse cum illo communicare, donec constet de absolutione, vt docuit Nauarrus in sum. cap. 27. num. 36. & P. Suarez supra dixit sufficere vnum testem oculatum fide dignum: & Nauarrus affirmat sufficere testimonium ipsius excommunicati: quod docuit Angelus verbo excõmunicatio 8. num. 16. Sufficit etiã publica forma, vt notauit Couarrub. in caput, *Alma mater* 1. p. relatiui §. 2. qui Suarez.

dicit etiã sufficere, si multũ téporis trãsijt, & cõsiderata c&ditione personæ, & negotij, prudéter iudicatur iã fuisse finitũ negotium, & hominem absolutum: quod etiam docuit Syluester verbo excommunicatio, num. 26. & alij.

Circa secundũ in cap. quoniã multos, 11. q. 1. assignatur pro causa necessitas. Etqui dé necessitas, ob quã, vt supra diximus, potest quis interdũ in diuinis communicare, facilè intelligitur posse communicare in ciuili, & politica communicatione. Vazquez.

Ité, vt docuit P. Vazquez dub. 9. in fine, non est necessaria extrema necessitas, sed minor sufficit: & hæc sufficit ex parte illius, qui excommunicatus non est, siue ex parte ipsius excõmunicati. Ex quo principio plura dubia in specie solui possunt.

Circa tertiũ nomine vtilitatis intelligunt Doctores, siue sit propria cõmunicantis, siue excõmunicati, siue téporalis, siue spiritualis, vt docuit P. Vazquez dub. 9. n. 1. Etvt distinguatur hæc causa à necessitate, necessitas debet intelligi, quando aliquid est simpliciter necessariũ, aut valde necessariũ; vtilitas vero, quando aliquid est vtile, licèt non sit ita necessarium. Ex hac verò causa vtilitatis plura in specie colligũt Doctores, verbi gratia, ratione vtilitatis spiritualis in petédo, vel dando cõsiliũ; vel quia vtile erit ad sanitatem corporis comparandam. Legatur P. Suarez sectione 3. num. 5. Vazquez. Suarez.

DVBIVM II.

Qua ratione excusentur coniuges communicantes, quando alter est excommunicatus.

Hæc causa excusationis cõprehenditur in citato versiculo nomine legis, & cõtinetur in citato c. quoniã multos, 11. q. 3.

Et certum est, vxorem posse cõmunicare cũ marito excommunicato, ac proinde illi reddere debitũ coniugale, & obsequia debita, & obedire illi in his, in quibus tenetur ex vi matrimonij: neque enim Legislator voluit priuare excommunicatum ta li iure, quod habet in vxorem, vt constat ex citato capite.

Addit verò Innocentius Tertius capite, inter alia, de senteñtia excõmunicationis, exponens citatũ caput, *Quoniam*, vxoré non solùm posse, sed etiam teneri ad communicandum cum marito: quod intelligi

telligi debet quantū ad ea omnia, ad quæ aliàs ex vi matrimonij obligatur, quia nō priuatur maritus tali iure per excommunicationem, ac proinde in vxore perseuerat obligatio, quæ erat ante excommunicationem.

Ex hac verò doctrina inferunt aliqui, hanc communicationem non fuisse ex benignitate iuris positiui, sed ex præcepto diuino, & naturali illam decernente, imò inferunt non posse Ecclesiā priuare maritum tali iure, quia esset contra ius naturale, ex quo debitum iustitiæ soluendum est.

Sed meritò P. Suarez supra sectione 4. contrarium docet: nam in pęnam, subsistēti causa, bene posset aliquando superior priuare maritum tali iure, in quo casu vxor non teneretur debitum soluere: hæc enim obligatio censetur perseuerare, nisi aliàs causa aliqua subsistat.

Circa hæc tamen duo notanda sunt. Alterum est, per hanc pœnam non posse auferri facultatem radicalem, quam habet maritus ex vi matrimonij ad corpus vxoris, hæc enim perseuerāte matrimonio necessariò perseuerat tanquam aliquid inseparabile. Alterum est, quòd si in tali casu excommunicatus accederet ad vxorem, peccaret quidem contra præceptum Ecclesię: non tamen contra temperantiam; quia reuera accederet ad suam, cùm matrimonium perseueret, vt constat: sicut dicebā in materia de matrimonio. Quòd si post votum castitatis maritus accederet ad vxorem, posset facere contra Religionem voti, non tamen contra temperantiam quia reuera accedit ad suam, & ita non faciat fornicationem.

Difficultas verò manet, an tradita doctrina de communicatione vxoris cum marito, intelligenda sit, quando mulier scienter contraheret matrimonium cum excommunicato? Posset enim matrimoniū esse validum, si aliàs adessent necessaria omnia. Causa verò sumitur ex capite, inter alia, de sententia excommunicationis, vbi insinuat Pontifex, omnes personas, quę in dicto capite, quoniam, exponuntur, debere esse obnoxias illi debito ante excommunicationem, vt possint ratione illius communicare cum excōmunicato, etiam adueniente excommunicatione, id quod ex proposita specie dubij ibidem videtur colligi; erat enim sermo de persona quæ ante excommunicationem erat obnoxia debito illi.

Item, nam quæ contraxit matrimoniū cum excommunicato, violat pręceptum Ecclesiasticum: ergo non debet vti iure malè acquisito.

Ex altera verò parte non videtur assignari sufficiens ratio, ob quam non possit prædicta fœmina post contractum matrimoniū communicare cum marito excommunicato.

In hac controuersia quidam affirmant posse fœminam in tali euentu communicare cum marito excommunicato. Ita sensit Vgolinus tabula secunda de censuris cap. 23. §. 6. quia verba Gregorij in citato capite generalia sunt. Citantur alij pro hac opinione, quos de industria omitto, quia obscurè loquuntur, vel nihil dicunt, quod ad præsentem quæstionē pertineat.

Secunda opinio est asserentium in tali euentu non esse licitum communicare cum excommunicato: quę videtur expressa sententia S. Tho. 4. dist. 18. quęst. 2. art. 4 qui hoc modo videtur explicare caput illud, *Quoniam multos*: & hanc sequitur P. Suarez disp. 15. sect. 4. num. *6.* & potest probari ex supra relatis.

Sed mihi prior opinio magis probatur, quia cùm res non sit expresse definita in iure, non est causa, ob quam ita strictè velimus loqui in hac materia.

Deinde concedit P. Suarez, fœmina, quę bona fide contraxit cum excommunicato, ignorans esse excommunicatum, posse post matrimonium communicare cum marito, quia illa nihil egit contra censuram. *Suarez.*

Et ideo dicit de fœmina, quæ post Concilium Constantiense contraxit cum excommunicato non vitando, quia ablata est Ecclesiæ prohibitio, & talis fœmina poterit sine dubio petere debitum coniugale, quia non est priuata iure suo.

Difficultas verò est, an maritus possit petere debitum. Aliqui putant non posse: ita sensit Glossa in caput *Quoniam multos* citatum, & aliqui recentiores: & probari potest, quia excommunicato nulla datur actio petendi debitū, cap. decernimus, de sententia excōmunicationis. Secūdò, quia in capite, quoniam multos, nihil conceditur ipsi excommunicato, sed alijs, vt possint cum ipso communicare.

Verùm contrariā sententiam indicat Panormitanus in caput, inter alia, de

sententia excommunicationis: & docent alij in caput, quoniam multos, & P. Suarez supra num. 9. qui ita intelligit hanc sententiam, vt habeat locum, quando vinculum matrimonij fuit prius excommunicatione & probat, quia in hoc euentu non est credibile Ecclesiam priuare excommunicatum iure petendi.

Suarez.

Ego verò existimo, siue præcesserit matrimonium, siue fuerit posterius excommunicatione, posse maritum petere: quia communiter loquendo, magnum esset onus impositum fœminis: quæ ob verecundiam non sunt ita faciles ad petendum debitum. Propter quod cum S. Tho. dixi in materia de matrimon. quòd si vir faceret votum de non petendo, posset petere, quoties iudicaret fore in onus vxoris, quę nō facilè moueretur ad petendum.

DVBIVM III.

An possit maritus communicare cum vxore excommunicata.

IN Hoc dubio Syluester verbo excommunicatus 5. notabili 2. alios sequutus, & lex regia 34. tit. 9. partita 1. putat non posse maritum communicare cum vxore excommunicata. Primò, quia maritus potest cogere vxorem, vt petat absolutionē. Secundò, quia in capite *Quoniam multos*, tantùm decernitur, quòd vxor possit communicare cū marito. Tertiò à simili, quia in capite de filia 27. q. 1. contrarium videtur decerni.

Sed contrariam sententiam docuerunt S. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. & clariùs Couar. in caput Alma mater p. 1. §. 1. num. 8. Palud. num. 4. dist. 18 q. 6. art. 2. P. Vazquez dubio 9. de excommunicatione, P. Suarez sect. 4. cit. num. 14. & mihi placet, & bene probat P. Vazquez, quia ius hactenus nō expoliauit iure, quod habet in subditum excommunicatum: ergo maritus si ne causa non est censendus priuatus iure, quod habet in vxorem: Itē sicut diximus debitum posse peti à creditore, quando debitor erat excommunicatus: ergo à fimili.

Vazquez. Suarez.

Argumenta verò contrariæ opinionis facilè possunt solui. Ad primum fatetur P. Vazquez cum alijs, posse maritum peccare, si non faciat vxorem absolui, si posit; sed nō est tale peccatum, vt incidat in pœnas iuris ob talem communicationem.

Vazquez.

Ad secundū respondetur, satis esse in iure non priuari maritum iure petēdi, quod aliàs haber.

Ad tertium respondetur, in eo capite esse specialem dispositionem de filia emācipata, & non de quauis, sed de filia Episcopi, presbyteri, aut diaconi, quæ votum castitatis emiserat, & postea matrimonium contraxit: & hæc si recipiatur à parentibus, manent ipsi priuati communicatione cum illa.

Sed posset aliquis quærere, an hęc doctrina sit intelligenda, quando vinculū matrimonij non præcesit, nec fuit prius excōmunicatione. In quo possent esse opiniones relatę dubio præcedenti. Et mihi placet, etiā in hoc euentu maritū non priuari iure suo erga vxorem excommunicatam. Quod ex dictis colligendum est.

Restat explicandum, quid sit dicendum, quando vterque coniux est excommunicatus. Et P. Suarez supra docet, illos non esse priuatos cōmunicatione matrimonij. Et possent esse diuersæ opiniones; sed mihi placet quod docuit P. Suarez, quia in iure non sunt priuati tali cōmunicatione.

Suarez.

DVBIVM IIII.

An filij possint communicare cum excommunicato parente.

CAusa subiectionis significatur illo verbo, *Humile*, in prędicto versiculo: & ratione illius excipiuntur à Gregorio Pontifice in capite, *Quoniam multos*, aliquot genera personarum, filij, serui, mancipia, & rustici seruientes. Et in hoc dubio dicam de filijs.

Et primò de filijs certum est posse communicare cum patre, vel matre excommunicata.

Difficultas verò est, an hoc priuilegio gaudeant non solùm filij existentes sub cura parentum, sed etiam filij emancipati, qui iam non sint sub cura parentum.

Communis Doctorum sententia est, filium emancipatum non posse communicare cum patre excommunicato. Ita S. Thom. in 4. distinct. 18. quæst. 2. articulo 4. & communiter Theologi, & Iurisperiti, quos refert Pater Suarez sectione 5.

Nauar.

Vazquez. Nauarr.in suma cap.27.num.27 P. Vazquez dubio illo 9.5. tertius casus est,qui dicit esse opinionē omnium.Et ratio est, quia talis filius iam non est sub potestate parentis, estque quasi extraneus; neque in illo habet locum ratio subiectionis æqualis,quæ est in filio sub patris potestate constituto.

Contrariam opinionē tenuit Palud.4. distin. 18. & sequuntur aliqui recentiores,& P.Suarez sectione 5.dicit esse probabilem.Probatur primò,quia Gregorius capite citato excipit filios absque vlla limitatione.Secundò quia etiam filius emācipatus tenetur obedire patri: ergo tenetur præstare obsequium etiam patri excommunicato. Suarez.

Et P.Suarez sentit filium emancipatum posse considerari,vel secundum quod filius est, vel quatenus emancipatus est. Docet deinde filium,vt filium,posse communicare cum patre; non tamen filium, vt emancipatum: & explicat, quia filius excommunicatus tenetur obedire patri, & succurrere,etiamsi sit excommunicatus: ergo hac ratione potest cum illo communicare: vt verò emancipatus est,non potest communicare in his,quæ non communicat vt emancipatus,verbi gratia,in eadem domo,& mensa, in quibus ante excommunicationem non communicabant: & hoc modo dicit se intelligere, vel limitare communem sententiam.

In hac quæstione non est admittenda secunda opinio Paladani,eoquòd contra communem est scholasticorum sensum.Et ratio facta pro prima sententia satis est efficax ad eam refutandam; neque mihi apparet probabilis, si velit filium emācipatum posse in omnibus cōmunicare cum patre,ac si non esset emancipatus.

Deinde existimo verisimam esse primam opinionem propter eius rationem.

Rursus arbitror, limitationē P.Suarez, non esse contra primam opinionem communem;authores enim illius solum contendūt non esse loquendum eodem modo de filio emancipato,& de filio non emancipato: cū enim subest aliqua obligatio filij respectu parētis:ratione illius poterit filius cōmunicare,quia vt supra dicebamus , debitor tenetur soluere debitum creditori etiam excommunicato.

Quæ verò diximus,intelligēda sunt,quā do pater est nominatim excommunicatus: nam si non sit nominatim excommunicatus, quilibet poterit communicare cum illo,absq;eoquòd faciat contra præceptū Ecclesiæ:post concilium enim Constantiē se ablata est Ecclesiastica prohibitio.

Addendū est,prędictā doctrinā intelligendā esse in filijs etiā illegitimis(ob seruorū dinstictione)de emancipato, vel nō emançipato,propter eandem rationem.

Tandem disputant aliqui de filijs adoptiuis,quomodo sit de illis philosophandū: & meo iudicio iudicandum est de his sicut de naturalibus sub prædicta distinctione de filio emancipato,vel non emancipato. Et de emācipato ratio constat; de non emancipato explicatur,quia subiectus est filius adoptiuus non emancipatus, sicut naturalis:ergo comprehenditur nomine filij. Rursus probatur, quia seruus potest communicare cum domino excommunicato:ergo filius adoptiuus cum patre.

De filio verò adoptiuo constituto sub cura patris adoptiui posset esse dubium,an possit communicare cum patre naturali excommunicato,de quo sicut de emancipato,philosophandum est propter eādem rationem.

Idem iudicium debet esse de his cōsanguineis,qui habentur ab alijs consanguineis,vt filij: considerandus est enim status illorum,an sint sub cura & potestate eius,à quo aluntur,vel non;&exhoc colligendum est,an liceat,vel non liceat communicatio.

Tandem docet P.Suarez de pupillo respectu tutoris eodem modo esse philosophandum,quia habet munus parentis respectu pupilli:quod mihi placet, habetur enim in hoc loco ratio necessitatis,vel vtilitatis,ac proinde licet non dicatur cōprehēdi nomine filij,potest iuste comunicare cum tutore excommunicato. Suarez.

Difficultas potest esse de filijs,an possint communicare, etsi post censuram nati sint.P.Suarez sect.5.num.13.dicit considerandum esse,an subiectio fuerit comparata sine violatione cēsuræ,vel cū illa. In priori casu docet ,posse subditum communicare cum patre,vel superiori,non tamen in posteriori euentu:iuxta quā distinctionē philosophatur de filijs,&de natura libus nō potest esse difficultas:de adoptiuis docet P.Suar.nō posse cōmunicare cū patre.Ego verò supra dixi de vxore posse communicare, etiamsi matrimonium sit

sit contractum cum marito excommunicato, de seruis dicemus dubio sequenti.

DVBIVM V.

Quomodo sit philosophandum de seruis respectu domini excommunicati.

Serui dicuntur capite citato, posse cõmunicare cum domino excommunicato ratione subiectionis, & intelligũtur mancipia in eodem capite, in quo explicantur alij seruientes, qui mancipia nõ sunt, nomine seruientis; sed cum limitatione, vt sunt rustici, vel nõ tanta malitia affecti, vt eorum consilio scelera perpetrentur, quod de consilio in ordine ad peccatum, ob quod imposita est excommunicatio, debet intelligi, vt bene explicat P. Suarez sect. citata à num. 10.

Potest autem de seruis dubitari, an possint communicare cum domino excommunicato, & an debeat seruitus esse posterior, vel prior excommunicatione: quod supra in simili de vxore comparatione mariti disputabam. In præsenti controuersia possunt esse opiniones, quas retuli in simili de vxore respectu mariti, & eas refert P. Suarez sect. citata à num. 12.

Prima est asserentium non esse necessariam talem conditionem, quia in textu non requiritur.

Secunda est eorum, qui in seruientibus, qui non sunt mancipia, hanc conditionem requirunt, fortè propter ea, quæ infra dicemus.

Tertia aliorum, qui absolutè de omnibus seruis, siue sint mancipia, siue non. Ita sentiunt, vt dicant non esse licitum communicare cum domino excommunicato, si non erant sub potestate illius ante excõmunicationem.

P. Suarez assignat regulam, nempe considerandum esse, an subiectio sit facta sine violatione censuræ, vel cum illa. Et in priori casu dicit posse subditum communicare cum excommunicato superiori: secus in posteriori euentu, & in specie, quando mancipium infidele comparatur, non esse dubium, quia excommunicatio non priuat communione cum infideli. Secundò quando emptione, vel donatione comparetur ipse seruus, communiter loquendo, non violat censuram, sed qui illum vendit. Tertiò si cõtingat violare censuram, non posse communicare cum domino excommunicato.

Sed nos iuxta supra dicta putamus posse omnes istos communicare cum dominis suis: & de mancipio faciliùs hoc intelligitur, quia non posset non subijci periculo damni alicuius per flagella, & similem punitionem, si nollet cum domino suo communicare.

De alijs famulis, qui mãcipia non sunt, potest esse eadem difficultas, & eædem opiniones. Et P. Suarez iuxta suam distinctionem philosophatur: secundũ nostram verò doctrinam constat resolutio ex his, quæ dicta sunt.

Restat explicare, quomodo sit philosophandum de superiori respectu inferioris.

Controuersia potest esse, an superior excommunicatus possit communicare cum subdito non excommunicato: & P. Suarez supra putat licitam esse talem communicationem: & explicari potest, quando communicatio ex se non est mala, tunc enim nõ erit mala absoluté, quia præceptũ Ecclesiasticum ablatum est in fauorem fidelium; & eodem modo sentiendum est de subditis excommunicatis cum superiori non excommunicato, propter eandem rationem.

Dubitant verò aliqui, an quando sint plures serui eiusdem domini, & vnus illorum est excommunicatus, possint alij cum illo communicare. Idem dubium est de filijs respectu alterius filij.

Aliqui referuntur affirmantes hos posse inter se communicare, vt testatur P. Suarez: quia si possunt communicare cum domino, poterunt inter se se propter communem cohabitationem.

Sed P. Suarez sect. cit. in fine meritò docuit his personis non esse concessum in iure tale priuilegium; non enim apparet tale ius; ex alio tamen capite poterunt aliquo modo communicare, nempe quatenus eorum communicatio necessaria est ad obsequium domini: hæc enim causa sufficiens est, vt excusetur quis ab obligatione non communicandi in politica cõmunicatione cũ excommunicato, quando aliàs ex alio capite excommunicato non redditur illicita: quod semper considerandum est prudenter.

DV-

DVBIVM VI.

Quomodo sit philosophandum de subditis ratione subiectionis in spiritualibus.

IN Hac quæst. primò dicemus de subdito respectu superioris, deinde de superiori respectu subditi; possumus autem loquide clericis respectu sui Episcopi ex hoc, secundum quòd sint illi subditi, non famuli. Et dicendum est, non esse licitum clericis communicare cum suo Episcopo excõmunicato; quia nullum ius est, quod concedat tale priuilegium subditis, si non sint famuli, propter doctrinam supra traditam; de quo P. Suarez supra sect. 7. in principio.

Deinde potest esse dubium de religiosis respectu sui superioris; in quo Palud. & aliqui alij respondent, non posse hos subditos communicare cum suo superiori excommunicato, quia ille per excommunicationem priuatur iurisdictione in subditos.

Vazquez. Sed P. Vazquez cum Soto, & alij putant posse communicare propter necessariam

Suarez. cohabitationem, & re ipsa idem docet P. Suarez loco allegato, qui addidit non esse licitum subditis cum tali superiori liberè in omnibus communicare, sed in his quæ moraliter requirit cohabitatio. Intelligunt verò Doctores hanc doctrinam de excommunicato denunciato, & vitando ab alijs: & eodem modo existimo philosophandum de superiori respectu subditi excommunicati, quod breuiter indicat P. Vazquez dubio illo 9. § tertius casus est, & affirmant posse; quod P. Suarez sect. citata num. 10. docet simpliciter non licere, si non interfit alius titulus necessitatis: quia aliàs istæ personæ non excipiuntur in iure; sed Doctores communiter supponunt, meo iudicio, causam hanc moralis & frequentis necessitatis licitam esse; & vt dixi supra non semel, Ecclesia non priuat superiorem iure, quod habet in subditum; & ita licèt subditus sit excommunicatus, poterit superior cum eo communicare.

(:§:)

DISPVTATIO XIIII.

De priuatione iurisdictionis.

RESTAT videndum, an excommunicatio maior priuet iurisdictione; quod necessarium est ad exactam doctrinam excommunicationis.

DVBIVM PRIMVM.

An excommunicatus possit esse iudex in iudicio seculari.

DIsputatio hæc pertinere videtur ad ciuilem communicationem, qua diximus priuare maiorem excommunicationem.

Certum est, talem iudicem non posse exercere iudicium publicum, quia hæc communicatio prohibita est sub nomine ciuilis communicationis.

Difficultas verò est, an tempore excommunicationis perseuerantis non solùm nõ possit elicere actum iurisdictionis, sed etiam careat iurisdictione & facultate ad faciendum actum iudicij.

Communis sententia est, pro tempore excommunicationis carere iudicem facultate faciendi actum iudicij. Probant verò Doctores ex capite, ad probandum, de sententia, & re iudicata. Sed hic textus apertè loquitur de iudice Ecclesiastico: citatur etiam caput *Tanta*, de excessibus prælatorum, in quo est sermo de sententijs latis ab Episcopo, non verò de sententia lata à iudice seculari.

Item admittitur caput *Audiuimus*. 24. q. 1. in quo est sermo de potestate excommunicandi, quæ reuera est potestas Ecclesiastica.

Rursus citatur caput, pia, de exceptionibus, in sexto. Sed ibi non est sermo de iurisdictione, sed traditur generalis doctrina, quòd exceptio excõmunicationis lites suspendit.

Et ideo P. Suarez dist. 16 sect. 1. probat communem sententiam ex consensu, & consuetudine Ecclesiæ: & hinc etiam colligit ex capite penultimo, & vltimo, 15. quæst. 6. vbi subditi absoluuntur ab obligatione obediendi superioribus excommunicatis.

Ex

Ex hac verò doctrina vera, & communiter recepta, sequitur omnia à iudice excōmunicato acta nulla esse, quia nō habet iurisdictionē. Vnde si ferret sentētiam, nullius esset momēti. Ita Iurisperiti in caput, ad probandum, de sententia, & re iudicata, & in caput veritatis, de dolo & contumacia, & Theologi. 4. distin. 18. artic. 22. & alij communiter.

Intelligenda verò est hæc doctrina de iudice publicè denūciato post Concilium Constant. si verò non sit denunciatus, non est obligatio vitandi illum, neq; priuatus est iurisdictione.

Suarez. Addit P. Suarez num. 8. talem iudicem peccare, si vsurpet officium iudicis contra talē prohibitionem censuræ. Secūdò, quia facit contra iustitiam cōmutatiuam, & legalem, vsurpando iurisdictionem, quam non habet.

Sed quod dicitur de iustitia ciuili, falsum est, quia vt dixi 2. 2. in materia de iustitia, iustitia legalis non violatur ex mente S. Th. nisi ex contemptu expresso boni communis, non tamen præcise ex opere externo facto, vel omisso.

Suarez. Fatetur verò P. Suarez esse graue peccatum, quatenus est contra iustitiam commutatiuam, dubitat verò, an sit graue, vt solum est contra prohibitionem censuræ. Et tandem num. 10. concludit esse graue peccatum, quia est grauis materia ferre iudicium sine iurisdictione: quod ex principijs generalibus colligendum est.

DVBIVM II.

An excommunicatus possit eligi in iudicem.

Vazquez. PAter Vazquez tractatu de excommunicatione dubio 5. num. 8. & Doctores communiter docent non posse excommunicatum licitè eligi in iudicem, cùm non possit licite munus exequi.

Difficultas verò est, an sit electio ipso facto nulla.

Aliqui Doctores in caput venerabilem de electione verbo *electus* sentiūt electionem esse nullam, quia in eo textu negat Pontifex se debuisse constituere Imperatorem, qui dum excommunicatus esset, in Regem Romanum electus fuit.

Sed P. Suarez sect. 2. docuit ex hoc capite non sumi efficax argumentum, quia Pōtifex potuit illud dicere; etiamsi electio illa esset irritanda, & propter hoc docet talem electionem esse validam. Suarez

Alij probant communem opinionem à simili de dignitatibus Ecclesiasticis, quarum electio est nulla, vt infra videbimus: sed in his quæ pertinent ex iure positiuo non est bonum argumentum, nam quòd electio dignitatis, aut beneficij Ecclesiastici sit nulla, habetur ex iure; nullū tamen ius est, quod hoc statuat de officio iudicis secularis.

Mihi placet communis sententia ex supra dictis, quia per excommunicationem aufertur à iudice iurisdictio in actu primo, sine qua non satis intelligitur quid sit illa dignitas, cùm non constituatur iudex per aliquid physicum, sed per moralem deputationem ad officium; hæc verò non intelligi sine potestate actuali ad iudicandum potest.

DVBIVM III.

An excommunicatus possit esse actor in iudicio, vel saltem, vt reus comparere.

IN Hac materia certum esse debet, in causa propriæ excommunicationis admitti excommunicatum etiā actorem, si velit probare excommunicationem fuisse nullam, vt notauit Abbas in caput, cùm inter de exceptionibus.

Secundò, excommunicatus extra casum propriæ excommunicationis non potest esse actor in iudicio, siue seculari, siue Ecclesiastico. Habetur cap. Decernimus, de sententia excommunicationis: & ideo exceptio excommunicationis respectu actoris, semper & in omni parte litis admittēdā statuitur in capite, exceptionē, de exceptionibus, & in capite primo, eodem titulo in sexto. Quòd si excommunicatio sit publica, officio iudicis dicitur repellendus, etsi à reo exceptio non opponatur; quod modo debet intelligi de excommunicato vitando: alium verò non tenetur iudex vitare; & ita non tenetur illū repellere, vt bene notat P. Suarez supra sect. 3.

Deinde in cap. prudentiam, de officio de-

delegati statuitur, vt si excommunicatus velit agere coram iudice delegato, vel absoluendum priùs, vel expellendum. Et in capite, cùm inter, de exceptionibus extenditur ad reconciliationem: nempe vt excōmunicatus tanquā reus in iudicio conuictus non possit suum auctorem reconuenire.

Sed nō negatur excōmunicato beneficiū defensionis, hoc enim est naturale, & necessarium, vt seuetur ęquitas, vt dicitur in eodem capite: vnde quando negatur actio reconueniendi, intelligi debet de reconuētione, quæ est nociua accusato, & non defensio ad causam, de qua accusatur excommunicatus.

Deinde excommunicatus non potest agere in iudicio, etiam per procuratorem, & ideo capite vltimo de procuratoribus institutio procuratoris facta ab excommunicato, nulla censetur. Legatur Syluester verbo procurator.

Aduertere verò placet, per Concilium Constant. nullum fauorem fuisse concessum excommunicato: & ita ipse, etiamsi non sit denuntiatus, non potest agere in iudicio.

Item principaliter dicendum est, si excommunicatus agat vt actor, & nō repellitur, valida erunt ex hoc capite gesta in eo iudicio. Ita colligitur ex c. 1. de exceptionibus, in sexto, illis verbis: Sed si post rem iudicatam talis exceptio proponitur, executionem impediet; sed sententia, quę precessit, non minus robur debitum obtinebit.

Sed potest obiici, citatio ab excommunicato facta non est valida, quia non potest obligare alterum ad comparendum: quia non potest obligare illum ad communicandum cum excommunicato. Respondetur, licèt citatus nō possit obligari ad communicandum cum excommunicato; tamen si velit cōparere; sufficiens erit ea citatio, vt causa perficiatur: & ita aliquo modo est valida.

Tandem sciendum est, ex mente aliquorum, non esse peccatum mortale ex obiecto, si excommunicatus ius suum petat in iudicio, donec, vel per exceptionem, vel per officium iudicis repellatur, si aliàs reuera petat iustitiam debitam, & non vtatur vi, aut fraude. Ita sentit P. Suarez supra sectione citata.

Restat explicandum, an possit excommunicatus vocari ad iudicium, vt reus. Et certum est posse vocari, non solùm in causa ipsius excommunicationis, vt per se constat, sed etiam in qualibet alia. Habetur capite, intelleximus de iudicijs. Et ratio est, quia per excōmunicationem nō intendit legislator, aut iudex, fauere ipsi excommunicato, qui ob suum peccatum dignus est pœna excommunicationis.

Vnde licitè potest procedere ad sui defensionem seruato iuris ordine.

Sed difficultas est, an talis excommunicatus sit per seipsum audiendus in iudicio, vel per procuratorem. Cui difficultati responsum est c. intelleximus de iudic. vbi dicitur: Debet autem per alium in huiusmodi iudicio respondere. Ex quo infertur posse designare procuratorem, & istum posse illum defendere per remedia iuris.

Dubium tamen remanet, an possit per se ipsum respondere.

Aliquibus videtur non posse: hoc enim significat citati capitis dispositio, aliàs superuacanea videretur: & expendendum est, quod dicitur in eo capite, *Debet*, per alium respondere. Et ita sensi. Glossa in caput, Pastoralis, de iudicijs.

P. Suarez sect. 4. docet primò, posse per seipsum comparere in iudicio, si vrgeat *Suarez.* necessitas, verbi gratia, si non inueniat reus idoneum procuratorem, vel non habeat pretium ad satisfaciendum procuratori pro munere.

Secundò docet Glossa in cit. caput *Intelleximus*, sentire absolutè posse excommunicatum per seipsum venire ad iudicium.

Ait enim Glossa: Non credo illum compellendum, quia forsan non inueniet qui ita fideliter tractet causam. Et pro hac sententia citat P. Suarez Innocentium Tertium, & Hostiensem, & addit hāc sententiā sibi videri practice securam.

Mihi autē videtur de rigore iuris prior sententia probabilior, magisque consentanea citato capitulo, intelleximus, propter factam rationem. In praxi verò poterit quis amplecti consuetudinem: quòd si nulla sit consuetudo, secundū primā sentētiā censeo procedendū, quoties non occurrit, peculiaris aliqua, & vrgens necessitas: in eo enim euentu non est credendum ius velle, vt excommunicatus deserat suæ causæ patrocinium.

Alia quæstiuncula restat explicanda, an excommunicatus sit admittendus in iudicio ante absolutionem, quando, si velit, potest absolutionem obtinere.

Aliqui referuntur sententes in hoc euētu non esse admittendum. Hanc refert Felinus in caput, intellexi. Et P. Suarez supra censet nō esse improbabilem sententiam: nō enim apparet iusta ratio illum admittendi sine absolutione, quando illam potest obtinere.

Suarez

Alij putant hoc non esse necessarium, quia ius, vt concedat defensionem excommunicato, hanc conditionem non requirat: & ita sensit P. Suarez supra, & mihi videtur probabile pro foro externo, licèt faciat peccatum non petendo absolutionem. Ex doctrina verò tradita solui possunt multa alia, quæ à Iurisperitis solent disputari.

Suarez

DVBIVM IIII.

An excommunicatus possit exercere officium tabellionis, vel ad iudicium vocari, vt ferat testimonium.

Circa primam partem dubij ponendū est, tabellionē quo tempore perseuerat in excōmunicatione, nō posse munus exercere, per se loquendo, ob prohibitionem ciuilis communicationis.

Explicare verò oportet, an instrumenta ab eo facta sint valida, licèt ipse aliàs faciat peccatum.

Communis sententia Canonistarum est, talia instrumenta esse nullius momenti, & auctoritatis. Ita docēt in caput ad probandum, de re iudicata, & colligunt ex eo capite, in quo sermo est de iudice Ecclesiastico, non de tabellione.

Secundò probatur ex capite nullus, 2. q. 3. vbi Stephanus Papa ait: Nullus anathematizatus suscipiatur, neque à quoquam credantur quæ ab eis dicantur, vel conscribantur.

Sed hoc caput non loquitur de tabellione in specie, vt explicant aliqui ibi, & dici potest esse generalem prohibitionem, non tamen dici nullitatem: & ideo P. Suarez sect. 5. art. 5. docet in foro conscientiæ ea instrumenta posse obligationem inducere: in foro verò exteriori seruandam esse consuetudinē, iuxta quam recepta est communis Canonistarum opinio. Et certè in his, quæ ad praxim pertinent, semper est iuxta consuetudinem procedendum.

Duo addenda sunt: vnū est, graue videri peccatum tabellionis: si instrumentum publicum faciat contra prohibitionem, res enim videtur magni momenti.

Alterum est post Conciliū Constantiense, antequam iste tabellio sit denunciatus, posse alios vti officio illius, & valida esse instrumēta in vtilitatem eorum: quæ prohibitio respectu eorum ablata est.

Sed quæri potest, quid dicendum sit, si tabellio fiat tempore excommunicationis; non est vna Canonistarum sententia: ego verò iuxta dicta censeo esse philosophandum.

Circa secundam partē certum est istum non posse licitè ferre testimonium: est enim hæc communicatio generatim prohibita sub prohibitione ciuilis communicationis, & speciatim prohibetur cap. decernimus de sententia excōmunicationis.

Excipitur tamen causa fidei: nam contra hæreticos admittuntur testes excommunicati.

Occurrit verò dubitatio, de quo excommunicato sit intelligenda prædicta prohibitio, an de publico, vel etiam de occulto. secundum ius antiquum & nouū. Et quidē secundū ius antiquum de publico intelligenda est prohibitio: secundum ius verò nouum Concilij Constantiensis intelligitur de denunciato, & nominatim excommunicato: alium verò, licèt sit publicus, poterunt partes admittere.

Dubium verò est, an sit validum eius testimonium, qui excommunicatus est nominatim, in quo si testimonium admittatur àpartibus, P. Suarez supra num. 5. dicit fore validum. Secundò docet non fore validum, si repellatur ab eo, contra quem producitur. Prima pars probatur, quia in eo euentu non est nullum per dispositionem iuris. Secundò probatur, quia necessarius est illius consensus, cùm aliàs secundum ius possit illum repellere: & idem est de consensu iudicis.

Quærunt verò aliqui, quid sit dicendum de testimonio in contractibus, & testamentis. Et certum est, partes vocare posse excōmunicatum, vt sit testis, etiamsi sit publicus, si non sit vitandus.

Secundò erit testimonium validum ex consensu partium, vt docuit Vgolinus tabula secunda de excommunicatione cap. 17.§.1.& loquitur de contractibus §. autem secundò, oppositum docet de testamẽto absque idonea ratione, vt bene docuit P. Suarez.

Sed arguit Vgolinus, quia qui in iudicio testis esse non potest, neque in testamento, l. qui testamento, ff. de testamentis.

Verũ ex hoc principio contrariũ probatur, quia testis iste esse potest testis in iudicio validè, sed non licitè: ergo & in testamento. Ex his verò possunt intelligi nonnulla alia, quæ sect. 6. docuit P. Suarez. *Suarez.*

DVBIVM V.

An excommunicatus possit esse aduocatus, vel procurator in iudicio.

Vazquez. Tractatu de excommunicatione dub. 5. num. 8. ET Primò de aduocato dicendum est, esse illi prohibitum à tali communicatione, non solùm prohibitione generali, sed specialiter, in capite decernimus, de sententia excommunicationis, in sexto.

Quæ doctrina intelligenda est de excõmunicato vitando post Concilium Constantiense: & licet aliquando ipse aduocatus male faciat, si suo munere fungatur in iudicio; tamẽ factum tenebit, vt patet, verbi gratia, si dedit bonum consilium, si rectè, & doctè allegauit aliqua: & idem erit de scripturis, si aliquas exhibeat, & admittantur à iudice.

Pro hoc autem labore absque dubio potest accipere iustum stipendiũ, quicquid dicant aliqui Canonistæ: nam talis labor est pretio æstimabilis, & non est aduocatus iure aliquo factus incapax illius.

De procuratore primò est certum non posse, quando excommunicatus est, suum munus in iudicio exercere, prohibita est enim hæc communicatio, vt constat ex dictis. Addit P. Suarez sect. 7. num. 5. posse in casu necessitatis facere tale officium quando reus non potest per se, neque est alius, qui illud possit facere, secus peccatum erit operari contra prohibitionem, Quãdo verò sit mortale, aut veniale, prudenter iudicandum est. *Suarez.*

Secundò dicendum est, si talis excommunicatus non repellatur ab aliqua parte, vel à iudice, acta ab illo erunt valida: quæ est communis opinio Canonistarum in septimum caput de exceptionibus, in sexto: nam pro hoc cuẽtu non est ius, quod faciat irrita hæc acta.

Si verò obijciatur exceptio excommunicationis, non potest aliquid efficere, sed iure impeditur, vt colligitur ex dicto capite 1. de exceptionibus in sexto.

Vlterius dicendum est, excommunicatum tempore excommunicationis non posse constitui licitè procuratorem, quia constitutio eius officij prohibita est.

Disputant verò Doctores, an verè fiat procurator, si tempore excommunicationis cõstituatur. Duobus verò modis potest institui, vel ad negotia extraiudicialia; vel ad exercendum munus, in iudicio.

De priori si fiat sermo, fatentur aliqui Doctores esse veram institutionem, & illum manere verum procuratorem. Ita sentiunt Innocen. Decius, & nonnulli alij in cap. veritatis, de dolo & contumacia, quia nullum apparet ius annullans talem institutionem; & ideo sine causa contrarium docuit Alberic. in citatum caput.

De altero procuratore sunt contrariæ opiniones, quas refert P. Suarez sect. illa 7. à num. 14. & mihi placet opinio asserentium validam esse institutionem, quia nõ video ius apertum, quod casset illam: aliqua enim, quæ adduci solent ad probandum illam esse ipso iure nullam, vel nullius momenti sunt, vel ad summum significant prohibitionem. *Suarez.*

Et iuxta hæc philosophandum est de officio tutoris, vel similis, vt dicamus actionem esse prohibitam excommunicato, sed validam: quia non irritantur iure ipso: vt bene docuit P. Suarez sect. 8. etiamsi aliqui contrarium doceant, Syluest. verbo excommunicatio 3 num. 2. & 3. Vgolinus tabula 2. cap. 14. sed non adducunt apertum ius.

DISPVTATIO XV.

De priuatione actiuæ electionis beneficiorum,

DVBIVM PRIMVM.

An excommunicatus priuetur iurisdictione spirituali.

CErtũ est priuari excõmunicatum iurisdictione spirituali. Ita supponitur cap. I. de officio Vicarij, in sexto, & extenditur ad omnes actus iurisdictionis, vt constat ex his, quæ Patres tradiderunt dist. 14. sect. I

Difficultas verò est, an omnis actus iurisdictionis factus ab excommunicato sit nullus.

Et primò secundũ ius antiquum, quando erat publicus excommunicatus, nulla erat omnis actio iurisdictionis: & constat ex capite, ad probãdum, de re iudicata: & idem est post Concilium Constantiense de excommunicato vitando. Vnde sententia à tali in iudicio lata non ligabit reum. Item non poterit subditus vti dispensatione concessa à tali superiori excommunicato.

Circa excommunicatum occultum est diuersitas opinionum, etiam secundum ius antiquum.

Prima sententia est asserentium, omnia facta ab excõmunicato, etiã occulto, esse inualida. Ita sensit Syluester, excommunicatio I. num. 6. & excommunicatio 2. nu. 2. qui pro eodem capite alios refert. Et probatur, quia hæc priuatio est effectus excommunicationis, non autem notitiæ hominum.

Sed contraria sententia est communis, & vera. Ita sensit Nauarrus in summa cap. 27. num. 21. Couarrub. in caput Alma mater I. p. §. I. num. 4. Rich. 4. dist. 18. art. 7. q. I. Sotus dist. 22. q. 2. art. I. in fine P. Suarez supra.

Et probandum est ex eo, quòd dũ quis publicè exercet officium in republica ob bonum publicum, ex consensu reipublicæ, videtur habere iurisdictionem, l. Barbarius, ff. de officio prætoris: & sic admittitur etiam in republica Ecclesiastica. Iuxta quam doctrinam excommunicatio lata ab excommunicato occulto valida est.

Sed restat explicare, an excommunicatus, qui non est denunciatus, nec nominatim excõmunicatus, sit cẽsendus vt occultus post Concilium Constantiense.

Couarrub. in caput, Alma mater, I p. §. I. num 9. videtur affirmare, omnia facta ab excommunicato non vitando esse valida post Concilium Constantiense, sed non loquitur nisi de eo, qui aliquibus solùm est notus.

Alij verò iudicant non esse valida, si est omnino publicus: quia tunc licèt non teneantur fideles illum vitare, poterunt tamen.

Sed Pater Suarez supra existimat facta ab excommunicato ratione sui muneris valida esse, quia dum non est vitandus toleratur ab Ecclesia. Suarez

Illud est sciẽdum quod sæpe docuimus, Concilium Constantiense noluisse fauorem concedere ipsis excommunicatis, ac proinde fit, illos peccare, quando exercent tales actus ex propria voluntate.

DVBIVM II.

An sit nulla collatio beneficij facta ab excommunicato.

EXcommunicatus priuatur actiua collatione beneficiorum capite, sententia, de excessibus prælatorũ, capite, Quia diuersitatem, de concessione præbẽdarũ, capite vnico, ne sede vacãte, in sexto. Legatur P. Suarez supra sect. 2. P. Vazquez tractatu de excommunicatione dubio 5. vbi notat hoc non solùm esse verum, quando solus excommunicatus confert beneficium, sed quando cum alijs electoribus eligit, vt bene docuit Couarrub. in caput, Alma mater I. p. §. 7. num. 9. & dicit esse communem opinionem Canonistarum, & colligit hoc ex capite, cùm inter. & primo de electione. Suarez Vazquez

Sed vt bene vidit P. Vazquez, hæc capita non loquuntur de electione facta à suspenso cum alijs non suspensis, sed de electione facta à suspensis. Probatur tamen ex eo, quòd si ille est excommunicatus, alij non possunt ius suffragij tribuere, ex eo quòd ipsi non sint excommunicati.

Docet autem P. Vazquez, quòd si aliquis excommunicatus esset necessarius ad electionem, illa esset nulla; si tamẽ absque eius suffragio posset fieri electio valida, remaneret valida, quamuis ipse se immisceret electioni. Quod videtur colligi ex Vazquez

capite

capite, Ad probandum, de sententia, & re iudicata.

De quo multa Iurisperiti, & P. Sua. disp. 14 sect. 2 sed obseruandum est, quod dixit P. Vazquez; ita tamen vt constet de veritate, nempe quod suffragia certa sufficiat sine suffragio excommunicati: & ideo multum refert, an fiat electio publicè, vel secretò. *Vazquez.*

Suarez. Deinde P. Suarez supra num. 4. dicit etiam non habere talem excommunicatum suffragium per alium, verbi gratia, si Vicarius velit ferre suffragium in electione beneficij loco Episcopi sui excommunicati, non erit valida electio: quia si Episcopus caret iure ferendi suffragium, non habet potestatē ferendi illud in suo Vicario.

Difficultas verò est, an collatio sit nulla, quando collatio fit ab excommunicato non publico, nec denunciato nominatim.

Prima opinio est asserentium, quandiu excommunicatus est toleratus ab Ecclesia, validam esse electionem: ita sensit Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 26. Rich. 4. dist. 18. art. 7. q. 1. & videtur loqui Rich. secundum ius antiquum.

Contrariam sententiam sequitur Syluester, verbo Excommunicatio 3. quęstione 23.

Tertiā sententiam tradidit Couarrub. dicens collationem beneficij esse validā, quandiu excommunicatus non est denunciatus, non tamen post denunciationem

P. Vazquez supra nu. 6 docet primùm validam esse collationē factam ante specialem denunciationem ab eo, qui cōfert authoritate publica.

Secundò docet in hac materia non habere locum distinctionem, qua vsus est Couarrubias de potestate publica, & potestate priuata: quicquid enim sit de veritate distinctionis; tamen in proposito collatio beneficij ante denunciationem specialem valida est post Concilium Constantiense: eadem enim est ratio, quia hoc voluit Concilium, non in fauorem excōmunicati, sed in fauorem fidelium. Et hæc doctrina mihi placet.

Tandem sciendum est, quòd licèt distingui possint collatio, & electio beneficij; tamen Doctores de vtraque loquuntur, dum in hac materia dicunt esse validam, vel esse nullam.

DVBIVM III.

An præsentatio beneficij facta ab excommunicato sit valida.

IN Hac controuersia prima opinio est asserentium, præsentationem esse validam: quia non videtur expressum ius, quo talis præsentatio irritetur.

Secunda opinio distinguit inter præsentationem factam à persona Ecclesiastica, vel à laico: primam dicit esse inualidam, secundam esse validam.

Et hoc modo distinxit decisio Rotæ 2. titulo, De iure patronatus, in antiquis, & decisio 527. in antiquis: quam doctrinam obseruatam esse in quadam causa Zamorensi, testatur Ludouicus Gomez in tractatu expectatiuarum num. 6.

Tertia opinio simpliciter docet, talem præsentationem esse validam: hanc tenet Couarrub. in capit, Alma mater, 1. p. §. 7. num. 9. & alij, quos citat Couarrubias.

Et dicendum est, præsentationem factā à patrono Ecclesiastico excommunicato esse nullam: quod fere explicant nonnulli; sed probādum est, quòd per excommunicationem priuatur excommunicatus omni iurisdictione, & præsentatio est quoddam genus electionis: & ideo Authores de præsentatione facta à Patrono Ecclesiastico, sicut de electione, loquuti sunt.

Secundò existimo, eodem modo esse philosophandum de præsentatione facta à patrono laico, quia in iure non est talis distinctio. Et hæc disputatio à iure pendet.

Sed potest quæri, quomodo sit hoc intelligendum post Concilium Constantiense. In quo censeo philosophandum esse iuxta doctrinam traditam dubio præcedenti. Solum restat dubium, an sit valida electio, & institutio beneficij à legitimo patrono non excommunicato, quando præsentatio fuit nulla, hoc est facta præsentatione ab excommunicato vitando: & affirmat P. Suarez sect. illa 2. num. 31. quia non est ius aliquod, quo cassetur electio, quando præsentatio fuit nulla. Et mihi hoc placet, licèt inter Canonistas sint diuersę opiniones. *Suarez.*

De collatione actualis possessionis, ei, qui ius habet ad illam, disputant Docto-

res

tes an sit valida, quando conferens est excommunicatus, & communiter docent validam esse. Ita sensit Abbas in caput veritatis, de dolo & contumacia, & alijs: & intelligendi sunt de puro actu comparandi possessionem. Et ratio esse debet, quia quando debita est possessio, & beneficij patronus postulat illam, reuera postulat aliquod debitum: & ita non impeditur ex eo quòd elector qui contulit beneficia, sit excommunicatus: quod manifestum est, quando ille non est denunciatus nominatim: sed etiam est verum, quando aliàs est vitandus, quia nihil tunc confert, sed sinit alterum comparare rem suam, & possessionem sumere. Videtur supponere P. Vazquez dub. 6. num. 9.

Tandè quæritur de resignatione beneficij ab excommunicato facta in fauorem tertiæ personæ, an sit valida.

Et aliqui indicant non esse validam: & probant, quia excommunicatus est priuatus omni vsu sui beneficij: ergo multò magis potestate donandi illud alteri. Secundò, quia resignatio in fauorem tertiæ personæ videtur esse quædam præsentatio, cùm designet personam. Et sic videtur philosophari P. Suarez supra. disputatione 14 sect. vltima num. 35.

Sed alij sentiunt validam esse renunciationem, quia neque est præsentatio, neq; electio, neq; institutio beneficij: ergo. Nō est electio, vt patet. Non præsentatio, quia ille non habet ius patronatus ad præsentandum, sed solùm vult relinquere beneficium sub conditione, vt detur alteri: & licèt iste posset peccare in communicatione; tamen non apparet ius, ob quod dicimus nullam esse resignationem.

Ad argumenta contrariæ opinionis facilè respondetur. Ad primum non est facile: quia ille non priuatur potestate absolutè relinquendi beneficium, & ita neque relinquendi illud sub conditione: & Doctores contrariæ opinionis fatentur posse illud dimittere: quod est per se manifestū. Ad secundum constat ex dictis.

Et sanè si resignans non esset excommunicatus vitandus, facilè concedunt Doctores validam esse resignationem rerum, *nisi sit vitandus, non video probari nullitatem illius.*

DISPVTATIO XVI.

De priuatione passiuæ electionis beneficiorum.

DVBIVM PRIMVM.

An excommunicatus priuetur passiua beneficiorum electione.

Constitutum est apud Doctores, excommunicatum fieri incapacem beneficij, ita vt collatio illi facta sit nulla. Ita colligitur cap. Postulatis, & primò de clerico excommunicato, capite Cùm inter, de electione, cap. Constitutio, de appellationibus. Et hæc iura intelliguntur, siue quis sit excommunicatus à iure, siue ab homine, vt notauit Couar. in caput, Alma mater, 1. p. §. 2. num. 1.

Addendum est, dictam doctrinam esse veram, etiamsi collatio fiat motu proprio Pōtificis: quia licèt motus proprius alios haberet peculiares effectus; tamē nō in ducunt dispensationem excommunicationis, vt habetur decisione Rotæ 112. in nouis, quod intelligendum est, quando Pontifex nesciuit tale impedimentum: si enim sciat hominem esse excommunicatum, & conferat illi beneficium, visus est cum eo dispensare, vt notauit Couarrubias supra, & P. Vazquez hoc putat dubio 6. num. 3. verum, etiamsi collatio fieret ad petitionem eligendi. In vtroque euentu eodem modo præsumitur voluntas dispensandi, si Pontifex cognoscendo impedimentum confert beneficium.

Addendum est, hoc etiam habere locum in permutatione beneficiorum, collatio vtique facta erit nulla, vt bene notauit P. Vazquez dubio citato.

Item sciendum est, hanc doctrinam esse veram etiam post Concilium Const. respectu excommunicati non vitandi: quia, vt sæpe diximus, Cōcilium nihil decreuit in fauorem excommunicati: de quo P. Suarez sect. 1. nu. 24. Quòd si fiat electio quando est excommunicatio, nulla omnino erit, etsi sequatur absolutio ab excommunicatione: quia absolutio non habet vim faciendi electionem præteritam validam. Suarez

Rursus

Rursus tradita doctrina non solùm est vera in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo, si constet de veritate, nēpe quòd electio facta est tempore, quo electus erit excommunicatus.

Vlterius docet Couarrub. hanc doctrinam habere verum in collatione pensionis: & idem sensit Hieronymus Gigas de pensionibus q.14.num.vltimo.

Vazquez. Sed P. Vazquez dub. citato meritò docet solùm habere locum in pensionibus, quæ sunt beneficium Ecclesiasticum, quia dantur titulo spirituali, non verò in his, quæ non sunt beneficium, quia dantur titulo seculari, quia iura loquuntur solùm de beneficijs, de quo P. Suarez disp. 12. Suarez. Vazquez. sect. 1. à nume. 4. vbi refert varias sententias, sed obseruanda est doctrina P. Vazquez.

Præterea vera censetur doctrina etiam si electus ignoret talem excommunicationem, quia talis ignorantia non excipitur in iure. Licèt ergo ignorantia excuset à peccato, non tamen facit habilem eum, qui aliàs est factus inhabilis: & hanc esse communem opinionem doct. Couarrub. supra, & P. Vazquez num. 5. P. Suarez q. 12. Vazquez. Suar. sect. 1. num. 3.

Item docet Couarrubias supra esse nullas litteras impetratas tempore excommunicationis pro collatione beneficij, quod, vt docuit P. Vazquez, probandum est ex iure: nam capi. de rescriptis in 6. dicitur vniuersaliter rescriptū obtentū ab excommunicato super beneficium tempore excommunicationis, esse nullum ipso iure: quod etiam docuit P. Suarez sect. illa 1. num 12.

Ex dictis infertur electionem, seu præsentationem beneficij factā excommunicato, esse nullam: de vtraq; iura loquūtur: legatur P. Suarez supra num. 10.

Item infertur impetrationem ab excōmunicato esse nullam.

DVBIVM II.

An sit valida acceptatio beneficij facta ab excommunicato, quando electio fuit valida ante tempus excommunicationis.

In hac quæst. fuit opinio Couar. 3. lib. variar. c. 16. n. 4. asserentis talē acceptationem esse nullam; sed in caput Alma mater 1. p. §. 7. dubius mansit, neq; aliquid definit. Et ratio suæ opinionis est, quia per acceptationem aliquid iuris cōparatur: acquiritur enim ius in re, quod ante acceptationē tantùm erat ius ad rem: ergo per excommunicationem priuatur illo iure, sicut priuatur iure ad rem, si tempore excōmunicationis fieret collatio beneficij: quòd verò per acceptationem acquiritur ius in re, statutum est cap. Si tibi absenti, de præbendis in 6.

Secunda opinio est Nauarri, qui dicit esse validam acceptationem in capit. Si quando, de rescriptis, ex capit. 9. cui fauent Rotæ decisiones, vt testatur P. Vazquez dub. illo 6.

P. Suarez sect. 1. art. 16. nonnulla docet in hac q. Primò docet electionē factā ante tempus excommunicationis esse validam, neque irritam per excommunicationem subsequentem: quod Doctores fatentur. Suarez.

Secundò docet, perseuerāte excommunicatione non posse acquiri aliquid iuris per acceptationem, & consensum, etiā si acceptet beneficium. Hoc putat probari rationibus pro prima opinione factis.

Tertiò docet, quòd si à solo excommunicato facta est acceptatio tempore excommunicationis, & postea absoluatur, tūc probabile esse, quòd ipso facto absque noua acceptatione acquiratur beneficiū. Et hoc modo potest esse vera opinio Nauarri, quam Couarrubias fatetur esse communem.

Mihi placet sententia P. Vazquez, quæ communis est. Pro cuius intelligētia sciendum est, quòd Pater Vazquez notauit non posse negari per acceptationem collati beneficij aliquid iuris acquiri: non enim disputamus modò de introductione in actualem possessionem, sed de acceptatione ipsius beneficij: & de hac expresse loquitur caput citatum pro sententia prima. Vazquez.

Ex eo ergo probat P. Vazquez sententiam Nauarri, quia in iure non est cassata acceptatio beneficij: cùm ergo pendeat ex iure positiuo, non est causa, ob quam dicamus, illam acceptationem non esse validam, & hinc Doctorum non fuisset cōmunis sentētia, eā acceptationē esse validā, si esset ius aliquod, quo redderetur nulla

aliquibus verò ex eo non placuit communis opinio, quòd probari soleat à non-nullis, qui illam sequuntur, quia acceptatio non inducit aliquod iuris. Quæ ratio non placuit P. Vazquez, & vera non est, vt diximus: vnde secundum dictum Patris Suarez probandum non est: in eo enim conuenit cum Couarrubia 3. variarum loco citato. Tertium etiam dictum non caret difficultate: quòd si semel demus acceptationem esse inualidam, vt P. Suarez fatetur, non sufficeret subsequens absolutio, vt beneficium intelligeretur acceptatum, sed noua acceptatio requisita esset, quia acceptatio est necessaria; & tamē ea, quæ fiunt tempore excommunicationis, nulla sunt ex mente Patris Suarez: ergo necessaria est alia de nouo, præsertim cùm nullum sit ius, ex quo colligatur sufficere subsequentem absolutionem ab excommunicatione, vt censeatur acceptatum beneficium. Ex doctrina tradita constat rationem primæ opinionis nihil probare contra nostram sententiam. Suarez.

Secundò, infertur quid dicendum sit de optione nō ii beneficij, an possit fieri tempore excommunicationis, quando electio facta est ante excommunicationem. Negat P. Suarez, quia putat acceptationē esse nullam, & ea optio est acceptatio. Mihi verò ex contrario principio de acceptatione contrarium placet.

Tertiò colligitur solutio dubij, quod nō nulli tractant, an ea acceptatio sit peccatum, quando fit tempore excommunicationis. De quo legi potest P. Suarez sectio. cit. Secundum nostram verò sententiam facilè intelligitur non esse peccatum, quia diximus iure non prohiberi, vt talis est, si hæc interueniat, poterit dici esse peccatū: quod mihi est difficile, cùm excommunicatus id faciat iusta de causa.

Tandem solet quæri, quæ pœna imposita sit conferenti beneficium excommunicato: & Authores docent solùm impositam suspensionem, capite Postulatis de clerico excommunicato: ipsi verò excommunicato non imponitur alia pœna pecuniaris.

Hic disputant nonnulli, an excommunicatus sit ipso statu priuatus fructibus beneficij, de quo Pater Suarez distinctione 13. sectione secunda. Pater autem Vazquez dubio sexto testatur se de hoc dixisse tractatu de beneficijs, de quo nos dicemus in materia de beneficijs. Suarez. Vazquez.

DISPVTATIO XVII.

DVBIVM PRIMVM.

Quo iure sit interdictum cum excommunicato communicare.

CONstat de supra dictis, quis excommunicatus sit vitandus post Concilium Constantiense. In præsenti verò dubio oportet distinguere de communicatione in sacris ex vna parte, & de communicatione in alijs actibus humanis, de quibus diximus. Circa hos posteriores facilè conueniunt Doctores prohibitos esse iure humano: & concedit P. Vazquez tractatu de excommunicatione dub. 7. ex hoc autem fit, posse in eis Pontificem dispensare: & dubium non est quin cum causa possit dispensare validè. Sed an possit sine causa, multi docēt quod possit. Et hanc opinionem admittit P. Vazquez dub. cit. Sed quàm sit difficilis, tradit ipse P. Vazquez 1. 2. disp. 178. tamē vt ipse dicit in vltimis verbis, contradicere noluit, sed iudicium de eius probabilitate alijs reliquit: & ideo aliquando philosophatur secundum communem opinionem. Vazquez.

Et quia hic non habet specialem difficultatem, ego nolo de ea re disputare, sed satis sit indicasse sic esse philosophandum, secundum communiorem opinionē asserentium legislatorem humanum posse validè dispensare sine causa, licèt peccet in ea dispensatione.

Deinde notat P. Vazquez cum alijs, Episcopum communicantem cum excommunicato peccare: quia ipse nō potest dispensare in lege Pontificis, quę prohibet talem communicationem vt constat. Vazquez.

Maior difficultas est de communicatione in sacris, an sit prohibita iure humano solùm.

Et circa hoc notandum est, supposita ex communicatione, per se loquendo, contra ius diuinum esse cōmunicare in Sacramentis, nē pe vel administrādo, vel recipiēdo, vt supra explicatū est. Et in hoc multi fatentur, non posse Pontificem dispensare, quia licet excommunicatio sit de iure huma-

humano,vt suo loco diximus;tamen supposita illa,per se est contra ius naturale, diuinum,vel recipere à ministro indigno, vel indigno ministrare illud, nisi ob causam aliquam,& circunstantiam excusantem modo à nobis explicato suprà.

Verum est, potestatem Ecclesiasticam posse auferre præceptum positiuum,quo prohibetur hęc communicatio, & pœnam illius,vt supra diximus fecisse Concilium Constantiense.

Restat difficultas,an communicatio in aliis officiis diuinis sit prohibita iure positiuo diuino,vel solo positiuo Ecclesiastico,verbi gratia, communicare cum excommunicato in audienda Missa, vel recitandis horis:& aliqui indicant esse de iure humano.Ita supponit Sotus 4.distin. 22 q.1.art.4.quia dicit Pontificem posse in hoc dispensare:& apertè P.Suarez supra disput.2. num.11. Quæ opinio solùm probanda est ex eo, quòd non apparet locus Scripturæ,vbi sit latum præceptum expressum de vitando excommunicato in his rebus sacris.

Suarez.

Sed esse hanc prohibitionem de iure diuino positiuo,docuit Couarrub. in caput,Alma mater 1.p.§.1.sequitur P.Vazquez dubio 7.& dubio 3.num.10.& sępe alijs locis:& probat Couarr. ex illo 1.Corinth.5.Cum huiusmodi nec cibum sumere. Item non commisceamini cum illo. Idem Ioann.1.Nolite recipere eum, neque Aue ei dixeritis.Item ex plutibus testimoniis Patrum 11.q.3.

Vazquez.

Ex quibus tamen,vt bene vidit P.Vazquez supra dubio 2. non potest probari, quod voluit Couar.nam in his locis prohibetur etiam salutatio, & similes, quæ non sunt de iure diuino.

Et ideo P. Vazquez probat ex illo Matth 18.Sit tibi sicut ethnicus, & publicanus:quod testimonium videtur intelligendum secundum proprietatem de his quæ sunt propriè actiones Christianorum,vt tales:quo testimonio vtitur Couarrubias.Sed P. Vazquez 1.2. disp.191. num.26.vnico verbo dixit communicatio nem in diuinis officijs solo iure Ecclesiastico prohibitam esse;communicationem verò in Sacramentis iure diuino naturali: vnde videtur restrinxisse sententiam.

Vazquez.

Sed potest obijci,quòd ex citato loco Matth. colligit potestatem relictam Ecclesiæ ad excommunicandum:ergo non est præceptũ ipsius Christi.Respõdetur ex eo loco colligere Doctores potestatẽ excõmunicandi relictam Ecclesiæ: dicitur enim ibi:Quodcumq;ligaueritis super terram,cum quo simul colligi potest prędictum ius diuinum de fugiendo excommunicato in prædictis actibus ab Ecclesia.

Sed objiciunt,ablata prohibitione Ecclesiæ non esse malum audire Missam cum excommunicato. Respondetur, si non esset ius positiuum ius Christi,verum esset, quia ex solo iure naturali non videtur intrinsecè malam in illis actionibus cõmunicare cum excommunicato:qui verò sequuntur Couarrubias cõtendunt esse prohibitionem,& præceptũ positiuum Christi,ac proinde diuinũ. Sed probabilior est opinio,quam tradidit P.Vazquez 1.2.loco citato.Et de communicatione in sepultura ait idem P.Vazquez dubio illo 7.nu. 10 non esse ita certum,quód sit de iure diuino: & reuera non est de iure diuino.

DVBIVM II.

An sit mortale,vel veniale peccatum communicare cum excommunicato.

IN Pręcedẽtibus aliqua de hoc diximus, & P. Suarez,& aliqui alii in specialibus dubijs.P.Vazquez tractatu de excommunicatione dub.7.nu.§.7. deinde videamus aliqua. Vazquez

Primò docet communicationem in humanis,vt plurimùm esse peccatum veniale,de quo diximus suprà.

Secundò docet, communicationem in sacris semper esse mortale,& explicat in administratione Sacramẽtorum inMissa, &in officijs,quæ in Ecclesia dicuntur, & in Ecclesiastica sepultura : quod intelligo esse mortale ex obiecto, licèt ex leuitate materię possit esse veniale:vnde num. 9. admittit P.Vazquez cumCouarrubias esse veniale. Vazquez.

Item communicatio in humanis potest esse mortale, si fiat cum contemptu clericorum,& in humanis posse esse mortale, docet idem P.Vazquez dub.10.n.4.quod suprà explicuimus.

Tertiò potest esse mortale, si communicet in crimine,hoc est,in peccato mortali. Quando verò dicatur quis participare in crimine criminoso,infra dicemus.

d 2 Ad-

Aduertendum verò est hoc loco, contra nonnullos, contemptũ non consistere, aut colligi ex frequentia peccãdi. Loquimur enim de speciali, & proprio contemptu: nam ex firmitate, aut delectatione, potest quis frequenter peccare: etiamsi non operetur ex contemptu legis, aut legislatoris, vt manifestè cõstat: neque vllo modo probatur frequentiam peccandi habere connexionem cum contemptu speciali.

Addit P. Vazquez, posse esse peccatum mortale, si frequentia sit occasio, vt alij contemnant. Circa quod notandum est, quòd tale peccatum, ex eo quòd sit causa, vt alij contemnant, non est propriè peccatum contemptus, hoc enim peccatum consummatur interius: & ita propriè nõ fit ex hoc solùm, quòd aliquis aliquo opere externo dat alijs occasionem contemptus, licèt moueatur à peccato aliorum, sed diuersã specie, iuxta principia generalia tradita à Doctoribus in materia de scandalo.

Addit Nauarrus in summa cap. 27. num, 30. esse peccatum mortale, quando supra canones alios ponit speciale mandatum de non communicando cum excommunicato, sub pœna excommunicationis, quia hæc pœna non imponitur, nisi ob peccatũ mortale: & ita præceptum erit intelligendum de communicatione graui.

DVBIVM III.

An excommunicatus sit vitandus tantùm in loco, vbi est denunciatus, vel in omni loco.

SI Ratio potest esse de iure antiquo, & de iure nouo post Concil. Constant.

Et iure antiquo vitandus erat excõmunicatus in omni loco, etsi in vno tantùm esset excommunicatus, ita habetur capite ob turpẽ 1. q. 1. & can. 13. & 16. Apostolorum, quòd Maior 4. d. 18. quæst. 8. existimat esse de iure positiuo.

Tamen Couarr. in cap. Alma mater, 1. p. § 3. & alij, senserũt esse de iure diuino,

Sed res eget explicatione. Si enim Maior vellet, solo iure positiuo Ecclesiastico esse prohibitum communicare cum excommunicato, fallitur: nam supposita excommunicatione, iure diuino naturali est illicitum communicare cum illo in Sacramentis, vt supra diximus, & hoc seclusis circunstantijs extrinsecis eodem modo obligat in omni loco.

Deinde si Doctores secundæ opinionis velint omnem communicationem cum excommunicato esse prohibitam iure diuino, falluntur, quia communicatio in humanis non est prohibita iure diuino: prohibitio autem Ecclesiæ potuit esse, vt re uera fuit, de vitando excommunicato in omni loco: quamuis posibile fuerit solũ obligare Ecclesiam ad hoc, vt in certo solùm loco teneatur quis vitare excommunicatum, ex vi præcepti Ecclesiastici: verùm de facto, secundum ius antiquum, vitandus est in omni loco. Et P. Vazquez dubio 8. dixit iure diuino esse excommunicatum vitandum in omni loco, in his, in quibus iure diuino est vitandus, vbi est denunciatus. Durand. 4. dist. 18. q. 5. ad vltimum, sensit in publico non esse vitandũ, nisi in loco, vbi est excõmunicatus in secreto, tamen vbique esse vitandum: & loquitur secundum ius antiquum.

Post Concilium autem Constan. cùm ad vitandum excommunicatum sit necessaria denuntiatio, ideo aliqui existimarunt solùm esse vitandum, vbi est denunciatus. Ita sensit summa Confessorum, verbo excommunicatio, & Syluester verbo, Excommunicatio 5. dubio 17. & aliqui Canonistæ. Limitat verò Syluest. suam sententiam, ita vt in secreto teneatur quis vitare excommunicatum vbique, non tamen in publico.

Sed hæc sententia ab aliis Doctoribus non probatur, & eam refutat P. Vazquez dubio illo 8. Et primò, in his in quibus iure diuino debemus vitare excommunicatum post excommunicationem, eadem est ratio, vbique vitandi, vt antea dicebam.

Secundò mihi non placet opinio Syluest. quia sine idoneo fundamento loquitur. Tertiò, quia quantum ad hoc nihil innouat Concil. Constant. post excommunitum denuntiatum nominatim, & vitandum.

Et quod diximus de vitando vbique, Couarrub. supra, §. 2. numero 1. & Pater Vazquez intelligunt etiam de excommunicatione per epistolam, vel per nuntium.

DISPVTATIO XVIII.

De causa, ob quam incurritur excommunicatio maior.

DVBIVM PRIMVM.

Propter quod peccatum possit imponi excommunicatio maior.

DE Hac materia egit P. Vazquez dubio 12. & ingenere nos diximus supra disp. 4. & P. Suarez disp. 4. & 18. sect. 3. ponenda verò sunt hoc loco quę diximus dist. 4.

Certū autem est, ad imponendam pœnā excōmunicationis arguendam esse culpā mortalē. Et primò secundum ordinem ab Ecclesia statutum id est certum ex multis decretis, quæ referuntur à Gratiano 11. q. 3. ex Concilio Niceno cap. 5. habetur; ferutur ex Concilio Meldensi capite, Nemo Episcoporum, ex Concilio Vormaciensi, & Arelatensi 5 capite, Nullus, ex Cōcilio Agathensi cap. Episcopi: multa etiam referuntur ex Augustino, Hieronymo, & Prospero 24. q. 3. & alia multa referuntur à recentioribus.

Ex hac verò doctrina colligitur nullum prælatum Summo Pontifice inferiorem posse ferre excommunicationem, nisi pro culpa mortali; non enim potest ferre sententiam, nisi iuxta formam iuris.

Secundò idem dicendum est de Summo Pontifice, quòd non possit nisi pro mortali ferre hanc excommunicationem maiorem. Ita communiter Theologi 4. dist. 22. P. Suarez, & P. Vazquez supra, & colligitur ex capite 18. Matthæi, nam vbi datur hæc potestas, sermo est de peccato mortali. Suarez. Vazquez.

Colligi etiam potest ex testimoniis citatis, quia potestas hæc data est à Christo in ædificationem, & non in destructionem: & pœna debet habere proportionem, & æqualitatem cum culpa ex natura rei.

Ex his fit, excommunicationem latam pro culpa veniali non solùm esse iniustā; sed & nullam: quia fertur à non habente potestatem.

Ex eodem principio infert P. Vazquez cū multis Doctoribus, non incurrere hanc pœnam illum, qui violat præceptum iuris, vel iudicis, si violatio ex aliqua causa fuit venialis: & idem iudicium dicit esse in percussione clerici.

Infert vlterius, quod cùm aliquid prohibetur sub hac pœna, etiamsi aliàs non esset peccatum, post prohibitionem est mortale, quia talis pœna ob mortale solùm imponi potest; & intelligendum est de prohibitione in materia graui. Et quòd hæc pœna posita in lege sit signum materiæ grauis, & grauis violationis, si violetur, docēt authores in materia de legibus: & legi potest P. Vazquez 1. 2. disp. 158. cap. 5. Vazquez.

Item ex doctrina tradita colligitur, quoties excusatur quis à violatione mortali legis, excusari à censura imposita per talem legem.

Sed potest obiici cap. Odoardus, de solutionibus, vbi excommunicatio lata in eum, qui creditori non soluebat, censetur valida, & indigens absolutione, etiamsi debitor eum posset soluere. Expendantur illa verba: Mandamus, quatenus si contigerit, quòd prædictus non possit soluere debita supra dicta, sententiam ipsius sine difficultate qualibet relaxetis. Vbi verbum relaxandi videtur significare absolutionem.

Respondet P. Suarez, verbum relaxandi non semper significare absolutionem sententiæ validæ, sed declarationem facti: & addunt exemplum. Secundò respondet fieri posse, vt sententia illa in foro exteriori fuisset iusta: & ita in eodem foro egere absolutione. Suarez.

Deinde obijcitur caput Peruenit, de sententia excom. vbi leuis percussio clerici censetur idonea ad incurrendam excommunicationem maiorem. Respondetur, ibi non docere Pontificem eum, qui leui percussione percussit, esse absoluendum. Sed dicere, De his absoluendis tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum; idest, vt iudices, an egeant, vel non egeant absolutione: deinde modica, & leuis iniuria dici post; vel simpliciter, vel respectiuè: & leuis respectiuè potest esse simpliciter grauis, & sufficiens peccatum mortale.

DVBIVM II.

An excommunicatio possit ferri propter quodlibet peccatum mortale.

DE Hac re disputat P. Suarez supra disp.4. P. Vazquez tractatu de excommunicatione dubio 12.

Sensus dubij est, an sufficiat peccatum mortale, vel sit etiam necessaria contumacia, & inobedientia, ac proinde sit necessaria praeuia monitio.

Prima opinio est asserentium, non esse necessariam monitionem. Ita sensit Caiet. 2. 2. in quaestionem 69. & alij nonnulli. Et probari potest, quia ad imponendam poenam pecuniariam non est necessaria monitio, sed solùm legis transgressio: ergo etiam ad imponendam hanc poenam excommunicationis. Afferuntur etiã pro hac sententia aliqua iura, in quibus videtur lata excommunicatio absque praeuia monitione.

Sed contraria sententia est communis, quam docuit S. Thom. 4. dist. 18 q. 2. art. 1. quaestiuncula 3. habetur in additionibus, quaest. 21 artic. 3. Sotus 4. dist. 22. q. 1. artic. 2. & titulo 5. de iustitia quaest. 6. artic. 2. Couarrubias in caput, Alma mater, 1. parte §. 9. num 4. Vgolinus tractatu 1. tabula 1. cap 9. §. 5. P. Suarez disput. 4. sectione 5. P. Vazquez supra. Et haec sententia mihi placet: & probatur à Doctoribus, quia Matthaei 18. datur haec facultas contra eum, qui Ecclesiam non audierit: nullus autem dicitur Ecclesiam non audire, quia violat ius naturale, aut diuinum. Suarez Vazquez.

Dices, eam conditionem assignari à Christo, vt debito ordine feratur excommunicatio, non tamen vt sit necessaria ad substantiam, vt aiunt, excommunicantis. Sed contra hoc est, quòd dum assignatur causa vnica excommunicationis, plane indicatur illam esse necessariam ad simpliciter ferendam excommunicationem: quod etiam Ecclesiae vsus, & sensus satis declarat: & Sotus dixit sententiam Caietani esse inauditam; neque, me iudice, audiendus est Corduba, qui lib. 2. quaest. 27. ad secundum dixit vtramque esse probabilem.

Vnde facilè intelligitur disparitas inter hanc poenam, & alias: ista enim ex Christi instituto requirit contumaciam, aliae verò non item: & sic manet soluta ratio contrariae opinionis.

Sed potest obijci caput, Quidem, supra quaestione 1. & alibi. De quibus legi potest Pater Suarez sectione 5. citata, articulo 14. & P. Vazquez supra numero 5. dixit Canones, qui adducuntur pro opinione Caietani, non excludere admonitionem, licèt non faciant mentionem, eius expressam. Suarez. Vazquez.

Restat explicare quae contumacia requiratur ad ferendam censuram.

Primò conueniun Couarrubias, Sotus, Pater Vazquez, & alij non esse temere quocumque peccato ferendam censuram: ad quod admonentur Prelati à Concilio Tridentino sessione 25. decreto de reformatione, cap. 3. Vazquez.

Secundò docent validam esse pro quocumque peccato mortali inobedientiae, quia haec solùm contumacia requiritur in Euangelio.

Restat illud explicandum, an sufficiat contumacia etiam in leui re.

Glossa in caput Duo, 96. & aliqui Iurisperiti putant, propter contumaciam in non comparendo etiam in leui re posse ferri excommunicationem: quia haec contumacia est in non comparendo, & in non parendo.

Hanc sententiam contrariam tenet Couarrubias loco allegato, & cum aliis Iurisperitis, quos ipse citat, & sequuntur recentiores, Pater Vazquez supra. Et notandum est primò, contumaciam in non comparendo, & in non parendo, non distingui, vt duae species distinguuntur, sed est vniuersale, & minus vniuersale: quia non parere potest reperiri in non comparendo, & in aliis materiis. Vazquez.

Secundò notat Pater Vazquez, contumaciam in praesenti posse esse duplicem; vel expressam, vt cùm quis violat praeceptum superioris; vel cùm quis, sine contemptu expresso, violat mandatum superioris, praecedenti admonitione: & ait quamlibet sufficere, si sit mortalis: vtroque enim modo non audit Ecclesiam. Vazquez.

Tertiò notat, tam in non comparendo, quàm in non parendo, posse esse con-

contumaciam, sine contemptu expresso, & cum illo, vt perfectè constat.

Vazquez. Deinde P. Vazquez dubio citato, n. 8. & 9. notat contēptum posse esse graue peccatum, & leue. Graue si moueatur ex fine non se subijciendi superiori; leue, si solùm moueatur ad violandum præceptum, ex leuitate materiæ.

Circa quam doctrinam aduertendum est laxè dici contemptum, quando quis mouetur ex paruitate materiæ: quia in obedientia specialis requirit expressum contemptum præcepti, vel superioris: Vazquez. quod notauit P. Vazquez prima secundæ disp. 111. num. 16. & de cōtemptu propriè sumpto loquens in eadem prima secundæ disp. 158. num. 33. & 38. docuit semper esse mortale, etiamsi aliàs materia sit leuis, quia grauitas non sumitur ex materia, sed ex eo quòd nō vult subiici superiori. Et videtur sententia Bernardi libro de præcepto, & dispensatione, cap. 11. in fine. Sed tractatu de excommunicatione dubio citato, ita loquitur P. Vazquez, quia ad effectum excommunicationis sufficit quilibet contemptus eorum, etiamsi sit peccatum mortale, vt paulò antè docuerat: erit autem contumacia mortalis, quoties contemptus est mortalis.

Ex quo infert, non fore validam excommunicationem neq; habere effectum, quādo contumacia solùm fuit venialis culpa propter rationem, & doctrinam supra traditam.

DVBIVM III.

Qualis debeat esse praeuia monitio.

ANte omnia videndū est, an hæc admonitio vel citatio debeat esse personalis, id est an sit necessarium, vt ipse excōmunicandus citetur, legatur P. Suarez di. spnt. 3. sect. 8. & 9.

Couarrubias loco citato, num. 4. docet in hac materia necessariam esse monitio-Suarez. nem personalem: & est communis sensus Doctorum, vt docuit P. Vazquez sup. nu. 10. Et ratio est, quia aliàs excommunicādus non esset contumax, nec diceretur nō audire Ecclesiam, si ipse non agnouit eam monitionem. Legatur P. Suarez sect. 12. Suarez. disp. 3. citat.

Excipiuntur tamen aliqui casus. Primus est, quando excommunicandus dolo facit ne admoneatur: pro quo citat Conar. plures iurisperitos, & aliqua capita.

Secundus est, quando quis fuit priùs personali citatione citatus; postea enim sufficit citatio in sua domo, vel per edicta publica, vt habetur in decisione Rotæ in nouis 399.

Tertiò, quando citatio facta in domo peruenit quocumque modo ad excommunicandum: tunc enim censetur personalis.

Quartus, cùm quis malè absolutus fuit ab excommunicatione, & tractatur de reducendo eo ad primam excommunicationem: quæ omnia sunt in vsu. Et ex dictis sequitur, quòd cùm monitio non peruenit ad notitiam excommunicati, excommunicatio nulla est. Ex quo principio plura dubia in specie occurrentia solui poterunt.

Deinde videndum est, an hæc admonitio debeat esse trina.

Conueniunt Doctores, quòd si sit excommunicatio à iure, non est necessaria alia preter ipsam, quā ius ex se habet: semper enim admonemur à iure ad non peccādum. Legatur P. Suar. disp. 3. sect. 8. n. 6. Suarez.

Secundò concedunt authores, in sententia excomm. lata ab homine ex dispositione iuris necessariam esse trinam, quæ iuris ordinem habeat, cap Constitutionum, de sententia excomm. in 6. & in Concilio Rothemagēsi, & refertur 16. q 7. Cùm omnes diuinę. Colligi etiā solet, ex c. 18. Matthæi, vbi præmittitur trina monitio. Neq; huic doctrinæ cōtradicit illud Pauli ad Titū tertio, Hereticū hominem post primam & secundam correptionem deuita: quia Paulus nō assignat præceptum; sed docet in eo euentu propter periculum esse vitandum talem hereticum.

Iudices verò non præmittentes trinam monitionem priuantur in Concilio Lateranensi sub Innocen. IIII. & refertur in c. Sacro, de sent. excomm. & in Concilio Lugdunensi sub Innoc. IIII. Aliqui casus referuntur, in quibus dicitur nō esse peccatū omittere admonitionē, de quibus legi potest P. Suarez disp 3. sect. 10. & semper Suarez. dicendum est, quòd licèt possit omitti trina, vel canonica monitio, non tamen aliqua, vt infra dicemus.

Difficultas verò est, an sufficiat vna monitio canonica pro his tribus; vt cùm dicitur, Admonemus te, vt intra quindecim

dies restituas, quos tibi pro tribus admonitionibus assignamus.

Sotus 4.d.22.q.1.art 2.putat non sufficere nisi causa vrgente, & probat ex cap. Constitutionum, iam citato.

Sed Couar.& alij absolutè docent sufficere prędictam canonicam monitionem: neque oppositum colligitur ex cap. Constitutionum, quia in eo non dicitur, Instante necessitate; sed absolutè. Quod verò additur, Nisi facti necessitas aliud postulet, solùm significat talem posse esse necessitatem, vt sine tribus monitionibus, vel tribus interuallis, possit excommunicatio ferri.

Modo verò in Concilio Tridentino sess. sione 25 decreto de reformatione cap.3. in causis criminalibus conceditur, vt cùm executioni locus non datur, liceat iudici Ecclesiastico gladio excommunicationis vti, bina saltem præcedenti admonitione.

Sed solet obijci caput, Reprehensibilis, de appellationibus, nisi fortè talis sit culpa, quæ ipso iure suspensionis, vel excommunicationis pœnam inducat.

Ex quo textu aliqui Iurisperiti censent nō requiri canonicam monitionem, quãdo quis excommunicatur ob crimen, quod ipso iure excommunicationem secum affert.

Couarrubias tamē suprà docet, textum non loqui de noua excommunicatione pro eodem crimine ferenda; sed de declaratione excommunicationis illius, quę iure ipso incurritur: tunc enim non requiritur alia monitio.

DVBIVM IIII.

An sit nulla excommunicatio, quando nec sunt tres monitiones, neque vna canonica pro tribus.

Vazquez. LEgatur P.Vazquez sup.& P.Sua. sect. 9. Et primò sciendum est, si excommunicatio fiat in particulari absque trina monitione, erit nulla ex dispositione iuris, c. Cōstitutionum, citato, de sententia excōmunicationis in 6. Si verò non sit in participantes, poterit esse valida, si præcedat aliqua monitio, etiamsi omittatur trina, vel vnica canonica monitio: quia illud necessarium est ad iustè, & debito ordine ferendam sententiam. Et est communis sensus Doctorum, & videtur colligi ex capite, Cùm medicinalis, de sententia excom. in sexto.

Deinde sciendum est, eandem esse rationem in excommunicatione lata à iudice delegato, quia in mandato delegationis non præcipitur, quòd præmittatur trina monitio. Ita sensit Couarrub. in cap. Alma mater 1.p.§.9.num.8. P. Vazquez Vazquez dub. citato num. 16.

Quòd si in mandato præcipiatur, vt feretur trina monitio, aliqui Iurisperiti docent fore nullam, si prætermittatur, quia fertur contra formam mandati.

Alij verò putant sententiam delegati fore nullam, quando non conseruatur forma mandati: in quo aliqua ponuntur, quæ alias non requirebantur à iure. In pręsenti verò casu, etiamsi in mandato requiratur trina, vel canonica monitio, tamen hoc requiritur à iure: & ita etiamsi omittatur, non ideo erit nulla in casu, in quo sic lata ab ordine, esset valida: quia illa verba in mandato non censentur habere minorem necessitatem, quàm in iure. Et hanc doctrinam recipit P. Vazquez supra: quam limitat Couar. nisi quæ tradita sunt à iure speciali necessitate, requirantur à iudice. Vazquez

Ex doctrina tradita potest solui dubium, quod nonnulli tractant, an quando excommunicatio fertur à Prælato, non per modum iudicii, sed per modū defensionis ad defendendum ius proprium, requiratur monitio.

Aliqui Iurisperiti docent in hoc euentu nō esse necessariam monitionem. Pro hac opinione aliquos refert Couarrubias infra citandus: & eam sequitur Vgolinus tabul. 1. de censuris lib. 2. cap. 18. quia tunc excommunicatio non est à iudice, vt iudex; sed vt à persona priuata defendente suum ius. Probatur etiam ex cap. Dilecti, de sententia excomm.

Sed contrariam sententiam docet Couarrub. in caput, Alma mater 1 part. relect. §.9. cum aliis Doctoribus: & sequitur P. Vazquez dubio 12. citat. num. 15. P. Suarez disp. 3 quia iura nullam talem faciunt exceptionem: & in cap. Dilecti, citato, nihil contra hoc dicitur.

Itē vocant in quæstionē Doctores, an sit licitū ferre excōmunicationē, quādo potest fieri exequutio realis, vel personalis.

Sotus

Sotus autem cit. docuit, quòd quando fa cilè potest procedi ad executionem, siue in causis ciuilibus, siue criminalibus, non conuenit per censuras procedere. Et idem sentit P. Vazquez dub. 12. num. 18. Et hac censura non esse facilè vtendum, decreuit Concil. Tridentino sess. 25. decreto de reformatione cap. 3.

DVBIVM V.

Vtrum pro futuris culpis possit imponi excommunicatio.

DE Hac re disputat P. Vazquez dubio 12. P. Suarez de censuris in genere disput. 3.

Quæstionis causa sumitur ex eo quod Innocent. IIII. Constitutione quadam, quã refert Couarrubias, & est cap. Romana, de sentẽtia excom. in sexto, prohibet, ne aliquando iudices proferant sententias generaliter, aut particulariter pro futuris culpis, vel pro cõmissis sub hac forma, nisi intra tantum tempus satisfaciat.

Ex alia verò parte est caput A nobis, de sententia excommunicationis, vbi tanquam verum supponitur pro culpis futuris posse imponi excommunicationem: quod etiam habet vsus.

In hac re communior sentẽtia est, posse ferri excommunicationem sub prædicta forma. Ita Couarrubias, & P. Vazquez, sicut cum alijs Doctoribus P. Suarez dist. 3. sect. 4.

Vazquez. Suarez. Notat verò P. Vazquez, quòd duobus modis potest hæc sententia ferri vno modo, quando quis contendit, vt sine vlla monitione sit excommunicatus, si non satisfecerit, ita vt elapso tempore incurrat. Secũdò, si cõtendit, vt sine alia monitione sit excommunicandus, vel excommunicatus, si intra certum tempus non satisfecerit. Et in his casibus non apparet ratio, ob quam non possit hoc fieri: nam cõminatio illa cùm illo tempore accipitur à debitore pro trina monitione: quod fieri posse, etiam docuit Nauarrus in capite Cùm contingat, capite de rescriptis, & in praxi esse receptum affirmant Couarrub. & alij: & circa solutionem pensionis solet hoc onus imponi.

Addit Couarrubias vsum forensem esse, vt sine consensu citandi, citetur, ita vt illi concedatur spatium aliquorum mdierum sub pœna excommunicationis, in quo con siderato iure naturali nihil elucet contra rationem. Solùm restat explicare constitutionem Innocentij Quarti, propter quam aliqui existimarunt, iure positiuo esse prohibitum talem modum ferendi censuram.

Oportet verò illud explicare. P. Suarez suprà dist. 3. sect. 4. à num. 5. de hoc agit, & docet, quòd in eo capite fuit prohibitus talis modus ferendi excommunicationẽ: sed iam est ea probibitio abrogata. Secũdò addit, solùm in eo capite admoneri iudices, ne facilè tales censuras ferant. Tertiò docet, in eo capite esse additum, vt in sententia exprimatur causa.

Deinde aliqui Iuristæ voluerunt in eo capite statui, vt iudex non posset ferre sententiam sub ea forma, benè tamen posse per ius sub ea forma ferri. Sed hæc excogitatio refutatur à Couarrub. & alijs, quia in praxi contrarium receptum est: nam iudices hoc modo ferunt sententias.

Couarrubias, P. Vazquez, & alij, docent in capite, Romana, duas regulas tradi, & vnicuique assignari vnam exceptionem, & vtrique simul vnam exceptionem communem. Vazquez.

Prima regula est, Non statuatur excommunicatio pro futuris culpis: & additur exceptio, Nisi culpa, vel offensa præcesserit.

Secunda regula est, Excommunicatio nõ feratur sub ea conditione, si intra decem dies non satisfecerit: & additur exceptio, Nisi in ea præcesserit in satisfaciendo.

Et vtrique regulæ communis exceptio est, nisi alia rationabilis causa subsit.

Ex his autem fit, nihil in eo capite statui contra vsum, quia non fit talis sententia sine aliqua rationabili causa.

Alia poterunt hic notari, quæ dicentur suis locis.

Hic posset disputari, an propter actum purè internum possit imponi excõmunicatio. De qua quæstione diximus supra dis putat. 4. & legi potest P. Vazquez tractatu de excommunicatione dub. 13. Vazquez.

Alia etiam diximus in ea disputatione, quę in hac materia locum habent, & sunt obseruanda.

Ex dictis constat de causa materiali ex parte excommunicandi, nempe, peccatũ de

de ſubiecto verò remoto, hoc eſt perſona, quæ poteſt excommunicari, dicemus infrà. Conſtat etiam cauſa formalis: obſeruanda enim ſunt quæ diximus de cenſuris in genere diſp. 3. Item de cauſa efficienti, id eſt, de eo qui poteſt ferre excommunicationem: dicemus ſpeciali diſputatione in ſequentibus.

Item hoc loco poterat diſputari de ignorantia, quando excuſat, vel non excuſat à cenſura: de qua diximus diſp. 5. & legi poteſt P. Vazquez tractatu de excommunicatione dubio 14. 15. & 16. P. Suarez de cenſuris diſp. 4. à ſect. 8.

Vazquez.
Suarez.

DISPVTATIO XIX.

De excommunicatione, quæ incurritur propter communicationem cum excommunicato.

DE Hac materia agit P. Vazquez tractatu de excommunicatione dub. 10. P. Suarez diſp. 17. ſect. 2.

DVBIVM PRIMVM.

Quando incurratur excommunicatio, & qualis, propter communicationem cum excommunicato.

COnueniunt Doctores non ſemper incurri maiorem excõmunicationem, licèt in aliquibus canonibus dicatur communicatorem cum excommunicato eadẽ excommunicationis pœna affici.

Sed poteſt contra hoc obijci caput, Significauit, de ſententia excom. de quo diximus ſupra diſp. 12. dubio 2. vbi explicuimus peculiarem caſum, in quo incurritur excommunicatio propter communicationem cum excommunicato, de quo P. Vazquez dub. 10.

Alius caſus eſt, quãdo quis cõmunicat cũ excommunicato in crimine crimino ſo, & hoc eſt verũ, ſiue ſit excõmunicatus à iure, ſiue ab homine, vt cũ alijs notauit P. Vazquez dubio illo decimo citato: per crimen verò criminoſum intelligitur crimen, ob quod impoſita eſt excommunicatio, iuxta cap. Nuper, & caput, Si concubinæ, de ſententia excom.

Vazquez.

Sed notandum eſt primò cum Caiet. in ſum. verbo Excommunicatio, cap. 58. & Nauarrus in ſum. cap. 27. num. 32. P. Vazquez dubio citato, hoc eſſe intelligẽdum quando quis participat in eodem crimine, propter quod imponitur excommunicatio poſt latam ſententiam, & poſtquã quis illam incurret: quod probatur ex capite, Si concubinæ citato, illis verbis Qui poſt latam ſententiam communicauit in eodem crimine: & poſt Concilium Conſtantienſe debet intelligi de communicatione cum excommunicato nominatim, & denunciato, vt ait ſupra P. Vazquez, & Nauarro in ſum. cap. 27. num. 112. quod bene explicat P. Vazquez, & P. Suar. diſp. 17. ſect. 2. num. 5.

Vazquez.
Vazquez.
Suarez.

Alius caſus eſt, quando quis communicat cum excommunicato à Papa, & ſuis participantibus. Circa quem caſum Gab. 4 diſt. 17 quſt 3. art. 1. dicit neceſſariam eſſe præuiã canonicam monitionem. Sed P. Vazquez ſupra cenſet non eſſe hanc neceſſariam: nam in capite, Quod in dubijs, de ſententia excommun. dicitur, quòd qui præſumptuoſe communicauerint cum excommunicatis nominatis, nõ ſint excommunicationis vinculo innodandi, niſi canonicè admoneãtur. Et additur: Secus autem, ſi ſcienter communicent ei, qui cum participibus ſuis eſt vinculo excommunicationis ſententialiter innodatus: tunc enim & ipſi ſententiam incurrunt excõmunicationis, ergo ſine canonica monitione, quam in alijs requirunt.

Item incurritur excommunicatio, quãdo ſpeciali præcepto iudicis participantes excommunicantur, vt Doctores concedunt. Eſt tamen circa hoc controuerſia, an in hoc euentu ſit neceſſaria vnica monitio præuia, vt ſit valida excommunicatio. Et quidem eſſe neceſſariam monitionem præuiam docuerunt Maior 4. diſt. 10. q. 3. Gabriel q. 3. art. 2. Couarrubias in caput Alma mater 1 p. §. 3. num. 3. & ſequitur P. Vazquez ſupra, qui 1. 2. diſt. 158. num. 43. retulit vtramque opinionem, nec tulit iudicium de probabiliori, quia non diſputabat de his. Præſens verò difficultas eſt, an ſit hæc monitio neceſſaria, vt ſit valida excommunicatio. Couarrubias videtur ſentire ſolùm eſſe neceſſariam, vt

Vazquez.

ſit

sit valida, quando quis excommunicat communicantes cum excommunicatis à se ipso; secus quando excommunicat com municãtes cum excommunicatis ab alio: tunc enim solum est necessaria monitio, vt licitè feratur excommunicatio. Probat Couarrubias ex capit. Statuimus de sent. excom. Sed hoc caput solùm loquitur de excommunicatis ab eodem.

Verùm caput, Constitutionẽ, eodem titulo in sexto, absolutè loquitur de quibuscunque excommunicatis: & ideo P. Vazquez probabilius putat requiri canonicam monitionem.

Vocat verò in dubium P. Vazquez loco allegato, quomodo hæc communicatio sit mortalis, refertq; varia placita dub. 10. n. 12. & tandẽ respondet, hanc communicationẽ sæpe fore veniale, cõsideratis variis circũstantiis: & addit certũ esse post monitionẽ materiam esse grauẽ, quia post illã incurritur excommunicatio. Et 1. 2. disp. 158. cit. num. 44. reprehendit eos, qui dicunt ex pœna excõmunicationis non colligi violationem legis esse grauem culpã. De hoc dubio fuse philosophatur P. Suarez disp. 18. sect. 3. à num. 12. Suarez.

Mihi videtur primò, grauitatem peccati sumendam esse ex grauitate materię, cõsiderata natura cuiuslibet peccati, vt ex illa colligatur, quæ sit materia.

Secundò existimo, rationem leuem ante præceptum non fieri, nec fieri posse graue ex præcepto, vel pœna formaliter, nisi aliqua ratione materia varietur. Tertiò quod ad praxim attinet, ex pœna excommunicationis arbitror colligi ferentem legem, aut præceptum iudicasse talem obiectũ esse aptũ de se, vt facta materia specialis virtutis, in qua constituitur ratione præcepti sit grauis: & subditi ita debent iudicare, prout ex instituto dicemus in materia de legibus.

Hic posset disputari, an aliquando incurratur excommunicatio minor ob communicationem cum excommunicato. Sed de hoc agemus infra disp. de excommunicatione minori.

Item posset disputari, an à prędicta excommunicatione posset quis excusari ob metum mortis. Sed de hoc in simili supra distinctione.

(d.)

DUBIUM II.

An prædicta sententia excommunicationis possit ligare existentes extra territorium ferentis illam.

Ante omnia notanda est differentia quædam inter sententiam, quæ lata est à iudice, & quæ lata est à iure: quæ enim lata est à iudice, solũ ligat eos, qui sunt illi subiecti, cùm fert illam: sentẽtia verò iudicis refertur ad tempus, in quo fertur, nõ ad futurum, & respectu subditorum. Si verò sit lata à canone, & iure, obligat omnes, qui delinquũt intra territorium, licèt tempore legis latæ essent extra illud: quia lex durat etiam in futurũm, si non abrogetur. Cognoscetur autẽ tunc fuisse sententiam, quoties qui illam fert, non habet potestatem condendi legem.

In præsenti verò dubio, Couarrubias in caput Alma mater 1. p. relect. § 9. docet, quòd si lex nihil exprimit, siue absolutè loquatur, non ligabit excommunicatio, si quis extra territorium delinquat: communiter enim leges non obligant, nisi existẽtes in Prouincia, si videatur exponi in lege, quod velit obligare subditos etiam existentes extra territorium, ligabit, cùm id possit esse conueniens bono propriæ Prouinciæ: & tales dicit esse Couarrubias leg. eis, de non transportandis equis in alias Prouincias: quod probat P. Vazquez. Legatur P. Suar. disp. 3. sect. 5. disp. 5. sect. 4. & 5. Suarez.

DISPUTATIO XX.

De excommunicatione iniusta.

De Hac materia agit P. Vazquez tracta. tu de excommunicatione dub. 11. P. Suarez de censuris disp. 4. sect. 4. & 7.

DUBIUM PRIMUM.

An excommunicatio ex causa præsumpta obliget.

Difficultas intelligitur à Doctoribus, quando excommunicato euidenter constat de falsitate causæ.

Ante

Ante omnia notandum est, posse excommunicationem esse nullam aliquando, & interdum iniustam simul, & validam.

Et si de excommunicatione nulla sit sermo, omnes fatentur reuera nullum habere effectum; sed propter scandalum obseruanda est in publico, donec veritas manifestata sit. Quòd si ante manifestationē veritatis excommunicatus publicè se ingerat diuinis, peccabit; nullam tamen pęnam iuris incurret ipso facto; cognita tamen veritate nullum erit scandalum illā non obseruare.

Docuit verò Syluester verbo Excommunicatio, secundo notabili, 1. casu 15. P. Vazquez supra, cum alijs Doctoribus, satis esse, vt excommunicatio sit nulla, quòd ita iudicetur à sapientibus: neque est necessarium, vt vulgus ita iudicet. Bene autem notauit P. Vazquez necessariū esse, vt antequàm quis operetur contra illam, manifestetur vulgo iudicium sapientium: hoc enim condonandum est ignorantiæ proximæ de quo secunda secundę ad quęst. 43. dixımus.

De iniusta verò excommunicatione, valida tamen, notandum est, tripliciter posse esse iniustam, vno modo ex prauo affectu tantùm. Secundò ex defectu ordinis à iure statuti. Tertiò ex defectu causæ, quando reuera non est, licèt præsumatur.

Et si primo tantùm modo sit iniusta, non videtur dubium, quin habeat omnes effectus: quia si alia omnia requisita adsint, solus prauus affectus iudicis non impedit efficacitatem sententiæ. Et idem in dicandum est de excommunicatione iniusta ex solo defectu ordinis, & iniusta ex defectu causæ.

Prima opinio fuit antiquorum, qui in proposito dubio dixerunt, talem sententiam validam esse, atque timendam, & obseruandam. Ita S. Thom. 4. dist. 18. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula 5. Rich art. 1. quæst. 1. Dur. q. 4. & aliorū. Probatur ex capite, Sententia 11. quæst. 3. vbi dicitur, sententiam iudicis, siue iustam, siue iniustam, timendam esse. Secundò, quia secundum allegata & probata talis sententia est vera: ergo habet effectum.

Gabriel dist. 18. quęst. 2. art. 2. docet talem sentētiam nō obligare quoad Deum, bene tamen quoad Ecclesiam: & sequitur Adrianus quodlibeto sexto articulo primo, Maior distinctione 18. q. 2. articulo 4. & alij, qui docent eam tantùm esse seruandam in publico, non tamen in occulto.

Deinde alij Doctores 4. dist. 22. q. 1. art. 3. Caietan. opusculo 7. quæstionum, q. 13. ad 2 & 2. 2. q. 7. art. 4. & nonnulli alij dicunt, prædictam sententiam non esse sententiam reuera, secundum doctrinā Theologorum. Addit verò Sotus, obligare ratione scandali, & obedientiæ; & quamuis aliqui apellent hanc sentiam secundum quid; & alij velint apellandam esse sententiam simpliciter: vt ex Caietano & Nauarro refert P. Vazquez supra num. 6. tamen hęc controuersia nominis videtur, non rei.

Primò ergo dicendum est, in publico sic excommunicatum obligari ad obediendum iudici, qui secundum allegata & probata rectè iudicat. Sic P. Vazquez cum multis alijs.

Secundò existimo verum quod Couarrubias, Sotus, Caietan. Adria. & P. Vazquez cum alijs docuerunt, in occulto non obligari ad obediendum, est enim ille innocens: ergo non est causa, ob quam obligetur iste ad obediendum, quando nullum est scandalum: & causa videtur publica.

Addit P. Vazquez non esse improbabilem sententiam antiquorum asserentium etiā in occulto obligari ad obediēdū: quia iudex iustè procedit, & habet potestatem præcipiendi modo humano, hoc est, secundum allegata, & probata. Legatur num 9. & 16. & 20. explicat Authores illos, quia talis præsumptio non solùm est iuris, sed de iure, id est, non tantùm culpę verę, sed etiam præsumptæ, secundum ius. *Vazquez.*

DVBIVM II.

An prædicta excommunicatio inducat omnes pœnas veræ excommunicationis.

Dubium potest esse, & de pœnis spiritualibus, & de externis, & de his, qui sequuntur ipso facto per excommunicationem; vel de his qui eueniunt ex violatione excommunicationis.

Difficultas ergo prima est de spiritualibus pœnis, an ipso facto incurratur, verbi

bi gratia sit priuatio suffragiorum Ecclesiæ.

Et Caietanus, Sotus, Couarr. & Adrianus citati dubio præcedenti, dixerunt nô incurri ipso facto.

Vazquez. P. Vazquez loco citato, docet primò certum esse fideles orantes in publico non orare pro tali excommunicato, etiamsi illis constet illum esse innocentem, quia talis sententia saltem habet vim obligandi in actionibus externis, & iudex procedit secundum allegata, & probata.

Sed dubium est, an orationes Ecclesiæ generales pro fidelibus, à quibus excluduntur excommunicati, excludatur prædictus excommunicatus. Et pro responsione citati Doctores putant non incurrere hanc pœnam: & sequitur P. Vazquez, Vazquez. quia non est credendum Ecclesiam hoc velle.

Restat dicendum de exterioribus effectibus, de quibus P. Vazquez supra nu- Vazquez. mero 13. putat, quòd tam in publico, quã in secreto incurritur. Ita vt, verbi gratia, ille maneat priuatus electione actiua, & passiua beneficiorum. Et huic sententiæ, fauent Doctores citati dubio præcedenti, qui absolutè dixerunt talem excommunicationem obligare, non distinguentes de obligatione in publico, vel in secreto. Probatur verò hęc sententia ex capit. Venerabilibus, de sententia excommunicationis, in sexto, vbi assignatur differentia inter absolutionem excommunicationis iniustæ, & excommunicationis nullius, quòd absolutio nullius solet esse ad cautelam; alterius verò semper est simplex absolutio. Et quod possit Ecclesia eas pœnas imponere patet, quia dare ius ad electionem, vel iurisdictionem & administranda sacramenta, pendet ex iudicio Ecclesiæ, & habet potestatem auferendi secundum allegata, & probata.

In hoc tamen contrarium sentiunt aliqui, & sequitur P. Suarez disputatio 4. Suarez. sect. 7. numero 14. solùm quia non est credibile Ecclesiam velle hoc modo obligare.

Ego verò tutiorem existimo sententiam Vazquez. P. Vazquez licèt contraria non caret probabilitate, præsertim in ordine ad praxim, & sedandas conscientias.

Restat dicendum de pœnis, quas incurrunt, qui violant censuras prædictas.

Aliqui videntur indicare talem excommunicatum facientem contra excommunicationem incurrere has pęnas irregularitatis, verbi gratia, aut similem. Alij verò dicunt, solùm in foro externo habẽdum quasi illas contraxerit.

Item Couarrub. supra, & multi alij, & P. Vazquez num. 19. dicit illas non incurrere, quoties illæ solùm fiant contra sententiam in occulto: & probat P. Vazquez, Vazquez. quia istę pœnæ non infliguntur ab homine, sed à iure violanti pręceptum: & in occulto, vt diximus, non obligatur pręcepto, & ita pœna non habet locum.

Addit contrarium esse probabile secundum opinionem contrariam aliarum, iuxta dicta dubio præcedenti.

Deinde si violet censuram in publico, fatetur P. Vazquez reuera incurrere irre- Vazquez. gularitatem, & alias pœnas iuris: quia illæ assignantur à iure pro his, qui violant præceptum iudicis: prædictus autem excommunicatus reuera violat, quia in publico tenetur obedire.

Sed P. Suarez sect. citata articulo 2. cen- Suarez. set istum reuera non esse irregularem. Primò, quia iste reuera non est excommunicatus. Secundò, quia pęnæ istę impositæ à iure non incurruntur propter actum, nisi sit perfectus in sua specie, qualis non est hic.

Quæ argumenta facilem habent solutionem.

Ad primum dicendum est, illum esse excommunicatum, hoc sensu, vt teneatur obedire præcepto iudicis, qui præcipit secundum allegata & probata.

Ad secundum, violationem huius præcepti, ob quam imponitur prędicta pęna, perfectam esse in sua specie.

Nihilominus probabilis est sententia P. Suarez; sed cùm quęstio sit de violatio- Vazquez. ne in publico, priuatur ille reuera vt violator censuræ, & habebitur vt irregularis.

Ex dictis possunt inferri aliqua, ad ostendendum, quomodò sit philosophandum in aliquibus dubijs.

Primò sequitur communicantem cum excommunicato non incurrere pœnas iuris impositas communicanti cum excommunicato.

Secundò sequitur non incurrere has pœnas eum, qui solùm in occulto communicant cum excommunicato iniustè ob solam præsumptam causam; secus si communi-

Vazquez. municaret in publico, vt notauit P. Vazquez, qui consectariè loquitur num. 21.

Disputant verò aliqui, an saltem quando quis ex contemptu violat sententiam iustam solùm secundum allegata, & probata, incurrat pœnam, de quo legi potest P. Suarez. Suarez supra num 22. Et dicendum est ob solum contemptum non incurrere, si aliàs ob violationem non incurreret: nam pœna non est imposita ob solum contemptum contra supra tradita, dicemus aliqua dubio sequenti.

DVBIVM III.

Quid dicendum sit de sententia excommunicationis, de qua probabiliter dubitatur an sit valida.

IN Hac quæstione Sotus supra citatus sentit in dubio præsumendum esse pro iudice. Vnde obligandus est hic excommunicatus ad obediendum præcepto iudicis in publico, & in occulto: & ita secundum sententiamSoti videtur dicendum illum incurrere pœnas iuris, si violet præceptum in publico, aut secreto; quamuis Vazquez. hoc non explicet Sotus.

Sed P. Vazquez supra num. 23. docet, quòd si reuera non est valida, non incurret sic excommunicatus pœnas, quæ sunt à vera excommunicatione: quia si non est valida sententia, non erit reuera excommunicatio.

Contra doctrinam traditam in dubijs præcedentibus solent obijci aliqua testimonia Patrum. Vnum est Gelasij, cap. Cui est illata 11. q. 3. quod caput Couarrubias in caput Alma mater 1 p. § 7. num. 7. intelligit de iniusta sententia, quæ simul est inualida.

Secundus est Aug. cap. illud plane 11. q. 3. quod eodem modo est intelligendum, nam ibidem dicitur, quòd plus nocet ea excommunicatio excommunicanti, quàm excommunicato: quod non esset verum, si esset valida, vel de illa quæ prauo affectu datur, aut contra iuris ordinem: tunc enim excommunicans peccat, excommunicatus verò solùm per illam sententiam recipit pœnam.

Tertius est Origenes homilia 4. in Leuitic. cum cap. Si quis non 24. q. 7. quod immeritò Gratianus tribuit Hieronymo super Leuiticum, quod opus non cognoscitur. Quem textum supra num. 5. addidit Couarrubias ad probandum, quòd iniustę sententię nō teneatur quis in occulto parere, quia non est contra nostram doctrinam.

Ex dictis facile est iudicare, quid sit de sententia iniusta culpæ, & ex defectu obseruandi iuris ordinem.

Nam quando causa deest, nulla est, vt sępe notauimus: cui deffectum si subiūgatur defectus ordinis iuridici, augetur nullitas, licet solùm aliquis deffectus iuris non semper reddat inualidam sententiam; licèt faciat aliquo modo iniustitiam: quod etiam ex dictis colligendum est.

DISPVTATIO XXI.

De excommunicatione minori.

DE Hac materia agit P. Suarez disputatione 24. P. Vazquez varijs dubijs tractatu de excommunicatione, agēs de maiori, & minori: sed iuuat quæ sparsa sunt, ad vnam disputationem colligere.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit excommunicatio minor, & quem habeat effectum.

MINor excommunicatio definitur, quòd sit censura priuans Sacramentorum participatione. Ita definitur capite penultimo, de sententia excommunicationis, & colligitur ex Theologis 4. dist. 18. & 22. & ex summistis verbo, excommunicatio, & alijs Doctoribus, quos supra retulimus in peculiaribus tractatibus de censuris, & communiter tantùm dicitur esse vna.

Solet verò obijci lex partitæ titulo 9. p. 5. in qua distinguuntur duæ species minoris excommunicationis: altera, quę priuat communicatione hominum, altera quæ priuat participatione Sacramentorum: vbi Gregorius Lopez plura docet. Dicēdum verò est, excommunicationem, quæ solùm priuat communione hominum, non

Suarez. non esse in vsu, vt bene P. Suarez dist. 24. sect. 1.

Alij aliam referunt distinctionem excommunicationis minoris, vt vna sit quæ priuat participatione Sacramentorum: alia, quæ priuat omni communicatione respectu aliquorum fidelium, non respectu omnium. Quam distinctionem colligunt ex aliquibus iuribus, vt refert P. Suarez supra, qui rectè dicit illam pœnam nô esse in vsu, & potiùs pertinere ad maiorem excommunicationem, si priuat omni communicatione sacra, & humana, qui alia dicit de nomine excommunicationis.

Circa secundam partem dicendum est, excommunicationem minorem non priuare suffragijs Ecclesiæ, quibus priuat maior excommunicatio. Ita docet cum alijs Vazquez. Doctoribus P. Vazquez tractatu de excommunicatione dub. 2.

Secundò priuatio electionis actiuæ ad beneficia non est effectus minoris excommunicationis, vt docuit P. Vazquez dub. 5. in vltimis verbis.

Sed difficultas est, nam in capite , *Illa quotidiana*, de electione, vbi prædictus excommunicatus videtur priuari voce actiua eligendi: sed in eo capite solùm sub conditione loquitur Pontifex ad sedandas côscientias illis verbis: *Si qui defectus*. Et quòd non priuetur voce actiua, habetur capite, Si celebret, de clerico excommunicato ministrante.

An verò possit eligi, quæstio est. Conarrubias in capit. Alma mater 1. p. §. 8. docet esse talem electionem nullam, & affirmat hanc esse communem opinionem Iurisperitorum.

Secunda opinio est, quam multi sequuntur, & docent primò, talem electionem etiam scienter factam excommunicato, esse validam. Ita docent Rich. 4. dist. 18. art. 7. q. 4. Et ratio est, quia hoc pêdet ex iure positiuo: nullum autem est ius positiuum, quo cassetur talis electio. Caput verò, Si celebret, citatum, tantû dicit irritandam esse: & sequitur P. Vazquez dubio 6. ad finem, qui addit, falsum etiam esse id, quod docuit Couarrubias, electionem ignoranter factam excommunicato nullam esse, quia hoc non probat Couar. nisi authoritate Iurisperitorû; & tamen in c. additur: Si talis sciêter electus fuerit: & sic sentit Syl Suarez. uester, excômunicatio 4. dubio, & P. Suarez supra sect. 2. â num. 21. Addendum est hanc doctrinam intelligendâ esse in omni electione cuiusuis beneficij Ecclesiastici: nam citatum caput sic est communiter intellectum â Doctoribus.

Altera difficultas circa administrationem Sacramentorum, an peccet qui illa administrat ligatus excommunicatione minori, de quo agit P. Vazquez dub. 4. Vazquez.

Prima opinio est asserentium istum non peccare, ita docent Nauarrus in sum. cap. 27. num. 24. & sequuntur alij, quia iste nô prohibetur administrare Sacramenta, P. Suarez. Suarez sect. 2. â num. 7.

Secunda opinio est asserentium istum peccare, non tamen mortaliter. Et quòd peccet ille, colligitur ex capite citato, Si celebret, dicitur enim, Peccare autem cô ferendo Ecclesiastica Sacramenta. Quòd verò solùm peccet venialiter, probari potest, quia in eo capite dicitur, quòd peccet grauiter celebrando: postea verò solùm dicitur quòd peccet administrando. Citâtur aliqui pro hac opinione, qui tamen obscurè loquuntur.

Aliarum sententia est, esse peccatum mortale, ita sensit Syluester excommunicatio 4. notabili 1. P. Vazquez dubio. 4. & alij. Et quòd sit peccatum graue, si est peccatum, probari potest ex materia, quæ hic nô videtur leuis. Quod verò faciet peccatum, probandum est ex citato capite, Si celebret.

Sed respondent Nauarrus, & alij, illum Sacerdotem dici peccare, quia celebrat; non quia administrat Sacramenta. Quam expositionem fusiùs contendit explicare P. Suarez, quam iam olim refutauerat P. Vazque loco allegato, quia Pontifex vniuersaliter loquitur, cùm dicit, Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta, sicut cùm dicit, Ab eo tamê collata vir tutis non carent effectu. Et ideo mihi placet sententia, quam sequitur P. Vazquez. Vazquez. Aliam expositionem eius capitis addidit P. Suarez, quam omitto, quia etiam ipsi Patri Suario non placet: & supposita excommunicatione, putat P. Vazquez esse iure diuino indignum ministrum sic excommunicatum.

DVBIVM II.

An excommunicatus minori excommunicatione ita sit remotus ab administratione, vt Sacramenta eis collata careant effectu.

DE Excommunicato excommunicatione maiori diximus supra distin 9. dub. vltimo: & secluso Sacramento pœnitentiæ, de alijs certum est esse valida: quod de alijs facilè intelligitur, & de matrimonio idem est: quia licèt posset ab Ecclesia irritari pro tali casu, tamen hactenus non est factum nullum.

Aliqua sententia est, esse validam absolutionem receptam ab excommunicato minori excommunicatione, quia non videtur ius aliquod, quo annulletur.

Vazquez. Sed aliorum sententia est, quam sequitur P. Vazquez dubio 4. talem absolutionem esse nullam, quia est iure statutum, capite Si celebrat, de clerico excommunicato, vt dicebam disp. illa 9. dub. vltimo: vbi ponderabam verba capitis citati, est necessarium repetere.

Vazquez. Meritò autem docuit P. Vazquez, etiam ante Concilium excommunicatum minori excommunicatione non recipere validum Sacramentum, quia Concilium Constantiense nihil innouauit in fauorem excommunicatorum.

Vbi posset aliquis quærere, an decretum Concil. Constan. habeat locū respectu excōmunicati minori excōmunicatione. Et dicendū est, habere locum respectu fidelium non excommunicatorum, vt non teneantur illam vitare nisi iuxta decretum Concilij; ita tamen, vt ipsis excommunicatis non fiat directè fauor aliquis, vt Vazquez. supponit P. Vazquez vbi proximè, & P. Suarez sectione secunda citata à numero 26.

Deinde hoc loco placet dicere aliqua fuisse tradita de excommunicato maiori excommunicatione, quæ locum suo modo habent circa excommunicatum excōmunicatione maiori, vt sunt ea, quę docuimus disp. 10. & quæ tradidimus disp. 13. & nonnulla, de quibus egimus disp. 17. & similia, quæ notaui, non erit difficile studioso lectori: disputatione verò 18. disputauimus de causa, ob quam no ponitur excommunicatio maior, & similiter necessarium est hic disputare causa, ob quam incurritur excommunicatio minor.

DVBIVM III.

Propter quam causam incurratur excommunicatio minor.

PLacet verò ex principijs generalibus nonnulla notare hoc loco: vnum est hanc censuram imponi propter aliquam culpam: quia est pœna. Ita docent authores agentes de peccato, ob quod imponitur excommunicatio maior: qui etiam docēt sufficere peccatum veniale. Et opinor sine peccato veniali saltem non posse validè imponi talem pœnam: sicut de maiori excommunicatione diximus disput. 18. non posse imponi sine peccato.

Item necessariū est, vt talis actus sit exterior, quia pure internū non potest Ecclesia punire.

Vocari verò potest in quæstionem, an ad hanc censuram ferendam sit necessaria aliqua monitio. Refertur Syluester excommunicatio quarto, negans esse necessariam.

Sed meritò P. Suarez sect. 3 num. 9. vult aliquam monitionem esse necessariam, saltem quæ fit per legem, aut præceptum. Et explicari potest à simili de excommunicatione maiori: vnde & aliqualis contumacia requiritur. Suarez.

Verum est non esse in vsu, vt præcedat tantùm monitio, aut canonica distincta ab impositione præcepti: quia in vsu vix esse dicitur excommunicatio minor lata ab homine, licèt dubium non sit habere hanc potestatem, quando habet potestatem ferendi maiorem excommunicationem, vt bene docuit P. Suarez sect. 3. in principio. Suarez.

Restat explicare ob quę peccata incurratur hæc excommunicatio, de quo P. Suarez sect. 3. à num. 2. Et quidem Syluester excommunicatio 4 num. 2. decem casus numerat. Anton. tract. de excommunicatione cap. 7. num 11 refert nouem casus. Innocen. in caput Secundum de sent. excommun. assignat octo: Nauarrus ve ro cap. 27. num. 25. vnum tantùm admittit

tit,quia reliqui non sunt in vsu,vt notauit etiam P.Suarez loco allegato. Vnicus autem iste casus est communicatio indebita cum excommunicato maiori excommunicatione, & sumitur ex cap.Nuper,de sententia excommunicationis;quod intelligitur à Doctoribus de minori excommunicatione;& ex capite, Statuimus,in 6.eodem titulo. Diximus autem *Indebitam communicationem*,quia si sit licita,non incurritur pœna hæc.Vt autem cognoscamus quando excusatur à culpa,obseruanda sunt quæ supra diximus de casibus,in quibus licet cum excommunicato maiori excommunicatione communicare.De alijs etiam casibus,qui iam constant in vsu,legatur P.Suarez supra à num.4. Suarez.

DISPVTATIO XXIII.

De potente ferre hanc censuram excommunicationis.

Diximus de excommunicatione maiori,& minori,de causis eius formalibus, & effectibus earum,restat dicere de causa efficienti,quæ potest ferre excommunicationem, de qua Pater Suarez disput.2. à sect.2. & disput.8.Pater Vazquez tractatu citato.

DVBIVM I.

An omnis superior possit excommunicare.

PRimò,certum est hanc potestatem esse in Summo Pontifice, vt constat ex vsu Ecclesiæ:& cùm certum sit,vt supra diximus,hanc potestatem esse in Ecclesia,concedendum est esse primario in summo Ecclesiæ capite.

Deinde certum est,hanc potestatem esse in aliis personis, quòd ostendit vsus.Et de Episcopis potest quæri;an illam habeant.

Sotus 4.dist.22.quæst.1.art.1.& 2.licèt fateatur posse Episcopum excommunicare,tamen hoc intelligit quantum ad priuationem suffragiorum,& quantum ad vitandum suos subditos.

Sed errat Sotus,quia Episcopus ex iurisdictione habet,quòd possit excommunicare:effectus verò excommunicationis fuit à Pontifice.Vnde quòd fideles nō subditi Episcopo teneantur vitare excōmunicatū ab Episcopo,nō oritur ex præcepto Episcopi;sed supposita excommunicatione,sequitur ex mandato Pontificis,quòd omnes teneantur vitare excommunicatum,vt bene vidit P.Vazquez loco citato numero 3.& explicat fusè Pater Suarez distinctione 18. sectione 1.à numero 5.& licèt sint diuersæ sententiæ in modo hoc explicandi, tamen fortè in re non differunt:certum enim est,habentes Episcopatum habere hanc potestatem:non tādum verò est,hanc potestatem non esse potestatem ordinis,neque consecrationis Episcopalis, sed iurisdictionis:& apertè supponitur cap.Cùm ab Ecclesiarum,de officio ordinarij,comitatur tamen pastorale munus , tanquam iurisdictio ad iudicandum,& puniendum: & ita constat ex vsu Ecclesiæ, & traditur in Concilio Tridentino sess.6.decreto de ref.capite 3. & sess.14.cap.4 de reformatione, & vt dixi,constat ex vsu Ecclesiæ.Hec verò potestas Episcoporum solùm versari potest circa subditos.Sed quæri potest an hoc habeant Episcopi iure diuino,vel humano, quia communicantur à Pontifice.Ex altera parte videtur absurdum hoc concedere,quia sequeretur summū Pōtificem posse priuare omnes Episcopos hac potestate. Vazquez. Suarez.

Pater Suarez disputatione 2. sectione 2.numero7. dicit hanc potestatem aliquo modo esse de iure diuino,quia Christus voluit vt essent Episcopi in Ecclesia habentes iurisdictionem,licèt deriuetur ad illos medio Pontifice, & iuxta mensuram ab illo præscriptam:nomine verò Episcopi comprehendunt authores Archiepiscopatus,& Patriarchatus. Suarez.

Vlterius certum est, esse in alijs hanc potestatem:nam est in legato à latere ex cap.Legatus, de officio, legati,in 6.& est communis sensus Doctorum , & ex vsu Ecclesiæ constat.

Vicarius etiam Episcopi censetur habere suam potestatem ordinariam ex cōmuni sensu Doctorum,cum Glossa in caput, Licet,de officio vicarij:& idem indicium

est de Vicario electo à Capitulo Sede vacante, iuxta decretum Concilij Tridentini sess. 25. decreto de reformat. cap. 16. Rursus Capitulum (Sede vacante) habet hanc potestatem, ex capite, Cùm olim, de maioritate & obedientia. numerantur etiam à Doctoribus aliqui Archidiaconi, qui aliquam habent iurisdictionem ex peculiari commissione.

Item Concilium Generale, & Concilium Prouinciale, & Religiones approbatæ, in quibus considerandæ sunt propriæ constitutiones.

Deinde notat P. Vazquez, ad hanc potestatem non esse necessarium ordinem sacrum, tamen nunquam esse in fœmina, neque in coniugato: requiritur enim, quòd non sit laicus, & vt minimum debet habere primã tõsuram, de qua dubio sequẽti: quæ cum feminæ nullo modo possit conuenire; ita neque potestas hæc excommunicandi: & ideo Pater Suarez sect. 3. docuit num. 5. fœminam non esse capacem huius iurisdictionis: quod fuse prosequitur, & res est certa.

Sed potest obiici caput, *Dilecta*, de maioritate & obedientia, vbi dicitur, Abbatissam quandam solitam fuisse suspendere ab officio, & beneficio clericos suæ iurisdictionis, & Pontifex iubet, vt illi obediant; & tamen illa suspensio videtur aliqua censura. Respondendum est, illam non fuisse censuram, sed mandatum quoddam, vt ex textu colligitur.

DVBIVM II.

Cui possit delegari potestas excommunicandi.

CErtum est ex vsu Ecclesiæ, hanc potestatem posse delegari: videndum tamen est, quas conditiones debeat habere persona, cui delegatur. Et primò necessarium est, vt habeat rationis vsum, sine quo ferre sententiam non poterit. Secundò requiritur, vt sit in statu viatoris, vt docuit P. Suarez sect. illa 3. hoc enim requirit Ecclesia visibilis, & militans, vt habens iurisdictionem, sit in hac vita: & in simili legi potest P. Vazquez tomo 2. in 3. p. disp. 134. cap. 5. à num. 93. & multa quæ docent authores in 3. parte ad quæstionem 64. in artic. 4.

Item est necessarium, vt iste sit baptizatus. Rursus est necessariũ, vt sit clericus aliquo modo, quæ probari solet ex variis capitibus, ex quibus nõ omnino apertè colligitur: & legi potest. P. Suarez supra num. 9. satis sit esse non solùm certum ex consensu Doctorum, sed etiam ex vsu Ecclesiæ, & sensu Prælatorum, qui num. 11. dicit ex communi doctrina sufficere quòd habeant primam tonsuram, licèt, nullum habeant ordinem sacrum.

Disputant nonnulli, an Pontifex possit concedere hanc facultatem fideli baptizato, etiamsi non habeat primam tonsurã: & affirmat Nauarrus cap. 27. numero 6. supra, quia talis iurisdictio non est de iure diuino annexa statui clericali: in iure autem positiuo potest Pontifex, subsistenti causa, licite dispensare; sed hoc ex principiis generalibus iudicandum est.

Et ex dictis facile est intelligere nonnulla alia, quæ Pater Suarez, & alij authores docent: illud vocant in quæstionem aliqui Doctores, an possit Episcopus excommunicare subditos suos; & affirmandum est, si cætera adsint. Deinde quærunt, an Episcopus possit subditos excommunicare extra proprium territorium existentes: & aliqui absolutè negant. Gabriel 4. dist. 18. quæst. 2 artic. 2. quia iurisdictio respicit personas intra determinatum locum.

Sotus 4. dist. 22. q. art. 2. cum distinctione loquitur; vel enim subditus illius Episcopi committit crimen in alieno territorio, & tunc Episcopus non potest illum excommunicare, iuxta caput, Vt animarum, de constitutionibus, in sexto; secus quãdo commisit crimen intra territorium proprij Episcopi.

P. Vazquez, dubio illo 17. numero 4. probat sententiam Soti, addita limitatione; nisi, vt supra notauimus, quoties ad bonum Reipub. pertineat, dixerat autem dubio 12. numero 20. 5. vltimo; non tamen dicendum est posse ligare legem subditum delinquentem in alia prouincia, sine conueniat ad bonum commune, vt exprimitur in lege, Aut mandato. Sed dubio illo 17. non absolutè rem pronunciat, addit enim, quòd caput illud, vt ani- *Vazquez.*

animarum videntur restringere statuta Synodalia ad proprium territorium, quam tum ad pœnam excommunicationis, de hoc supra disputatione 19. dubio vltimo.

Vazquez. Item quæris Pater Vazquez, an excommunicatus possit excommunicare: & docet cum aliis Doctoribus, quòd non potest excommunicare, an verò sit valida, dubitarunt aliqui. Sed Couarrub. 1. par. relect. §. 11. & alij, docent quòd si ignoratur talis excommunicatio, sententia erit valida, & hoc secundum ius antiquum, quod publicos excommunicatos publicè vitandos esse statuebat.

Vazquez. Addit Pater Vazquez etiam nunc, & ante denuntiationem, validam esse excommunicationem latam ab excommunicato, licèt peccet: quia Concilium Constan. nullum illi fecit fauorem: valida tamen est, quia in vtilitatē aliorum, vt actus ab illo eliciti non careant virtutis effectu.

De parochis dubitant aliqui, an possint excommunicare. Et Syluester excommunicatio 1. numero 5. dixit in aliquibus casibus posse. Sed contrarium docent

Suarez. communiter alij Doctores, Pater Suarez disputat. 18. sectione 1. numero 7. qui alios Doctores citat, & sequitur Pater Vazquez dubio 17. nu. 2. & vsus Ecclesiæ sic ostendit.

Sed solet obiici caput, Cùm inhibitio, de clandestina desponsatione: verùm ibi nihil de excommunicatione dicitur, sed solùm, quòd manus parochi est impedire matrimonia clandestina, vt bene P. Suarez supra.

Obiicitur etiam caput, Cùm ab Ecclesiarum, de officio Ordinarij, vbi approbatur quædam excommunicatio facta à plebano.

Vazquez. Sed P. Vazquez supra respondet hoc iam non esse in vsu.

DISPVTATIO XXIII.

Qui possunt excommunicari.

Vazquez. Suarez. De hoc disputat Pater Vazquez dubio illo 17. Pater Suarez disputat. 18. sect. 2. & disputat. 5. sect. 1.

DVBIVM PRIMVM.

An solus homo in statu viatoris possit excommunicari.

Certum est apud Doctores, hominem in beatitudine existentem non posse excommunicari, quòd sit iam extra iurisdictionem Ecclesiæ militantis in superiori statu, & quia solus viator est capax delicti, & emendationis. Item damnati, vt dixit P. Suarez disputatione 5. sect. 1. non *Suarez.* potest excommunicari, quia sunt extra iurisdictionem Ecclesiæ.

Sed statim occurrit difficultas, quia interdum mortui dicuntur excommunicati, & ab excommunicatione absolui. Legatur P. Vazquez, & P. Suarez supra.

Vt verò rem explicemus, manifestum debet esse, animam defuncti directè excommunicari non posse: nam si in cęlo est, aut in inferno, cōstat ex dictis: si sit in purgatorio, non est quantū adhuc actum sub iurisdictione Ecclesiæ, præsertim quia ibi non potest violare præceptum vllo modo, etiam quia, vt supra dixi, Ecclesia non potest imponere pœnam hāc, nisi ob actū, de quo Ecclesiæ possit constare: de actionibus verò existentis in purgatorio non potest constare iudici in hac vita existēti: corpus autē defuncti propriè nō potest excommunicari, licèt iudex possit præcipere viuis, ne illud sepeliant: & iuxta hoc explicari potest in bonum sensum Mariana in cap. 5. 1. ad Corinth nu. 4. vbi dicit, mortuum posse excommunicari.

Dices, fieri potest, vt homo in hac vita faciat peccatum post præuiam monitionem: ergo propter illud poterit excommunicari post mortem. Respondendum est, non posse, quia talis sententia est actus iurisdictionis, qui non potest ferri in non subditum.

Solum restat explicari aliqua iura, quę *Suarez.* referunt P. Suarez sup. & alij. Sed dicendum est, interdum solùm significare sentētiā esse necessariam ad declarandū, quòd quis mortuus fuerit cum excōmunicatione; interdum verò significant prohibitionem, ne pro mortuis fiat oratio à viuis.

Item eodem modo potest dici absolui, hoc est declarari absolutos, & potest auferri prohibitio, qua alij fideles prohibiti

erant, ne orarent pro aliquo defuncto, vel corpus illius sepelirent.

Addendum est, necessarium esse, vt excommunicatus sit baptizatus, aliàs non est intra iurisdictionem Ecclesię, vt bene Pater Suarez supra articulo 23. & supponunt Doctores communiter.

Suarez.

Tertiò requiritur, vt excommunicandus habeat superiorem, aliàs non poterit puniri tali pœna, vt Pater Suarez, & Pater Vazquez suprà cum aliis Doctoribus.

Ex quo fit, Papam non posse excommunicari, quia non habet superiorem: & à Concilio generali non potest excommunicari, quia est Pontifex supra Concilium vt cum doctrina vera, & certa docuit P. Vazquez 4. tomo in 3. parte quæstione 90. articulo 1. dubio 5. num. 13. & 14. & 1. 2 disp. 178. cap. 1. num. 3. Vnde quod dixit tractatu de excommunicatione dubio 17. num. 6. dicens. Sed quomodo Papa à Concilio possit excommunicari, pendet ex alia quæstione, qua ratione, & quando Ecclesia in concilio sit superior ipso Pontifice; quę non est huius loci, hoc inquam non est sic intelligendum, quasi affirmet Concilium esse supra Pontificem: hic enim non diceret, *Qua ratione, & quando*: sed significat eam quæstionem non esse huius loci: solùm enim dicit vnam quæstionem pendere ab alia. Vel ad summum indicat casum aliquē, in quo Ecclesia dicatur superior Pontifice: & vnum inducit Bellar. quando est schisma circa Pontificem, estque dubium quis sit verus: quo sensu Bellarminus tomo 1. libro 2. de Conciliis capite 19. respondens tertio argumento 5. respondeo dupliciter, dixit Concilium esse supra Papam dubium, & sic explicat Concilium Constantiense.

Vazquez.

Sed casum nostræ quæstionis assignant aliqui Doctores, & Sotus 4. dist. 22. quęst. 2. art. 2. pag. 102 r. dicit omnes fateri in cāput, Heræsis, posse excommunicari Papam à Concilio, & Pater Henriquez libro 13 de excommunicatione capite 25. §. Nemo potest, dicit Papam non posse à Concilio excommunicari, nisi in casu hæresis: Syluester excommunicatio 1. nu. 8. & 9.

Quod verò non possit Pontifex excommunicari, dicunt communiter Doctores. Legatur P. Suarez disputat. 5. sectione 1. num. 26.

Suarez.

Idem Pontifex à seipso excommunicari non potest, quia idem non potest esse iudex per iurisdictionem in seipsum, vt cum aliis docuit Pater Vazquez dubio citato, num. 5.

Et ex eadem doctrina colligitur, æqualem non posse alterum æqualem excommunicare, & nullus potest sententiam excommunicationis ferre, nisi in subditum: vnde multo minùs inferior poterit excommunicare superiorem, siue per sententiam, siue per statutum. Vnde deceptus est manifeste Syluest. excommunicatio 1. §. 9. quem supra refutat Pater Vazquez.

DVBIVM II.

An collegium, vel communitas possit excommunicari.

Doctores communiter docent, quòd seclusio iure positiuo posset collegiū excommunicari, ita vt si omnes illius habeant culpam, licita sit, & valida quantum ad omnes; si tamen haberent culpā aliqui, & non omnes, valida esset quantum ad eos qui haberent culpam.

Secundum ius verò positiuum statum est, vt nō feratur excommunicatio capite, Romana, de sentētia excommun. in 6. potāt verò aliqui Iurisperiti fore validam, licèt illicitam, vt testatur Couarrub. 1. par. relect. §. 11. Sed alij Doctores communiter docent fore nullam, & sic est vsu receptū excommunionis sensus.

Est autem difficultas, quid dicendum sit si omnes homines eius collegij peccarent, an incurrant tunc excommunicationem.

Aliqui indicant partem affirmatiuam; sed contrarium habetur ex decisione Rotæ 315. in antiquis, quia communitas excommunicari non potest, licèt textus indicet fieri hoc, ne innocentes puniantur; tamen absolutè loquitur, & sequitur P. Vazquez supra.

Vazquez.

Ex quo Gabriel 4. distinctione 18. quæstione 2. articulo 2. & Paludanus quæstione secunda colligunt, quòd si aliquis dicit: Excommunico hoc Collegium, nulla erit excommunicatio; notat verò Pater Vazquez doctrinam

pre

prædictam intelligendam esse, quando vnica sententia excommunicatur collegium, hoc enim est: quod prohibetur capite, Romana, citato. Si verò quilibet sigillatim excommunicetur, erit valida excommunicatio, etiamsi omnes eius collegij excommunicentur, quia hoc non est prohibitum: ergo si cætera adsint, valida erit sententia.

An verò peccans in alieno territorio posit excommunicari à suo Episcopo, tractat P. Suarez disputatione 5. sectione 4. & 5 & diximus aliqua supra disputatione 19.

Ex doctrina hactenus tradita in hac disputatione possunt solui aliqua dubia, quorum vnum, vel alterum dissoluam: & similia à quolibet possunt dissolui.

Vnum est, an qui imperauit, verbi gratia, mortem alicuius, ob quam incurritur excommunicatio, & mortuus est ante executionem mortis alterius, postea subsequuta morte incurrat censuram. Hanc quæstionem latè tractat Hugolinus de censuris tabula 1. capite 17 §.2. & varias refert opiniones. Breuiter verò dicendum est, quando homo ante mortem non incurrit illam censuram, non incurrere post mortem propter doctrinam supra traditã, quia mortuus non est capax censuræ directè. Placet autem aduertere, quòd si aliquis fuit causa mortis per mandatum, etiamsi tempore quo sequuta est mors, ipse esset in somno, aut nihil omnino de illa morte cogitaret, posse incurrere excommunicationem, vel irregularitatem, quia iste pœnæ incurruntur ob peccatum homicidij morte subsecuta. Etiamsi quis tempore homicidij non committat alterum peccatum, vt in specie docuit P. Vazquez 1.2.disp.94.cap.4.in fine: & idem docet. P. Suarez disp.5. sect.1.n.20.& 21. de eo qui postquam imperauit mortem, incidit in ebrietatem, vel amentiam, tempore quo mandatarius fecit homicidium. Suarez.

Occasione doctrinæ traditæ de persona capaci censuræ disputant aliqui, an qui excommunicatus est vna excommunicatione, posit alia distincta ligari. De quo P. Suarez disp.5. sect.2. à numero 4. & certum est ob diuersas causas posse eundem hominem simul pluribus excommunicationibus ligari: intelliguntur verò diuersæ per ordinem ad diuersas causas, & quælibet ex se, vt dicemus infra, requirit diuersam satisfactionem, & absolutionem.

Erunt verò excommunicationes diuersæ causæ, etiamsi ab eodem iudice ferantur. Legatur P. Suarez loco proxime citato, qui sect.3. disputat, an multiplicata legis violatione, multiplicetur excommunicatio, quando propter talem violationem statuta est à iure excõmunicatio: & cõmunis sententia est propter distinctã violationem incurri distinctam censuram; propter vnam verò violationem vnam tantùm censuram. Ita Nauarrus in summa cap.6.num.17.& 18.& fuse Vgolinus de censuris tabula 1.capite 16.§.3. quod pendet ex intentione legislatoris. Solùm posset esse difficultas, quando censeantur diuersa peccata moraliter per interruptionem, de quo variis locis dixi, & legi potest Pater Vazquez prima secundæ disput.78. Vazquez.

Tandem potest esse difficultas de eo, qui vnica actione externa violat plures leges ferentes censuram excommunicationis, an incurrat plures cẽsuras. Et quidem si illæ censuræ imponuntur ob malitias diuersæ speciei, & tales malitiæ sunt in eodem actu, incurruntur diuersæ censuræ, vt bene docuit Pater Suarez supra numero 13. quòd si solùm sint circunstantiæ aggrauantes intra eandem speciem, inquit P. Suarez, sola vna cẽsura incurretur, quia sola est vna transgresio. Suarez.

DISPVTATIO XXIIII.

De eo qui potest absoluere ab excommunicatione.

De hac materia Pater Suarez disputatione 7.& disp.19. Pater. Vazquez tractatu de excommunicatione à dubio 18. vsque in finem.

DVBIVM PRIMVM.

An excommunicatio auferri posit absque absolutione.

IN Hac quest. 1. opinio refertur affirmantiũ censuram hanc nõposse tolli sine

absolutione,& docuerat Couarrub.2.p. de matrimonio c.6 n.16.& sequitur Pater Suarez disp.7.sect.1.a num.3.& intelligit eandem de censura propriè sumpta, & explicat,quia per solam mortem excommunicati non tollitur sine absolutione, quia necessaria est absolutio, saltem vt auferatur prohibitio, qua erat prohibitum orare pro illo nomine Ecclesię. Secundò,quia non tollitur, sola emendatione, & pœnitentia de peccato commisso,vt constat ex his,quæ diximus supra.

Tertiò docet,quòd si forma sententiæ sit ad certum tempus,non erit propriè censura,verbi gratia, si excommunicatio ponatur,vsque a d certum diem,non erit essentialiter excommunicatio;quia poterit perseuerare contumacia, & finis excommunicationis est reprimere homines:quod intelligit de sententia absolutè lata.

Si verò sermo sit de excommunicatione sub conditione, ita vt detur absolutio sub conditione,si satisfecerit,videtur concedere fieri posse hoc modo.

Couarrub.1.parte relect.§.11. numero 5.& 6.& sequuntur alij dicentes, non esse necessariam absolutionem, quando excommunicatio lata est ad certum tempus, sub hac forma, Excommunico Petrum, vsque ad diem quo satisfecerit, Et probari solet hæc opinio,quia sententia non alio modo ligat,nisi iuxta voluntatem ferentis illam,& finitur assignato tempore à ferente illam.

In hac questione,si res explicetur,non erit difficile ferre iudicium: potest enim esse questio de necessitate absolutionis expressę,vel de necessitate absolutionis implicitæ,& quasi virtualis.Et de excommunicatione circa defunctum supra diximus.

In præsenti verò controuersia mihi absolutè placet asserere excommunicationem non auferri sine absolutione.

Secundò existimo,hanc absolutionem in excommunicatione sufficere virtualem,& implicitam,id est, quòd explicitè voluntas iudicis absoluentis significet verbis externis continentis implicite significatum absolutionis,quia forma absoluendi pendet ex iure positiuo,& nõ vidimus iure aliquo statutum,vt non valeat talis absolutio.

Tertiò existimo in prædicta forma ferendi excommunicationem includi absolutionem sub ea conditione,si satisfecerit: & ita videtur hanc indicasse Pater Vazquez dubio 18. numero 2. ait enim, ab initio censeri talem excommunicatum absolutum impleto termino,aut alia conditione. Vazquez

Ex hac verò doctrina possumus soluere aliud dubium, quod nonnulli tractant,an absolutio excommunicationis possit concedi sub conditione.

Aliqui negant,Antonin 3. parte titulo 24.cap.77.§. numero 1. & sequuntur quos citat Pater Suarez num. 11. & solù videtur moueri ex eo, quòd cẽsura egeat absolutione. Vazquez.

Sed contrarium docuit Couarrub. supra,Nauarrus in principio capite 1.de pœnitentia , & alij : & sequitur supra Pater Vazquez , & probat primò ex capite Præterea,& secundo,de appellationibus,vbi tanquam valida censetur hæc excommunicatio,si quis iudex protulerit,Si intra viginti dies non satisfeceris, te excommunicamus: ergo à simili posset ferri absolutio conditionalis.Idem Probat Pater Vazquez à simili de eo, qui absoluit pro certo tempore, quo elapso reincidat,si nõ satisfecerit.Et mihi hæc sententia probatur, quia non video rationem aliquam , ob quam dicamus non posse absolutionem eo modo conferri. Vazquez.

Vnde non placet mihi tertium dictum sententię Patris Suarez, quia non probat non fore censuram licitam sub ea forma:nec refert quòd perseueraret tunc contumacia , quia sicut perseuerante illa posset iudex validè absoluere ab excommunicatione elapso illo tempore, ita & à principio potuit sub conditione absoluere ab excommunicatione: hoc autem non potest contingere in absolutione sacramentali a peccatis, propter specialem institutionem, & naturam sacramenti Pœnitentię, de qua diximus suo loco. Et quòd possit fieri absolutio censurę sub conditione,concedit P.Suarez disp.7.sect8. num.11. Suarez.

DVBIVM II.

An quis reincidat in excommunicationem, cùm absoluitur ad reincidentiam, si non satisfecerit.

IN Hac quæstione Couarr. 1. parte relect. §. 11 num 6. Nauarr. in sum. cap. 27 num. 43. P. Vazquez dubio 18. supra, & alij docent, quòd si quis absoluatur ab excommunicatione ab eo, qui ex lege non poterit; sed absoluit ob instantem necessitatem, si non compareat intra tempus assignatum, reincidet in excommunicationem. Ita habetur cap. Eos qui, de sententia excommunicationis in 6. Vazquez.

Et hæc excommunicatio, in quam reincidit ille, sæpe erit à iure, aliquando ab homine, si possit excommunicare iterum, verbi gratia, si non sit mortuus; sed iudex debet habere intentionem iuxta formam iuris: Hoc verò considerandum est, quia quando est ab homine, non poterit ab illa absoluere, nisi ille, qui potest absoluere à sententia lata ab homine, de quo infra.

Deinde sciendum est, quòd cùm quis ab soluatur absolutione præstita cautione, & non posita conditione ad reincidentiam, etsi postea non satisfaciat, non reincidet, vt constat ex capite, Ad reprimendas, de officio ordinarij.

Suarez. De excommunicatione ad reincidentiam agit P. Suarez disp. 7. sect. 8 à num. 16. & num. 23. docet, quòd post quam contracta est excommunicatio, non sufficiat solutio debiti, seu consensus creditoris, vt maneat absolutus excommunicatus; sed necessarium est, vt iudex illum absoluat. Quod verisimum est, & addere possumus ad absolutionem ad reincidentiam necessariam esse authoritatem absoluentis, vel concedentis facultatem absoluendi, vt iterum possit reincidere, quia ad illam ferre, non sufficit solus consensus partium: quia vt illarum incurrat excommunicationem, necessaria est authoritas iudicis ferentis sententiam.

Suarez. Disputat autem P. Suarez disp. 7. sect 9. num. 26. an ad incurrendam excommunicationem per reincidentiam sit necessaria noua culpa, post absolutionem datam.

Et respondet, duobus modis posse absolutionem concedi, altero sub conditione de satisfactione futura, tùm primùm possit: & tunc non reincidet, nisi adsit culpa, nempe si non satisfaciat.

Alio modo, si solùm concedatur absolutio pro certo tempore, siue possit, siue non: & tunc non est necessaria noua culpa; sed ex vi primæ perseuerare potest ex communicatio illa. Addit P. Vazquez dubio 20. num. 5. & 6. absolutum ad reincidentiam reincidere ex vi iuris, cap. Eos qui, de sententia excommunicationis in sexto. Vazquez.

DVBIVM III.

An absolutio sit valida prætermissa forma iuris.

IN Hac materia docent Authores validam esse, quoties is, qui absoluit, potest ex iure absoluere. Nauarrus in summa cap. 27. n. 37. Syluest. verbo absolutio num. 3. Couarr. 1. parte relect. §. 11. P. Vazquez cum aliis, & nulla sunt determinata verba essentialia. Et hoc constat ex cap. Venerabilibus, de sententia excommunicationis, in sexto. Vazquez.

Secundò docent Syluest. & alij, fore inualidam in delegato, si non seruet formam assignatam à delegante: quod limitat Nauarrus, vt intelligatur, quando forma assignata a delegante est diuersa à forma iuris communis: quia si solùm assignet formam iuris, non obligat alio modo quàm ius ipsum verum: & hoc explicat P. Vazquez iuxta doctrinam, quam tradiderat dubio 12. de necessitate formæ monitionis pœnitentiæ à iudice delegato. Vazquez.

Ad maiorem verò explicationem doctrinæ de forma absolutionis, ponendum est primò, in iure nulla esse verba essentialia determinatè assignata, vt cum communi Doctorum docuit P. Suarez disp. 7. sect. 9.

Secundò docet certum esse debere fieri verbo, aut signo externo: est enim actus humanus, vnde necessarium est signum voluntatis auferendi censuram.

Tertio dicendum est, opus esse exprimere aliquo modo personam, quæ absoluitur, & quæ absoluat.

Sed potest esse dubium, an sit necessarium exprimere absolutionem à censura, vel à tali censura; & dicendum est id esse necessarium; sufficere tamen, si constet ex his, quę praecesserunt circunstantiis moraliter, etiamsi expresse non explicetur: de quo Pater Suarez supra num. 4. & 5.

Quęrunt verò aliqui, an sit necessarium explicare causam, ob quam quis incurrit censuram, de quo P. Suarez à num. 6. & per se loquendo, non est necessarium, vt constat; potest tamen esse necessarium, quando quis esset ligatus pluribus censuris, & solùm ab vna absolueretur: tunc enim aliquo modo, vel expresse, vel implicitè ex circunstantiis debet constare de qua censura absoluatur.

Suarez.

Item disputat, an sit necessarium, vt absolutio per verba, vel per scriptum proferatur, de quo Pater Suarez à nu. 12.

Et non est dubium, validam esse absolutionem per verba, vel per scripturam: difficultas verò est de aliis signis, seu actionibus. Et quidem sermo potest esse, vel de Summo Pontifice, vel de inferioribus Praelatis: & de his Doctores docent, nihil efficere, nisi verbis, aut scriptura absoluant. Et colligunt ex Clemen. vltima, de sententia excommunicationis: quod reuera pendet ex iure positiuo.

Si verò de Pontifice sit sermo, certum esse debet, qualibet alia actione id posse facere, vt docuit P. Suarez supra.

Suarez.

Ex dictis intelligitur, de essentia huius formae absoluendi ab excommunicatione solum esse ea verba, quae sensum huius absolutionis exprimunt.

Solet verò à Doctoribus inferri haec forma, *Absoluo te à vinculo excommunicationis*, ob talem causam, & restituo te Sacramentis Ecclesiae, & communioni fidelium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Sed ex dictis constat, non omnia esse de essentia formae, de qua Pater Suarez disp. 19. sect. vltima à num. 8. disp. 7. sect. 9. & 10.

Circa solemnitatem accidentalem, quatuor praecipuae caeremoniae numerari solent. Prima est, vt ab excommunicato postuletur iuramentum parendi man. datis Ecclesiae.

Secunda est, vt Sacerdos ante quàm absoluat, recitet super praesentem, Psalmum aliquem poenitentiae, iuxta caput à nobis, el secundo, de sententia excommunicationis.

Tertia, in eodem capite assignatur, vt finito Psalmo recitetur oratio Dominica.

Quarta est, vt alia conferta dicantur, id est, quidam versiculi, & orationes. Et fatentur Doctores non esse de essentia, vt docuit cum alijs P. Suarez supra num. 13. docet verò in fine sectionis vix posse in omissione huius solemnitatis esse peccatum mortale, secluso contemptu, & scandalo, quod fit in occulto. Considerandum etiam est, an absoluens habeat priuilegium absoluendi sine tali solemnitate: & docuit P. Suarez disputatione 7. sectione vltima in fine, Nauarrus in summa cap. 26. num. 9. agens de priuilegijs Mendicantium.

Illud quęri potest, quo sensu intelligatur praedictum iuramentum, quod exigitur ab excommunicato, vt supra retulimus. P. Suarez num. 10. dicit non inducere obligationem obseruandi omnia mandata Ecclesię, quia esset nouum onus imponere fidelibus, quo peccent malitia speciali contra Religionem iuramenti, quoties aliquod Ecclesię praeceptum violarent. Addit intelligi de non violando legem, ob cuius transgressionem imposita fuit excommunicatio; sed neque habetur vsu receptum, & saltem ob ignorantiam excusantem homines a nouo peccato. Ita Caiet. in sum. verbo *Absolutio*, docet hoc iuramentum non esse postuladum, nisi in magnis criminibus; interdum verò iuramentum solùm est de satisfactione exhibenda.

DVBIVM IIII.

An laicus possit absoluere à censura in articulo mortis.

Aliquorum sententia est, in eo articulo propter necessitatem posse fieri absolutionem à quolibet. Ita sentiunt aliqui Canonistae, quos refert Couarrub. infra citandus, & sequitur Vgolinus, quan tum ad iudicem Ecclesiasticum, qui habet potestatem excommunicandi, & absoluendi. Ita Vgolinus tabula 1. sectione 4.

§. vl-

§.vltimo num 6 mouentur verò solùm ex parte Ecclesiæ pro eo articulo.

Sed communior sententia est, non habere laicum talem potestatem. Ita Couarruuias 1.p.relect §.11.num.9. Sotus 4. dist. 18.q.4 art.4.& alij, quos citat, & sequitur P.Vazquez supra dub.18.num.8.& 9. P.Suarez disp 7.sect.6.solent verò afferri variæ rationes: præcipua autem est, quia neq; ex iure, neq; ex consuetudine, aut sen su Ecclesiæ constat Ecclesiam concessisse talem potestatem laico: vnde non est causa, ob quam eam opinionem primam amplectamur. *Suarez.*

Vazquez. Docuit verò P.Vazquez num.8. dubium non esse depossibili: quia verè potuit Ecclesia hanc potestatem concedere, sed quando præsens est de facto, an id fecerit?

Vazquez. Vnde infert P.Vazquez, quòd si aliquis in articulo mortis absolutus fuit à laico, debeant hæredes postulare absolutionem ab eo qui potest absoluere, vt detur illi de functo Ecclesiastica sepultura, & possint fieri communia suffragia pro eo.

Sed oportet explicare, an qui excommunicant, possint absoluere ab excommunicatione.

Difficultas sola est, quando ille qui excommunicauit, Sacerdos non est: & ex hoc capite solū sumitur dubitandi ratio, quia si non est Sacerdos, non habebit facultatem absoluendi.

Aliqui dixerunt absolutionem ab excōmunicatione posse esse duplicem: vnam, quantum ad forum internū, alteram: quantum ad forum externum: quia duplex vide tur esse vinculum excommunicationis; ad vnū dissoluendum est necessarium, vt absoluens sit Sacerdos, non ad alterum. Huius opinionis fecit mentionem Syluester absolutio 1.§.3.casu 8. & potest probari ex capite Nuper, de sententia excommunicationis, vbi dicitur absoluendus ab excommunicatione, qui incurrerat excommunicationem minorem. Secundò videtur probari ex capit. Canonica, de senten tia excomm.

Sed eum posse absoluere, qui tulit excōmunicationem, docuit Syluester absolutio 1.§.1. Nauarrus cap.27. num.41. Couarrubias §.11. citato num. 10.& alij: & P.Vazquez sequitur supra numero 12. & probatur, quia eodem loco Matthæi 18. quibus conceditur potestas ligandi, conceditur potestas soluendi: vnde Nicolaus Papa capite, Inferior, dist.21. tanquam certum hoc docet: & cùm absolutio hæc non sit Sacramentalis, non est causa, ob quam dicamus esse necessariam potestatem ordinis, & non sufficere potestatem iurisdictionis. *Vazquez.*

Ad caput Nuper respondetur, ibi solùm dici, quòd parochus possit absoluere. Ad aliud respondetur, ibi esse sermonem de absolutione, etiam à culpa, quę erat reseruata Pontifici.

DVBIVM V.

Quis possit absoluere ab excommunicatione maiori lata ab homine vel à iure.

Vazquez. De Hac materia agit P.Vazquez tractatu cit. dubio.19.num.7.& alij infra citati.

Conueniunt Doctores posse absoluere ab ea excommunicatione, qui tulit illam. Legatur Syluest. absolutio2. Nauar. in sum ma cap. 22. Courrrubias 1. p.relect.§.12. P.Suarez disp.7.sect.2. exceptis casibus su pra indicatis. *Suarez.*

Secundò potest solui à quocumque iudice superiori. Notat verò Syluester, Couar. & alij, quòd ante quàm absoluat iudex superior, monendus est, & requirendus iudex Inferior.

Item notant, excommunicationem ab homine cum ipso excommunicatore finiri.

Quod non est ita intelligendum, quasi se mel contracta non egeat absolutione; sed quia absolui poterit post mortem illius, nisi de nouo excommunicetur à successore.

Difficultas verò est, an excommunicatus ab vno Episcopo, possit ab illo absolui, etiamsi excommunicatus mutauerit domicilium, ita vt sit iam subditus alterius Episcopi: vel sit absoluendus ab Episcopo, cui subditus est.

Pater Suarez disputatione 7. sectione 2. numero 19. & num. 26. respondet, quòd si fiat excommunicatus per generalem sententiam, poterit absolui ab alio Episcopo, iuxta probabilem opinionem, de qua egerat paulò antea: si verò per par ticu- *Suarez.*

ticularem sententiam non poterit absolui, nisi ab eo, à quo excommunicatus est, quia causa est incepta, & ad illum pertinet causæ & litis cõsummatio. Sed P. Vazquez dubio 20. num. 5. videtur sentire posse ab altero absolui, quando iam est sub iurisdictione ipsius, & non aliter. Vazquez.

De sententia generali lata ab homine disputat P. Suarez sect. citata, & nos infrà aliquid dicemus.

DVBIVM VI.

Quis possit absoluere à censura lata à iure.

IN Hac materia multi docent, quòd si excommunicatio non est reseruata suo authori, vel alicui Prælato, quilibet Episcopus poterit ab ea absoluere: & loquuntur sanè de excommunicatione lata per ius Pontificium, siue per statutum Synodale alicuius Episcopatus. Legatur Couarrubias §. 12. à num. 4. loco citato, Nauarrus cap. 27. num. 39. P. Suarez disp. 7. à sect. 3. P. Vazquez dub. 19. à num. 9. prædicta autem doctrina habetur expressè in capit. Nuper, de sententia excommun. Suarez. Vazquez.

Deinde notat Couarrubias cum aliis, hoc esse verum, etiamsi statutum Synodale sit confirmatum à Pontifice: & sequitur P. Vazquez. Et ratio est, quia etiamsi esset Canon Pontificis, posset Episcopus in eo dispensare in prędicto euentu: ergo etiam in statuto Synodali confirmato à Pontifice. Vazquez.

Addit Couarrubias, eandem esse rationem de sententia generaliter lata ab Episcopo: quod si non reseruetur, quilibet Episcopus poterit absoluere ab illa. Et hoc sequuntur alii, quos citat P. Suarez disp. 7. sect. 3. num. 21.

Sed contrarium docet Caietanus verbo Absolutio ab excommunicatiõe §. 2. P. Vazquez, & P. Suarez supra cum aliis citat. Et ratio est, quia in capite Nuper tantùm asseritur de sententia lata à Canone: vnde sine idoneo fundamento idem docet Couarrubias, & alii de sententia generaliter lata: & quia hoc videtur de ratione sententiæ cuiuslibet hominis iudicantis, quòd iudex illam velit sibi reseruare, & cognitionem causæ perficere, & aliàs vix posset assignari discrimen inter sententiam generalem, & particularem. Suarez.

Addit Couarrubias secundum suam opinionem, idem esse de sententia generali, etiamsi confirmetur à Pontifice, quòd quilibet Episcopus possit ab ea absoluere.

Sed contrarium docuit Nauar. in summa cap. 27. num 4. Syluester absolutio 2. q. 4. & sequitur P. Vazquez supra: quia si sententia sit à Pontifice confirmata, hoc ipso sibi reseruat illius absolutionem, ita vt & inferior, qui illam tulit, non possit ab ea absoluere. Et probatur ex capite, Et frequentibus, de institutionibus, vbi specialiter conceditur Episcopo, vt possit absoluere ab excommunicatione, quam ipse tulerat, & summus Pontifex ratam habuerat. Et cap. 2. de confirmatione vtili, vel inutili, dicitur ab Alexan. III. De confirmationibus autem Summi Pontificis hoc volumus te monere, quòd contra illos (nisi nouũ Apostolicæ Sedis præcedat mandatum, aut certum sit, quòd sit per falsam suggestionem elicita) non est aliquatenus iudicandum. Ex qua doctrina plures casus in specie solui possunt. Vazquez.

Restat explicare, an proprius parochus vniuscuiusque possit subditos sibi absoluere à qualibet excommunicatione, quæ non sit reseruata Pontifici, vel alteri Prælato.

Prima opinio est asserentium, non esse in parocho talem potestatem. Ita Paludanus 4. dist. 18. q. 5. art. 1. dicitur q. 4. artic. 2. Couarrubias § illo 12. Et ratio est, quia nullum est ius, quod tribuat potestatẽ alicui Sacerdoti, nisi Episcopo. Docet autem Palud. hoc esse intelligendum de Canone Pontificio, non de statuto Synodicio, quia tunc Episcopus videtur concedere suam potestatem parochis. Et Couarrub. dicit opinionem hanc esse vsu receptam, bene tamen posse oppositam defendi.

Sed contrarium docuit S. Thom. 4. distin. 18. quæst. 2. art. 5. quæstiuncula 1 Syluester verbo *Absolutio* 1. quæst. 5. Nauarrus in sum. cap. 23. num. 39. & sequitur P. Vazquez supra num. 12. & 13. qui alios citat, intelligitur verò de parocho, qui potest absoluere à peccato, quòd possit absoluere à censura illi annexa, quando non reseruatur. Legatur P. Suarez infra citatus, & sectione 4. à num. 8. quia licèt capite Suarez.

pite nuper citato de sententia excomm. solùm sit sermo de minori: tamen eadem est ratio de maiori excommunicatione, & videtur esse ex voluntate interpretatiua legislatoris, hoc ipso quòd non reseruatur: & reuera hãc doctrinam videtur sequi P. Suarez sect. 3. citata. Legatur à num. 24. solùm dubitat de consuetudine, quam pro se allegat Couarrubias, & P. Suarez dicit sibi de illa non satis constare: ego verò existimo non posse esse vniuersalem consuetudinem, cùm nostram sententiam tradiderit S. Th. & alij Theologi, quos sequuti fuerunt sine dubio multi recentiores, iuxta quam parochi vtantur suo munere.

Hic poterat disputari de eo, qui potest absoluere à censura per canonem reseruata, de quo legi potest P. Suarez disp. 7. sect. 8 & satis potest dicere non posse ab ea absoluere, nisi qui illam tulit, vel superior illo, vel de licentia illius, vel ex priuilegio superioris: ad quod in specie iudicandum valde est necessarium habere notionem eorum, quæ de casibus reseruatis dicuntur à Doctoribus in materia de Pœnitentia, & legi potest P. Vazquez 4. tom. in 3 parte q. 91. art. 3. Vazquez.

DVBIVM VII.

An ligatus multis excommunicationibus censeatur absolutus ab omnibus, quando non exprimuntur omnes.

IN Hac quæst. P. Vazquez dubio 18. à num. 13. supponit primò, excommunicatum posse absolui ab excommunicatione etiam inuitum, id quod Gabriel docuerat 4. dist. 18. q. vltima articulo, vltimo dubio vltimo, & communiter alij: sed Gabriel docet non esse absoluendum, si est excommunicatio iuris, & vult permanere in suo peccato. P. Vazquez docet non esse absoluendum, quando vult in peccato manere, siue sit excommunicatio à iure, vel ab homine, validam tamen fore absolutionem, de hoc enim satis est, quòd non velit iudex eum punire: est communis doctrina multorum, quos refert, & sequitur P. Suarez disp. 7. sect. 7. à num. 5. & quòd sit valida talis absolutio, verum est in omni peccato, neque est admittenda vlla limitatio, vt bene docuit P. Suarez ibidem.

Sed quæri potest, an talis absolutio, licet sit valida, non tamen licita, sed fieri cùm peccato. Multi Iuristæ putant esse licitam, vt latè refert, & defendit Vgolinus tabula 1. cap 19. §. 2. num. 3. P. Suarez docet primò, si sit ab homine, posse ab eo licitè tolli iustis de causis, & obseruatis prudenter circunstantiis, & hoc non est contra aliquod ius diuinum, aut humanum.

Secundò, si sit lata à iure, dicit quòd erit obseruanda forma asignata, si sit iure asignata; secus prudenter rem esse considerandam, vt fiat sine peccato.

S. Th. quidem 4. dist. 18. q. 2. art. 8 quæstiuncula secunda absolutè dixit posse discretè auferri, si quis videat saluti illius expedire, in quem lata est. Et P. Vazquez dubio 18 num. 14 breuiter dixit illum non esse absoluendum, nisi maius malum sequeretur. Et mihi videtur, prudenter consideratis circunstantijs, posse licitè absolui aliquem ab excommunicatione inuitum. Vazquez.

Secundò supponit eum, qui pluribus excommunicationibus ligatus est, posse absolui ab vna, & non ab alia, cùm istæ sententiæ non habeant connexionem in ordine ad absolutionem, vt per se constat. An verò quãdo absoluitur ab omnibus, debeat absolui ab vno Sacerdote, vel à pluribus, pendet ex dictis: considerandum enim est, quis habeat facultatem ad absoluendum à talibus excommunicationibus.

His positis docet P. Vazquez cum Couarrubia 1. p. relect. §. 11. quòd si ille, qui vnica excommunicatione excommunicatus est, sit pluribus de causis, & vnam tacuerit, vt absoluatur, nõ manet absolutus, vt constat ex capite, Officij, de sententia excom. & capite, Ex parte, de officio ordinarij: quod intelligunt prædicti Doctores, quando causa erat principalis, & quę auerteret prælatum ab absolutione, si eam agnosceret: considerandum enim est, an esset talis, quæ non expressa reddat inuoluntariam simpliciter absolutionem, quia illa cognita non cõcederetur: quod in materia de dispensatione impetrata soleo admonere.

Secundò docent Doctores citati, si petita est absolutio vnius tantùm excommunica-

nicationis,& si absolutio fiat per communem modum,tantùm absoluitur ab vnai quod constat ex citatis capitibus, & ex intentione absoluentis iuxta petitionem absoluendi.

Tertiò,si omnes exprimantur,intentio absoluentis censenda est,vt ab omnibus velit absoluere.

Quartò etiamsi non omnes exprimantur,si absoluens eorum omnium habet notitiam,& facultatem absoluendi,iudicandum est velle ab omnibus absoluere:quod ego intelligo de prudēti iudicio quamuis si absoluens reuera non habuerit talem intentionem, non erit alius in re absolutus. Legatur Pater Suarez disputatione 7.sectione 9.à num.6.

Occasione præsentis dubij disputātDoctores,an absolutio impetrata ex falsa causa sit nulla.

Sciendum autem est,vt absolutio iniustè detur,fieri,vel quando absoluenti constat absoluendum permanere in sua culpa, vel quādo absoluens,si per se non scit hoc, persuadetur testibus,&c.

Docent verò authores,quòd si absoluēs sciat veritatem, nihilominus absoluat, valida non erit absolutio. Ita P.Vazquez supra cum alijs. Vazquez.

Addunt,quòd stante causa falsa,quę pro ponitur absoluenti,vt absoluat, si habet animum absoluendi,siue vera sit causa, siue non,absolutio erit valida, quia adest voluntarium simpliciter;secus si agnoscens veritatem non esset absolutus, tunc non erit valida, quia deest voluntarium.

De excommunicatione tamen iniusta dicit Nauarrus cap.27. num.39. non esse eamdē rationem,quia apud Deū fuit nulla excommunicatio,quia in culpa tantùm præsumpta fundatur.SedP.Vazquez cum alijs cōtrarium docet,quia illa est valida, vt supra docuimus,saltem quantum ad aliqua.

Tandem addit P.Vazquez dub. illo 18. & num.18. quòd si non constaret de intentione iudicis,neque ipse haberet voluntatem aliquam conditionalem,sed absolutè absolueret ob causam illi oblatam,illa non subsistente,non foret validam absolutionem.

DVBIVM VLTIMVM.

An possit aliquis absoluere ab excommunicatione,non satisfacta parte.

HOc dubium proponitur ad explicandum,quid sit faciēdum,quando in priuilegio conceditur facultas absoluendi à censura satisfacta parte.

Nauarrus in summa cap. 27. docet secūdum ius commune,quod textus,qui facultatem tribuit Sacerdoti absoluendi ab excommunicatione in articulo mortis, priùs satisfacta parte intelligi debet,si ab soluendus possit satisfacere, aliàs sufficiat;quòd præbeat cautionem sufficientem, vel fideiussorem;imò si nihil horum potest,sufficiet si præbeat promissionem iuramento confirmatam de satisfactione facienda,cùm primùm commodè possit: quā doctrinam tradit P.Vazquez tractatu citato dub.20.

Sed difficultas est,quando ea conditio ponitur in Bulla,aut Iub leo,sim ive priuilegio,& aliqui affirmant non fore validam absolutionem,nisi reipsa præcedat satisfactio.ItaCorduba tractatu de indulgentijs quæst.43.& alij.Sotus 4.dist.22.q. 2.art.3.Gutierrez lib. 1. harum quæstionum quæst.2.cap.5.nu.29.& probat, quia etsi absoluendus non possit soluere,tamē absoluens non potest absoluere,nisi seruata forma priuilegij.

Aliorum sententia est validam fore absolutionem,quando absoluendus non potest re ipsa satisfactionem exhibere.Hanc cum alijs sequiturP.Vazquez loco citato. P.Suarez disp.7.sect.5.à num.4. quia non est credendum formam priuilegij esse seruandam cum tanto detrimento eius, qui non potest satisfacere. Vazquez.

Item quia vt supra diximus,verba priuilegij secundū formam iuris sunt intelligēda,nisi ponantur ob specialem rationem, & causam. Vazquez.

Addit P.Vazquez hanc facultatem esse intelligendam,vt cōcedatur absolutio ad reincidentiam ex dispositione iuris positiui:affirmat autem hoc n.5.&.6.ex cap. Eos qui de sent.excom.in 6.

Addit P.Vazquez præbendam esse satisfactionem per pignus,vel fideiussore, si po- Vazquez.

si potest pœnitens, vel saltem per cautionem iuratoriam: & idem censet quãdo generaliter conceditur facultas absoluendi: debet enim sub intelligi conditio de satisfactione partis; neq; credẽdum est velle iudicẽ absolutionem concedere cum damno tertiæ personæ. *Suarez.* Vnde immeritò Pater Suarez docuit contrarium supra numero 42.

Addendum est, quòd si Sacerdos absoluat nõ præmissa satisfactione partis, quãdo absoluendus potest satisfacere, non solùm peccabit contra formam priuilegij, sed etiam absolutio est nulla, quia forma est obseruanda, quoties fieri potest, vt bene docuit Pater Suarez sectione citata numero 41.

Docet deinde Nauarrus lib. 5. consilior. titulo de pœnitentia excommunicationis consilio 1. non esse excommunicatum obligandũ ad satisfactionem, quando debitum non est certum, sed dubium.

Idem verò author in sum. c. 26. num. 7. dixit, hanc distinctionem esse obseruandã in foro exteriori: nam in foro confessionis iudicandum est secundum confessionem pœnitentis. *Suarez.* Verùm P. Suarez supra num. 44. docet hanc distinctionem posse etiam habere locum in foro conscientiæ: quando pœnitens est dubius. Ita docet aliqua, quæ quæstiones inuoluunt pertinentes ad materiam de conscientia.

Ego breuiter dicam, quomodo sit philosophandum secundum doctrinam traditam à P. Vazquez prima secundæ disp. 65. & 66. *Vazquez.*

Et primò si pœnitens habet probabilẽ opinionem, quòd nihil reuera debeat, nõ tenetur aliquid soluere, quia potest amplecti opinionem probabilem.

Secundò si sit purum dubium, in materia iustitiæ melior est conditio possidentis, & ita donec liberetur à dubio, nihil tenebitur soluere, & in tali euentu secundũ forum cõscientiæ non erit obligandus ad satisfactionẽ, ad quam iure naturali non est obligatus.

Suarez. Notat vlterius P. Vazquez dub. illo 25. num 8 cum alijs Doctoribus, nomine partis, cùm dicitur, *Satisfacta parte*, non esse intelligẽdum iudicem, vel aliquem alium, sed solum illum, qui dicitur contrarius in lite, & propriam satisfactionem postulat à iudice.

Quæri vlterius solet, an quando in priuilegio conceditur facultas absoluendi ab excommunicatione, debeat fieri audita confessione, vel non, sed extra confessionem. In quo obseruanda est forma priuilegij, vt docuit P. Suarez supra num. 35. addit cum aliquibus Doctoribus, frequenter non concedi, nisi in ordine ad confessionem; sed reuera licèt non concedatur facultas hæc absoluendi, vt valeat pro foro contentioso, non tamen semper requiritur confessio, quando conceditur pro foro conscientiæ. Et ego in Bullis aliquibus vidi aliquam hanc facultatem concessam sine tali conditione confessionis præmittendæ, in quo euentu multi viri docti putant non esse necessarium præmittere confessionem.

Sed Corduba in summa quæst. 19. docet, quòd cùm absolutè datur facultas confessori, intelligitur audita confessione: & idem docuit Nauarrus in summa cap. 26. num. 31 & P. Vazquez dubio illo secũdo in fine, & P. Suarez supra, quia aliàs frustra diceretur in Bullis concedi hanc facultatem confessoribus approbatis.

Illud est certum hanc facultatem semper concedi sine præiudicio fori externi, quando res debita est ad forum iudiciale, vt P. Vazquez supra num. 8 notauit, & docent authores communiter, & solet exprimi in Iubileis, quando conceditur talis facultas absoluendi à censuris. *Vazquez.*

DISPVTATIO XXV.

De eo qui potest absoluere à censura propter peccatum hæresis.

PLacet de hac materia in speciali disputare propter specialem difficultatem, & rei magnitudinem.

DVBIVM PRIMVM.

An Episcopus possit absoluere ab hæresi.

PRimò dicemus, quomodo sit intelligendum decretum Concilij Trident. deinde an sit reuocatum.

Ante omnia ponendum est id, quod diximus

ximus 2.2.ad quæst.11.latam esse in hæreticos excommunicationem. Legatur Pater Thomas Sanchez in summa lib.2. capite 9. *Sanchez.*

Ratio dubitandi sumitur ex Concilio Tridentino session. 42.cap.6.de reformatione, vbi inter alia conceditur Episcopis in foro conscientiæ facultas absoluendi subditos à quibuscumque casibus occultis, & non deductis ad forum contentiosum, & hoc per se ipsos, vel per varios ad id specialiter deputandos: & additur idem in hereseos crimine, in eo foro conscientię, eis tantum, non tamen Vicarijs esse permissum.

Circa quod decretum nonnulla sunt notanda. Vnum est, nomine Episcopi hoc loco intelligi eum, qui habet subditos, vt docuit P.Suarez disp.14.sect.2.n.7. P. Tho. lib.cit.cap.11. *Suarez.*

Secundò ad hoc est necessarium, vt Concilium Tridentinum sit receptum in diœcesi illius Episcopi, vt docuit P.Suarez disp.41.sect.2.num.6.qui refert sit esse decisum in Cōgregatione Romana, & sequitur P.Th.San.supra num 3.

Tertiò docent citati authores satis esse Episcopum esse electum, & confirmatū, etiamsi nondum fuit consecratus. Ita P. Thom.& docuerat lib. 8. de matrimonio disp.2.num.11.&P.Suarez tomo 4.in 3.p. disp.30.sect.2.num.4.de quomodò nō disputo.

Deinde ad absolutionem ab excommunicatione non requiritur, quòd sit Sacerdos, vt constat ex supra dictis: & de hoc Episcopo docet P.Thom.Sanchez num. 3. & etiā legatur lib.8.de matrimonio disp. 34.num.29.

Deinde quòd intelligatur nomine subditi in eo decreto, bene explicat P.Thom. non solùm eos, qui habent domicilium, sed vagabundos.

Per particulam, in foro conscientiæ, non intelligitur in confeisione, sed in foro secreto, vt non posiit pro foro externo, vt bene P.Thom.supra num.13.& ibi plures citat.&P.Suarez disp.41.sect.2.num. 11. tomo 5.& ipse Tho.supra lib.8.de matrimonio disp 34.n 29.Vnde P.Tho.Sanch. & P.Suarez cum alijs docent posse Episcopum ab excommunicatione absoluere in absentia. *Suarez.*

Alia particula est, in sua diocesi, circa quam est difficultas, an sit necessarium, subditum absoluendum esse intra Episcopatus territorium.

Et primò non esse necessarium, vtrumque esse intra Episcopatum, docet P.Suarez tomo 8 in 3.p.disp.41.sect.2.num. 11. P.Th.San.in summa cap.11.num.15.quia verba hoc non significant apertè, & non est causa, ob quam restringatur ea facultas.

An verò sit necessarium Episcopum existere intra suum Episcopatum, quæstionē habet. Et quidam dicunt id esse necessarium. Ita Henriquez lib.14.de irregularitate cap.20.num.5.& alij, eo quòd hic videatur sensus plenus verborum. *Enriquez.*

Aliorum sententia est, id non esse necessarium; vt Episcopus existat intra locum sui Episcopatus. P. Suarez tomo 4.in 3.p.disp.30.sect.2.num.3.& tomo 5. disp.41.sectione 2. num. 11.in fine, & P. Thomas Sanchez capite illo citato num. 16.quia non sunt verba manifesta, & ideo non est restringenda facultas Episcopo concessa: & aliqui probant, quòd prædicta particula potius refertur ad subditos, de quibus iam diximus. *Suarez.* *Tho. San.*

De subdito dicunt aliqui debere esse intra locum Episcopatus. P.Suarez tom. 5. in 3.part.loco allegato, & probari potest, quia hoc saltem debēt operari illa verba, *In sua diœcesi.* *Suarez.*

Sed P.Thomas Sanchez cap. 11.citato nu.17.contrarium sentit, & explicat verba illa, *In diœcesi sua*, vt non limitent facultatem Episcopi, sed velint quoscumque subditos posse absoluere, siue sint subditi ordinarij, siue sint in sua diœcesi atq; adeò subditi in foro pœnitentiæ sunt peregrini. *Tho. San.*

In his omnibus præmissis mihi placet asserere Concilium concedens facultatē, erga subditos posuisse eam particulam, in sua diœcesi, non quasi limitans facultatē; sed affirmasse, quòd est certum de absolutione prælati existentis in sua diœcesi; sed non negauit Concilium, posse illa vti extra territorium erga suum subditum, sicut alia facultate absoluendi ab alijs peccatis: & hoc modo explicatur opinio P.Thomę Sanchez, & defendi potest non esse necessarium Episcopum, vel subditū esse intra locum Episcopatus.

Alia particula est, delictum occultum, de qua particula P.Thomas Sanchez cap. illo 11.num.19. & lib.8. de matrimonio disp.34.occultū dicitur, quod non est no-

tum

tum aliquibus, ac proinde neq; potest in iudicio probari.

Alia solent disputari circa hoc decretum, quæ generalia sunt multis alijs.

Solùm à nobis est explicandum, an hoc decretum sit reuocatum, ita vt Episcopi non possint tali facultate vti.

Aliqui putarunt esse reuocatum per bullam cœnę Domini: pro qua opinione ci tantur multi. Tolet. in sum in explicatione cœnę excommunicatione 14. Gutierrez libro 1. cap. 13. in fine. Azor tomo 1. vbi testatur se audiuisse sic declarasse Clementem Octauum. Suarez tomo 4. in 3. partem disp. 3. sect. 1. num. 11. vbi dicit sic declarasse Cogregationem Cardinalium: & tomo 5. disp. 21 sect. 3. Ludouicus Paramus de origine sanctæ Inquisitionis lib. 3. quæst. 9. num 191. Molina tomo 4. de iustitia, disp. 164. & multi alij, quos refert P. Thomas Sanchez capite illo vndecimo nu. 26. qui refert declarationes Pij V. & Gregorij Decimitertij. Et probari potest, quia in Bulla cœnæ Dñi à tempore Pij V. statuitur, vt à casibus in ea citatis non possit Episcopus absoluere etiam prætextu cuiusuis facultatis cõcessæ etiã à Concilio generalissimo. Secundò ita declararunt Pontifices aliqui, & Congregatio Cardinalium, vt referunt viri docti, quos citat supra Pater Thomas Sanchez. Suarez.

Cõtrariam sententiam tenent non pauci, quos citat P. Thomas num. 27. & probari solet rationibus generalibus, quæ minoris momenti sunt; neque vim habent contra tam expressa verba Bullæ, & tam apertam declarationem Pontificum, & Cardinalium relatam à viris fide dignissimis: & ideo P. Thomas Sanchez supra in fine dicit, tenendam esse primam sententiam: & secundam esse valde dubiam, & parum tutam: & ita ego sentio. Tho. San.

Addò, me audiuisse ab aliquibus Inquisitoribus doctis, & pijs, sanctę Inquisitionis, tribunal habere Bullam à Pontificibus concessam, in qua reuocatur ea facultas concessa Episcopis in Concil. Triden. Noui etiam Episcopos valde doctos, qui noluerũt ea vti, rati eam esse reuocatam: & P. Vazquez dub. 19. num. 6. & 7. planè sentit eam facultatem non esse in vsu. Vazquez.

(.?.)

DVBIVM II.

An virtute Bullæ Cruciatæ possit quis absolui ab hæresi.

Sotus asseruit olim 4 dist. 22. quæst. 2. art. 3. post tertiam conclusionẽ in primò casu cœnæ: & idem dixit Corduba in sum q. 8. quando est hæresis occulta.

Sed iam certa res est, non posse per Bullam Cruciatæ aliquem absolui ab hæresi: & de hac declaratione est motus proprius Gregorij Decimitertij, quem refert Manuel Rodriguez in additionibus ad Bullam §. 9. num. 66. & communis sensus Ecclesiæ est iste, & ita docuerunt expresse P. Thom. capite 10. quæstione 12. P. Henriquez lib. 8. de pœnitentia cap. 16. P. Auila de censuris 2. p. cap. 7. dist. 1. dub. 1. & multi alij ab his relati. & P. Vazquez dubio 19. num. 6. hanc sententiam putant veram, & certam. Enriquez. Vazquez.

De receptoribus, & fautoribus hæreticorum, an possint absolui virtute Bullæ, legantur Henriquez lib. 6. de Pœnitentia cap. 16. num. 12. P. Thomas Sanchez supra cap 12. in fine: res enim est sub opinione, & maximè considerandum est, an isti aliquo modo sint hæretici. Tho. San.

De potestate, quam habet Inquisitores ad absoluendum ab hæresi, & excommunicatione ob illam impositam, fuse agit P. Tho. lib. illo 2. cap. 12.

Restat aliquid dicere de absolutione in articulo mortis. Et certum est in eo articulo posse quemlibet Sacerdotem absoluere ab omnibus peccatis, & censuris, multis decretis, quæ habetur 26. quæst. 6. & ex Concilio Tridentino sessione 14. cap. 7. Et quis dicatur articulus mortis, diximus in materia de pœnitentia, & bene explicat P. Thom. cum alijs multis Doctoribus in sum. lib. 2. cap. 13 in princ. sumi pro periculo mortis, id est, quando est probabile dubium, & sæpe in eo euetu solet euenire: circa quod cõsiderandum est an sit tempus expectandi habentem aliã potestatem legitimam absoluendi, ex quo plura dubia in specie possunt solui. Tho. San.

Sed specialis difficultas est, an in præsentia eius, qui legitimam habet potestatem, possit quilibet alius absoluere existẽtem

in

in eo articulo:& de absolutione à peccatis disputaui in materia de pœnitentia: hic verò disputandum est de absolutione à censuris.

Aliqui affirmarunt Nauarrus lib. 5. Cōsilior. titulo de penitentia in secunda editione consilio 15. in. 2. consilio 23. Emanuel sa in summula, verbo Absolutio, nu. 4. Petrus de Ledesma in summa, vbi de pęnitentia cap. 14 post primā conclusionē difficultate secunda, Manuel Rodriguez tomo 1. summæ in 2. editione. cap. 59. conclusione 3. num. 5. & regularium tomo 1. quæst. 56. art. 4. vbi dicit, eam opinionem defendere doctissimos viros, & alij, quos citat P. Thomas Sanch. in sum. lib. 2. cap. 13. num. 6. Notat verò hos doctores, aut saltem aliquos, expresse loqui non solùm de peccatis, sed etiam de censuris: quod notat, quia nonnulli recentiores dixerunt authores in hoc dubio loquutos de peccatis, & non de censuris. Probari verò solet hæc sententia ex Concilio Tridentino cap. 7. vbi loquitur sine vlla restrictione, aut limitatione.

Contrariam sententiam docuerunt cōmuniter Doctores quos retuli in materia de pœnitentia, & nunc aliquos referunt ex nostris P. Mo lina tomo 4. de iu. stitia disp. 63. qui testatur ita fuisse declaratum à Gregorio Decimotertio P. Suarez tomo 4. in 3. p. disp. 26. sect. 4. num. 4. & tomo 5. disp. 22. sect. 1. P. Valentia in 3. p. disp. 7. q. 10. p. 2. col. 6. P. Vazquez tom. 4. in 3. p. q. 93. art. 1. dub. 4. P. Azor tomo 1. lib. 8. cap. 19. q. 5. supra P. Thomas Sanchez in sum. lib. 2. cap. 13. qui multos alios Doctores citat. Et ratio est, quia hæc commissio est facta ab Ecclesia ob necessitatem eius articuli, vt colligitur ex Concilio Carthaginensi 3. canone 3. & refertur, capite Presbyter 26. quest. 6. & extrauag. Inter cunctas, de priuilegijs, & xtrauag. 1. de sententia excommuuicationis. Item quia Triden. docet hoc esse concessum ratione necessitatis, ne aliquis sine confessione decedat.

Suarez. Vazquez. Tho. San.

Rursus, nam cap. Eos qui, de sententia excommun. dicitur in sextò, vt absolutus ratione imminentis necessitatis articulo mortis à censura reseruata teneatur cessante impedimento se præsentare superiori: ergo si ante absolutionem adesset superior, illi deberet se presentare. Vnde constat testimonium Concilij Tridentini citatum pro prima opinione, intelligendum esse in articulo necessitatis, vt dicebam in materia de pœnitentia.

Addendum est in casu quo adesset proprius Sacerdos, qui posset absoluere, & nollet, posse alium quemlibet absoluere, quia ille iam esset articulus necessitatis: & ita declarasse Congregationem Cardinalium, cum alijs refert P. Thomas Sanchez cap. citato, num. 8. in quo possunt multa alia legi, quæ ex dictis vel sequuntur, vel facile possunt intelligi.

DISPVTATIO XXVI.

De eo qui potest absoluere ab excommunicatione minori.

DVBIVM PRIMVM.

Quis possit absoluere ab hac censura.

SCiendum est, hanc posse esse latā ab homine, & à iure. Si sit lata ab homine, dicendum est, illum qui illam tulit, posse absoluere, vt constat ex dictis de absolutione à maiori excommunicatione. Poterit etiā superior eo, qui illam tulit, absoluere, & qui ab his habuerit facultatem, vt in specie docuit P. Suarez disp. 24. sect. 4. legatur Hostiensis in summa lib. 5. de excommunicatione num. 14 § & qualiter Gabriel 4. dist. 18. quæst. 3. art. 3. Richar. art. 9. quest. 3. Suarez.

Sed dices in capite, Nuper, de sententia excom. videtur facultas alijs commissa ad hac absolutionem. Respondet P. Suarez, illud caput loqui de censura lata à iure.

Addit verò esse probabile, idem posse dici de sententia lata ab homine per sententiam generalem, sicut de lata à iure: quod mihi non placuit supra in simili de absolutione à sententia maioris excōmunicationis.

Deinde de sententia lata minoris excommunicationis latæ à iure, & concedunt Doctores parochum posse, & probatur

batur ex capite, Nuper, de sententia excommunicationis.

Et nomine parochi cõprehendunt Doctores omnem Sacerdotem habentem iurisdictionem ad absoluendum à mortalibus, vt docuit P. Suarez supra, & Pater Vazquez dubio vltimo, & 1. 2. disp. 158. cap. 5.

Vazquez.

Sed difficultas potest esse, an quilibet simplex Sacerdos possit à tali excommunicatione absoluere. Et affirmat Nauarrus in caput, *Placuit*, de pœnitentia distin. 6. & infra cap 27. numero 39. quia si potest absoluere à venialibus, propter quæ incurritur hæc excommunicatio, ergo & ab ipsa censura.

Vazquez.

Sed contrarium docuit P. Vazquez, qui censet esse aliorum Doctorum, quia talis absolutio est actus iudicialis, & ex natura rei non est annexus potestati ordinis: ergo si simplex Sacerdos illam facultatem habet, esset per concessionem ab Ecclesia; & tamen capite, Nuper, de sentẽtia excom. solùm loquitur de Sacerdote, qui sit proprius parochus, sub cuius nomine intelligũtur omnes qui habent potestatem ad absoluendum à mortalibus: ergo non est intelligendum de simplici Sacerdote.

Argumentum verò pro sententia Nauarri facilem habet solutionem. Concedendum est enim, sacerdotem simplicem habere potestatem ad absoluendum à venialibus, vt diximus cum communi sensu Doctorum in materia de Pœnitentia, quod habet Sacerdos, vel iure diuino, secundum aliquos; vel ex concessione Ecclesiæ: at verò absolutio ab excommunicatione minori non est commissa iure diuino simplici Sacerdoti, nec iure Ecclesiastico. Vnde & reseruari potest.

DVBIVM II.

An habens beneficium cum cura animarum, sed nondum ordinatus est Sacerdos, possit absoluere ab excommunicatione minori.

PAter Suarez supra num. 3. docet hoc non habere difficultatem in eo, qui habet iurisdictionem pro foro externo, & *ita* potest à censura absoluere, quia talis actus non est ordinis, aut iurisdictionis sacramentalis, sed purè iurisdictionis externæ: in parochis verò inferioribus videtur habere difficultatem, quia non habent iurisdictionem ad hanc absolutionem, nisi ex delegatione iuris, vt vidimus. Communicatur autem illis hæc potestas in ordine ad bonum animarum suorum subditorum, vt priùs quàm absoluant à peccatis, absoluant ab hac censura: ergo cùm parochus, qui si sacerdos non est, non potest absoluere à peccatis, consequenter non videtur posse absoluere à prædicta censura.

Item expendendum est in cap. Nuper; dici talem excommunicatum posse absolui ab Episcopo, vel à proprio Sacerdote, ergo non à parocho, qui sacerdos non est.

Sed numero 4. affirmat hunc parochum posse absoluere à minori excommunicatione, quia habet sufficientem iurisdictionem, & alias hæc absolutio non requirit characterem. Item quia licèt Ecclesia posset non concedere isti parocho facultatem absoluendi ab hac censura; tamen non est idoneum argumentum ad id dicendum: imò caput, Nuper, de proprio quolibet parocho intellectum est communiter à Doctoribus: ex quo solùi potest contrariæ partis ratio dubitandi.

De Parocho Sacerdote excommunicato maiori excommunicatione, & de excommunicato minori, potest esse dubium, an possit absoluere à minori excommunicatione, & circa quam partem obseruanda sunt, quæ supra diximus de effectibus maioris excommunicationis, legatur disputatio.

De excommunicato verò minori excommunicatione, P. Vazquez tractatu de excommunicatione dubio 14. in fine, docet quòd non peccat absoluendo à minori excommunicatione, quia hoc non est sacramenta tractare: & ita habetur capite, Duobus, de sententia excommunicationis. Vazquez.

Sed contra doctrinam supra traditam potest obiici, quòd in capite, Nuper, de sentẽtia excommunicationis, proposita fuit quæstio de simplici Sacerdote. Sed responderi potest iuxta doctrinam P. Vazquez dubio illo 21. in fine ibi nomine Sacerdotis simplicis intelligi illum, Vazquez.

qui non est Episcopus. Secundò quidam respondent, quod ibi dicitur, quòd proprius Sacerdos, & Episcopus potest absoluere, nomine autem proprij Sacerdotis intelligitur, qui vel de iure, vel ex delegatione habet potestatem absoluendi à mortalibus.

Addendum est, ad absolutionem istius censurę non esse necessarias solemnitates, quas diximus supra dist 24. dub 3. esse necessarias in absolutione excommunicationis maioris. Ita habet omnis vsus, & sensus Doctorum, & capite, Nuper, de sententia excommunicationis, dicitur, hunc excommunicatum absolui posse absque cautione iuratoria, & notauit Syluester verbo Absolutio 3 num. 5.

DISPVTATIO XXVII.

De quibusdam excommunicationibus latis ab homine.

DIximus de excommunicatione in communi, & tradidimus principia, ex quibus occurrentia dubia in specie solui possunt, & debent: sed ob maiorem studiosorum vtilitatem placuit ex traditis principiis philosophari circa aliquas excommunicationes, vt ex illis ad similes non sit operosum discurrere.

DVBIVM PRIMVM.

An iudices Ecclesiastici licitè, & validè possint pro causis temporalibus ferre excommunicationem.

P. Suarez disp. 20. POnendum est, vt certum, istam potestatem excommunicandi posse ad causas tēporales ordinari, & ad bonū particulare, quod redundat in commune bonum. Constat hoc ex vsu Ecclesię, & colligo ex Concilio Trident ses. 25 c. 3 de reform. est tamen ad hoc necessaria causa legitima, & oportet explicare quęnā illa sit.

Aliqui dixerunt, non posse Episcopos ferre has excommunicationes, nisi supposita graui culpa in eo, contra quem fertur: & ideo affirmant, quòd ille, qui excommunicatur, verbi gratia, quia non soluit debitum, certus est se non peccasse in non soluendo, posse esse securum, & certum quòd non incurret talem censuram.

Et probari potest, quia excommunicatio non potest ferri nisi ob peccatū mortale.

Sed ad ferendam excommunicationem non est necessarium, vt excommunicatus aliquod peccatum commiserit, antequam iudex Ecclesiasticus tulerit præceptū, sed peccatum necessarium est, vt incurrat excommunicationem, quia incurrit quando præceptum iudicis non obseruauit.

Quæri etiam videtur, an sit necessarium hoc præceptum ob spiritualem aliquem finem: & concedendum est id quod de excommunicatione ipsa docuit 4. dist. 18. q. 2 art. 1 quæstiuncula 3. Eadem verò ratio est de præcepto. Vnde licèt solutio debiti sit aliquod temporale, tamen finis præcepti de excom. est aliquid spirituale, quod facilè intelligetur: fieri enim debet ob finem implendi præceptum aliquod prius, vel in ordine ad bonum alicuius virtutis: vnde licèt materiale, vt ita dicam, sit aliquid temporale; tamen formale est aliquid spirituale.

Et ideo dubio proposito respondendum est, posse hoc facere iudicem Ecclesiasticum causa subsidenti, vt docuit P. Suar. supra sect. 1, & hæc causa in eo iudicio potest frequenter occurrere.

Et ex hoc principio solui potest dubium, an sit valida excommunicatio lata ob recuperandum debitum, & solutionem eius.

Et ponendum est, quod sæpe diximus, quoties quis excusatur à peccato mortali, excusari ab excommunicatione lata cōtra ipsum, licèt aliàs iudex in foro exteriori procedat prudenter: de quo legi potest Couarrub. in capit, Alma mater 1. p. §. 9. Sotus 4. dist. 22. q. 1. art. 2. Ex hoc principio inferunt Doctores non ligari excommunicatione qui vsurpant secretò rem suam, etiamsi feratur excommunicatio contra eos, qui illam vsurpant: nam talis excommunicatio fertur contra eos, qui rem alienam vsurpant: ponimus autem illum accepisse tanquam suam, vel sibi debitam, & non posse alia via obtinere.

Item poterit quis excusari à censura, si labo: et ignorantia inuincibili, iuxta dicta supra disp. 5.

Deinde est principium aliud obseruandum, quoties censura feratur sub conditione intra certum tempus implenda, si ante

ante illum terminum cessat obligatio, vel suspenditur aliqua de causa, non incurri illam censuram, etiamsi incidat prior terminus signatus, quia hæc censura non incurritur sine contumacia. Et in prædicto euentu ponimus non obligare præceptum, & ita non potest esse contumacia.

His præmissis, occurrunt aliqua dubia in specie solùm, vt ex illis plura similia solui possint. Vnum est de excommunicatione, quæ solet ferri, si non restituatur damnum, quod alicui fuit illatum in vinea, aut alia re: quod damnum licèt non solui simul sit sufficiens materia peccati mortalis, tamen fieri potest, vt aliquis solùm incurrat, qui fecit damnum per solum peccatum veniale.

Quidam docent hanc excommunicationem in hoc euentu non ligare, quia non est peccatum mortale. Ita supponit Nauarrus in summa cap. 17. num. 30. Nauarra libro 3. de restitutione cap. 1. dub. 5.

Aliorum verò sententia est esse materiam aptam ad excommunicationem, Couar. 1. lib. variar. cap. 3. num. 12. Sotus 4. dist. 22. q. 1. art. 2. & alij.

Verùm si res rectè explicetur, vix potest esse quæstio de re.

Nam omnes debent fateri, quoties nullus peccatum mortale fecit, nõ ligare excommunicationem.

Vnde nullus negare potest ligare excommunicationem, quando licèt quis accipiat paruam materiam, est tamen causa cooperans cum aliis, ita vt sit causa peccati grauis, quia tunc peccat mortaliter. Quando verò hoc cõtingat, diximus in materia de restitutione agentes de causis cooperantibus. Illud mihi est difficile, quod dixit P. Suarez supra sectione 2. numero 3. eos qui primam quantitatem acceperunt, & ita vt quilibet eorum solum fecerit peccatum veniale, peccare mortaliter, si non restituat, quando agnoscit graue illatum fuisse damnum. Hoc sanè difficile est, & mihi non probatur, si nullũ sit genus cooperationis ad furtum graue, quia sola scientia non infert, quia neque vnus concurrit cum alio ad eandem indiuiduitatem, & physicam actionem, neque imperat, neque consulit, nec aliquo modo est causa, ob quam alter non restituat. *Suarez.*

Pro præsenti verò instituto satis sit dicere, non ligare excommunicationem, nisi sit peccatum mortale, & propter illud posse ligare.

Alia difficultas est, quando fertur excommunicatio in debitorem, qui tamen potest excusari impotentia. Quæ difficultas tractatur à Doctoribus propter excommunicationem, quę fertur in eos, qui Romæ obligantur ad soluendam pensionem beneficij. Isti enim elapso termino temporis signato ad soluendam censentur excommunicati, & statim deferuntur, non præmisso examine, an potuerint, vel non potuerint soluere. De hoc multa docent authores, & legi potest Pater Suarez supra sect. 2. à nu. 9. P. Henriquez libro 13. capit. 9. & breuiter dicendum est pro foro interiori non incurrere excommunicationem illam, qui nullo modo potuit soluere, quia vt sępe diximus, sine peccato mortali non potest hæc pœna imponi, neque homo illam incurrere. In foro verò externo sic proceditur ob pręcedentem contractum de pensione soluenda, & præsumitur culpa; aliàs etiam in foro externo non posset imponi. Huius forensis vsus fecit mentionem P. Vazquez tractatu de excom. dub. 16. in principio, & testatur ex Couarrub. quòd in foro exteriori censetur excommunicatus, quando per se ipsum consensit pensioni: etiamsi literę, quibus pensio fuit constituta, illi non fuerint ostensę, si tamen in pensionem consensit per procuratorem, etiamsi termino assignato non soluerit pensionem, non ligatur excommunicatione, donec literę sint illi solemniter ostensæ. Legatur Couarr. in capur, Alma mater part. 1. §. 10. num. 7. Nauarrus in summa c. 23. n. 104. In hoc considerandus est vsus curiæ. *Suarez. Henriquez.*

DVBIVM II.

An excommunicatio lata, vt reueletur secretum, vel vt manifestetur crimen occultum, vel vt manifestetur scriptura aliqua, semper obliget.

IN Hac materia, quę sępe occurrit, philosophandũ est posita doctrina tradita supra, nempe non posse obligare excõmunicationem, nisi precedente pecca to mortifero, quo posito dicendũ est quoties ante excõmunicationẽ latã tenebitur quis *De hac materia P. Azilade excom. p. 2. c. 5. d. 4. & 5. P. Henriq. lib. 12. c. 18*

quis ex iure naturæ, vel positiuo manifestare scripturam, vel reuelare crimen, excommunicatio incurritur, si non manifestetur: quia in hoc euentu nihil deest, vt sententia sit iusta, etiam in foro conscientiæ. Vnde si quis habet iustam causam occultandi scripturam, non tenebitur manifestare, neque incurret excommunicationem non manifestando.

Secundò dicendum est, etiamsi non obligetur quis veritatem manifestare, vel scripturam, ante præceptum iudicis Ecclesiastici; si tamen ob causam iustam iudex Ecclesiast. imponat præceptum, obligatur, & facta admonitione ligabitur excommunicatione, quia in hoc euentu etiam præcedit peccatum sufficiens ad incurrendam excommunicationem.

Tertiò dicendum est, quando iudex non potest obligare ad manifestandam veritatem, neque alius tenetur, quia habet ius ad occultandum, non incurrit excommunicationem, etiamsi non manifestet, quia sine peccato præcedēti non potest incurrere excommunicationem, verbi gratia, si iudex velit, vt Petrus manifestet scripturam in fauorem aduersarij litigantis; ad quam tamen solus Petrus habet ius. Item si Petrus non potest manifestare scripturam, quia combusta est, vel simili de causa. Rursus si non possit manifestare veritatem, nisi cum graui detrimento proprio, ob quod excusatur ab obligatione præcepti, etiam excusabitur ab excommunicatione. Ex quibus regulis plura dubia in specie frequenter occurrentia solui possunt. Legatur P. Suarez supra sect. 3. qui plures casus assignat.

LIBER TERTIVS.

DISPVTATIO XXVIII.

De excommunicationibus Papæ reseruatis in Bulla Cœnæ Domini.



Gimus de his in particulari, quia possunt in praxi occurrere, & res est magni momenti, de qua disputant multi, & legi possunt P. Suarez de cēsuris disp. 21. Emanuel Rodriguez in explicatione Bullæ Cruciatæ §. 9. folio 100. & Nauarrus, capit. 27. Toletus in summa explicans excommunicationes Bullæ Cœnæ lib. 1. à cap. 2.

Sciendum verò est aliquos existimasse hanc Bullam incepisse à Martino VIII. anno 1420. Ita sensit Sotus 4. dist. 28. q. 2. art. 3. cuius Pontificis alij meminerunt, apud Anton. 3. p. titulo 24. cap. 73. deinde Leo X. dicitur illam auxisse contra Lutheranos: & alij Pontifices sequentes aliquid addiderunt, vt notauit Nauarrus in summa cap. 27. num. 53. Sed reuera hęc Bulla ante Martinum Quintum incepit: nam in Baticana Bibliotheca reperitur Bulla Gregorij Secundi, qui fuit anno 1370. alia verò Bulla Cęnæ dicitur, quæ feria 5. Hebdomadæ sanctæ legi consueuit.

DVBIVM PRIMVM.

Quales sint censuræ in Bulla Cœnæ latæ.

Certum est, excommunicationem in ea Bulla latam esse maiorem. Et primò posset dubitari, an sit censura lata ab homine, vel à iure: & aliqui docent olim solùm iudicari tamquam latam ab homine, quia non ferebatur per modum statuti, sed per modum cuiusdam sententiæ singulis annis prolatæ, & ita à Martino Pontifice prolata, sicut omnis alia sententia ab homine Sotus 4. dist. 22. quest. 2. art. 3.

Sed à tempore Pij V. additur in ea Bulla hæc clausula, Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, & quæcumque his literis contenta, quousque alij huiusmodi processus à nobis, aut à Romano Pontifice pro tempore existente, fiant aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri. Ex quibus verbis colligitur esse latas has cēsuras per modū legis: & ita Nauar-

Nauarrus in summa cap.27.n.74. existimat dicendas esse latas a iure.

Suarez. Sed P Suarez supra sectione 1. assignat aliquam differentiam inter hanc Bullam etiā prout nunc est, & legē: quod lex etiā si iterum, atque iterū feratur cum variis circunstantiis, non cessat; nisi per posteriorem reuocetur. At verò Bulla cœnæ statim ac subsequens publicatur, cessat: hanc enim vim habent illa verba, Quousque alij similes processus fiant, aut publicentur.

Addendum est propter multiplicationem harum Bullarum non multiplicari censuras propter idem crimen, quia adueniente vna cessat prior. Imò addit Nauarrus, quòd excommunicationes per alia iura latæ, in prædicta Bulla pro eisdem criminibus repetitæ, non multiplicantur, sed additur reseruatio: quod latiùs docent in caput, Ita quorundam, de Iudæis, notabili 15. Glossa vltima à num.4. & P. Suarez *Suarez.* supra censet satis probabile, quia istæ censuræ Bullæ, vt antea dicebam, sunt à iure: & non est verisimile diuersa iura ob idem crimen imponere censuras numero diuersas: quòd si essent ab homine, adhuc (inquit P Suarez) non essent diuersæ, quia quoties homo fert sententiam censuræ latæ à iure, non censetur ferre censuram diuersam numero, sed iuxta ipsum ius ferre sententiam.

DVBIVM II.

Quæ sint delicta, ob quæ fertur excommunicatio in Bulla cœnæ, & quomodo intelligantur quatuor primæ censuræ.

CONtendimus explicare hanc Bullam, vt tradita est à sanctissimo domino nostro Clemente VIII. quem P. Suarez supra, & recentiores aliqui explicant. Maximè autem notandum est, antiquiores Doctores explicare antiquiores Bullas; & tamen cùm in aliquibus Bullis sint verba, quæ sunt in aliis, interdum est diuersitas opinionum, quia diuersas Bullas explicāt secundum diuersa verba.

Circa priorem partem dubij sciendum est, viginti esse casus, ob quos fertur censura in Bulla prædicta, & vt notant Doctores, in his censuris duo præcipuè sunt consideranda: actio, quę prohibetur; & personæ, quas complectitur sentētia ipsa: & ob seruanda sunt principia tradita de censuris in genere, & de excommunicatione.

Prima ergo excommunicatio fertur in hæreticos, circa quam excommunicationem nonnulla diximus 2.2. ad quæstionem vndecimam: & legi potest P. Thomas Sanchez in summa libro 2. capite 9. Est autem *Tho. San.* aduertendum, hanc censuram imponi ob peccatum externum, de quo potest cognoscere Ecclesia, iuxta doctrinam traditam supra disp. 4. quam tradit P. Vazquez *Vazquez.* tractatu de excommunicatione dub. 13.

Additur verò in eadem clausula comprehendi apostatas, id est, qui à fide recesserunt, & falsam aliquam sectam profitentur, qui reuera hæretici sunt: hoc autem intelligendum est de his, qui sunt baptizati: nam ante baptismum non sunt sub iurisdictione Ecclesiæ.

Additur in eadem clausula, Ac eorum credentes, vbi particula, *Credentes*, explicanda est. Potest enim sumi vel pro his, qui credunt errores hæreticorum; vel pro his, qui bonam opinionem de illis habent. Et aliqui putant sumi priori modo. Sed Nauarrus in summa cap.27. num. 35. putat sumi pro hæreticis. Fuse P. Thomas Sanchez in summa lib.2. c.10. à num.1. Vgolinus de censuris Papæ reseruatis 2. p. c. 1. *Tho. San.* *Toledo.* *Suarez.* verbo, *Ac eorum credentes*, nu.1. & 2. & alij, quos citat P. Thom. Sanchez: & legatur P. Azor tomo 1. lib. 8. cap. 5. quæst. 1. Pater Suarez supra Tolet. in summa in Bulla cœnæ excommunicatione 1. numero 17. & ideo illam particulam aliquando fuisse omissam in Bulla cœnæ Pij V. & postea iterum additā ad maiorem declarationem. Et certè credentes priori modo sub fautoribus comprehenduntur, de quibus ibidē: & sic licèt non maneant excommunicati ex vi illius verbi, Credentes, manent tamen ex vi alterius particulæ.

Additur in eadem clausula, *Fautores, receptores*, & generaliter quoslibet eorum defensores. Circa quæ verba fusè nonnulli; sed intelligenda sunt de his, qui hæreticis, vt tales sunt, fauent: nam si alio nomine illis fauent, non sunt propriè fautores hæreticorum, vt hæretici sunt. Legatur P. Thom. Sanchez supra cap. citato.

Additur in eadem clausula, Ac eorūdem libros hæreticorum continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinen-

tinentes, ac imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quauis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore. Et per libros continentes errores intelligi debent omnes libri, qui aliquem errorem continent illorum: per libros vero de religione tractãtes intelligunt multi omnes qui tractant de rebus ad fidem pertinentibus. Et præter hæc obseruanda sunt, quæ de libris hæreticorum prohiben tur in indice vniuersali, & in indice expur gatorio sanctæ Inquisitionis.

Deinde fit extensio huius censuræ ad schismaticos, his verbis, *Necnon* & schismaticos, & eos qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

Notandum verò, schisma aliquando cõprehendere hæresim, & addere aliquid aliud: aliquando verò sumitur speciatim, vt solùm dicit separationem ab Ecclesia, quantum ad obedientiam, licèt retineatur vera fides, & hoc modo sumitur in hac clausula. Notandum verò est quantum ad hanc censuram non extendi ad fautores. Sed quantum ad hęreticos, priùs facta fuit illa explicatio. Notat verò Nauarrus cap. 27. num. 55. olim in Bulla Pij V. plura peccata comprehendi in hac prima censura. Sciendum est, hæreticos olim fuisse in iure excommunicatos, cap. Excommunicamus extra. de hæreticis, & cap. Quanquam de hæreticis in 6. & schismatici, capite nulli disp. 19.

De hac agit Tolet. cap. 21. & docet fuisse latam olim, & reseruatum à Pio II. & confirmatum à Iulio II. eius prater ea memineruntCaiet. verbo excommunicatio, ca. 25. Syluester excõmunicatio 7. nu. 93.

Secunda censura fertur in eos, qui à mãdatis Summi Pontificis pro tempore existentis ad Concilium generale appellant: in qua censura actio prohibita satis est manifesta: & quantum ad personas comprehendit omnes absq; restrictione. Deinde extẽditur ad eos, quorũ auxilio, vel fauore appellatum fuit. Circa hoc notandum est, quòd quãdo auxilium prius est appellatione, non incurritur hęc excommunicatio propter solum auxilium: donec reuera fiat appellatio: quia vt bene notauit Caiet. verbo excommunicatio in principio, quando actio non prohibetur per se, & primariò, sed quasi cooperatio alterius actionis primariæ non incurritur excommunicatio, ante quàm fiat primaria actio, quod pro similibus est obseruandum.

Notat verò P. Suarez supra sect. 12 num. 17. in hac clausula non comprehendi consulentes, eo quòd de istis non fit mentio. Diuersum est enim dare auxilium, & dare consilium.

Tandem obseruandum est, quòd in ea dicitur, Excommunicamus, & interdicimus: & primum verbum refertur ad personas, secundum ad Collegia, & Vniuersitates, quę licèt excommunicari non possint, tamen possunt interdici.

Tertia censura fertur contra piratas, cursarios, & similes latrunculos marinos. Est verò differentia inter Bullam Greg. XIII. & Bullam Clem. VIII. nam Greg. Sic ait: Excommunicamus omnes, & latrunculos marinos, & illos præcipuè, qui mare nostrum, &c. Quę verba primò cõprehendunt eos, qui in quauis parte maris hoc officium exercent, deinde eos, qui in terris ad dominium Papæ pertinentibus delinquunt.

De hac etiam agit Toletus.

Sed Bulla Clem. sic habet, *Excommunicamus latrunculos* marinos discurrentes mare nostrum, pręcipuè à monte Argent. vsque ad Ferrar. Quę verba non videntur comprehendere piratas in quouis mari discurrentes. Sed P. Suarez putat non esse limitationem, sed diuersas partes, vt vna comprehendat latrunculos quosuis marinos in quauis parte, & altera sic discurrentes.

Deinde est alia diferentia in prędictis verbis, quod Gregorius videtur requirere actionem deprædandi. Clemens tamen idem non videtur requirere, sed solùm dis cursum per mare. Et P. Suarez supra dicit quantum ad mare Pontificis, solùm videtur requiri decursum ad incurrendam excommunicationem propter dicta verba: addit, se solùm proponere eum sensum, vt de illo iudicent Doctores.

Mihi verò non probatur, quia quantum ad illud mare, verba intelligenda sunt, sicut de piratis in aliis, in quibus necessaria est actio furti, & iniurię illatio.

Dubitant verò aliqui, an qui in fluminibus faciunt latrocinia, incurrant hanc excommunicationem. Et affirmauit Angelus, verbo pirata. Sed Syluester & Nauarrus explicantes hanc excommunicationem meritò, docuerunt contrarium, quia piratæ non dicuntur, nisi qui in mari exercent latrocinia.

Addendum est non incurrere hanc censuram, qui semel minori occasione obla-

oblata commisit furtum, vel homicidiũ, quia iste non dicitur Pirata, hoc enim nomen significat eum, qui quasi ex officio, & consuetudine illud munus exercet. Ita Nauarrus, & alij, & P. Suarez supra num. 25. Pirata ergo dicitur, qui principaliter versatur in exercendis furtis, in interficiendis, seu percutiendis occurrẽtibus in mari. Legantur Syluest. Angel. Caiet. in summa, verbo excommunicatio in explicatione huius censuræ.

Suarez.

Dubium tamen est, an vt quis dicatur pirata, sit necessarium, vt omnes nationes percutiat, aut occidat, eorum ve bona vsurpet. Syluester affirmat. Sed meritò contrarium docuit Nauarrus, hoc non esse necessarium, sed sufficere ex consuetudine, & quasi ex officio in mari furta facere soleat, vel occidere, etiamsi quis hæc faciat contra vniuersæ nationis homines, quia etiam esse dicitur pirata.

Deinde quęritur, an hæc censura comprehendat omnes piratas. Et primò certum est, non comprehendi piratas non baptizatos, quia non sunt sub iurisdictione Ecclesię. Secundò P. Suarez docet non comprehendi Christianos, qui in mari solùm persequuntur gentiles non baptizatos cuiusuis sectæ, quia Pontifex solùm vult, ne hæc iniustitia feratur subditis Ecclesiæ.

Deinde in eadem clausula extenditur hęc censura ad fautores, & defensores istorum.

Difficultas verò est, an comprehendatur ille, qui dat consilium, & affirmat Angelus, verbo excommunicatio 5. casu 18. Caietano verbo excommunicatio, capite 18. Sed isti Doctores loquuntur iuxta antiquas Bullas, in quibus erat verbum, cõsilium, quod tamen ablatum est in Bulla Gregorij Decimitertij, & Clementis Octaui.

Nauarrus tamen numero 59. ait etiam nunc comprehendi dantem consilium, quia negari non potest (inquit) eum qui cõsulit, adiuuare, vel fauere aliquo modo: & probat ex l. quod fauore, C. de legibus.

Suarez. Sed Pater Suarez sectione 2. citat. numero 21. in fine contrarium docet, & mihi placet, quia solum consilium prębere non est moraliter conferre auxilium, vel fauorem.

Quarta censura fertur contra omnes illos, qui Christianorum quorumcumque nauibus tempestate iactatis, seu quoquo modo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eisdem, siue in mari, seu in littore, incerta cuiuscumque generis bona in cuiuscumque maris regionibus & littoribus subripiunt.

Notant verò Doctores hanc excommunicationem fuisse prius latam, capite, Excommunicamus, de raptoribus: sed non erat reseruata, vt notauit Nauarrus.

Secundò notant non incurrere hanc censuram, qui Gentilium bona ex naufragio accipiet, quia expresse in Bulla est sermo de bonis Christianorum.

Tertiò notandum est, necessarium esse, vt actio accipiendi sit peccatum: nam vt notauit Pater Suarez, si quis absque culpa reciperet ea bona, non incurreret hãc excommunionem. Quid verò dicendum sit, si aliquis acciperet cum ignorantia culpabili, colligendum est ex dictis disputatione 4.

Sed oportet explicare, an incurrat hanc censuram, qui à principio sumpsit ea bona, vt domino deferret, & postea iniustè retinet. Non desunt qui existiment non incurrere hanc censuram, quæ de prima vsurpatione videtur loqui.

Ego verò probabilius censeo, prædictum hominem incurrere hanc censuram: quia verè iniustè incepit vsurpare, quando cũ culpa incepit retinere. Nec refert, quòd aliquo priori tempore non peccauerit retinẽdo, hoc enim nihil aliud videtur esse quàm si post multum temporis primò vsurparet, sine dubio tunc incurreret, si aliæ circũstantiæ adessent. Quam doctrinã videtur supponere P. Suarez supra n. 31. Suarez.

Deinde solet disputari, an qui iniustè accepit, & iniustè retinet, incurrat censuram huius Bullæ, & censuram capitis, Excommunicamus, de raptoribus: nam prima requirit iniustam captionem, altera iniustam retentionem. Et P. Suarez supra affirmat, quando vtraque contrahitur, nempe iniusta vsurpatio, & retentio.

Verùm cùm ob iniustam retentionem possit in censuram Bullæ incurrere, aut in ea perseuerare, nõ videtur necessarium asserere vtramque ligare hominem propter idem crimen.

Queri solet, an extendatur ad factores, adiutores raptatorum; sed ex verbis Bullæ constat hos non comprehendi.

DVBIVM III.

De quinta, sexta, septima, & octaua excommunicatione Bullæ Cœnæ.

QVinta excommunicatio fertur in eos, qui in terris suis noua pedagia, vel gabellas, vel tributa imponunt, præter quàm in casibus à iure concessis, seu priuilegio speciali Sedis Apostolicæ permissis, imponunt, vel augent. De hac agit Tolet. cap. 22.

Circa hanc excommunicationem notandum est, prohiberi in prædicto casu omne tributum, quamuis varia tributa varijs nominibus significentur.

Vlteriùs notandum est, quòd prohibetur imponere, vel augere tributa: de conditionibus verò requisitis ad imponenda tributa, diximus secunda secundæ ad quęstionem *66*. Qui verò habent hanc potestatem explicant Doctores in materia de tributis: & legi potest Toletus loco citato, qui hoc explicat de Principe, vel Republica non habente superiorem in temporalibus: pro qua doctrina refert declarationem Pij V. in responsione facta ad interrogationem cuiusdam Regis.

Item sciendum est, in prædicta censura comprehēdi omnes exactores, ministros, vel officiales, qui tributa imponi, vel augeri exigunt.

Sexta censura fertur contra falsarios literarū Apostolicarum: de hoc agit Tolet. cap. 23 & legi potest Corduba lib. 5. quęst. *26*. fol. 432.

Et notandum est literas Apostolicas dici, quæ nomine Pontificis, vel Sedis Apostolicæ expediuntur. Vnde literæ cuiusuis alterius Prelati inferioris nō intelliguntur hic nomine literarum Apostolicarum. Placet verò referre verba Bullæ, *Falsarius literarum* Apostolicarum etiam in forma breuis, aut supplicationum gratiam vel iustitiam continentium Romanorū Ponificium, vel sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarij, vel eorum vices gerentis; vel de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum, nec non falso rubricatas literas Apostolicas, etiam in forma Breuis, & etiam falsa signantes, supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecācellarij, aut gerentis vices istorum.

Quæ verba quantum ad personas amplissima sunt, complectuntur enim omnes facientes hæc delicta sine vlla restrictione.

Duę verò sunt actiones, quę prohibentur, nēpe fictio literarū, & falsa subscriptio illarum.

Dubitant aliqui, quid intelligatur in Bulla per supplicationes. Et respondet Toletus, & alij nonnulli intelligi, siue quæ conceduntur ad instantiam, & petitionē alicuius, siue quæ conceduntur motu proprio Pontificis: istæ enim petitiones, & suplicationes appellantur secundum cōmunem vsum curiæ, & literæ Apostolicę sunt, & dicuntur.

Dicitur verò falsare literas, qui veras literas Apostolicas priuat aliquo modo Syncerę veritatis, vel qui falsario signo cōsignat, vt colligitur ex capite, Licet, de crimine falsi: ex quo principio plura dubia in specie solui possunt.

Est verò addendum, hanc excommunicationem non incurri, nisi mutatio talis sit peccatum mortale: quia vt sæpe diximus, hæc censura non imponitur sine peccato mortali, imò nec potest imponi.

Prohibetur etiam fabricatio integra falsarum literarum, quæ satis est manifesta.

Sed difficultas est, an mutare vnam literam, vel punctum sit sufficiens ad incurrendam hanc censuram. Affirmarunt graues Doctores, quos refert supra Toletus. Et probari potest, quia in priuilegijs concessis sacro pœnitentiario erat concessum, vt posset absoluere ab excommunicatione, quæ incurritur propter mutationem vnius literæ, vel puncti literarum Apostolicarum. Ita Caiet. verbo excommunicatio cap. *26*, Hostiensis in summa tractatu de excom. §. porro vere.

Alij verò negant, Rich. 4. dist. 18. art. 12 quæst. 4. Anton. 3. par. titulo. 24. cap. 16. Angelus excommunicatio 5. casu 3. n. 3. Gerson 2. parte alphabeto 32. folio 118. & alij, quia talis mutatio non potest esse semper peccatum mortale.

To-

Tolet.supra sentit olim in Bulla fuisse expresse positam hanc censuram contra mutantes vnum punctum, vel litteram, & tunc dicit fuisse veram primam opinionē, tantùm ea verba fuisse ablata: ideoque secundam sententiam esse hoc tempore veram.

Hæc Toleti ratiocinatio mihi non placet: nam priùs videndum est, an mutatio vnius literæ sit materia grauis, vel non: si enim non sit materia grauis, etiamsi ea verba ponerentur in Bulla, non esset graue peccatum, ac proinde neque incurreretur hæc censura: si verò sit materia grauis, etiam nunc incurreretur, quia licèt ea verba non ponantur, tamen generatim mutatio grauis prohibita est.

Dicendum ergo est, quando mutatio literæ vnius, vel puncti non effecit notabilem variationē in sensu, non est peccatum graue, quia mutatio facta est cum aliquo accidentali nullius, aut fere nullius momenti: ergo non est causa, ob quam dicamus hanc mutationem esse grauem culpam, & tunc non incurritur hæc censura.

Secundò dicendum est, si variatione pūcti variaretur sensus in re magni momenti, verbi gratia, si sequitur, vel aliquid conceditur, quod Pontifex non volebat, vel aliquid aufertur, quod Pontifex volebat obseruari, aut quid simile; tunc eam mutationem esse graue peccatum, & qui eā facit, incurrere excommunicationē hanc: & hoc sensu explicandas esse antiquas Bullas, quæ dicuntur habuisse verba illa, quæ refert Cardinalis Tolet. & hoc sensu potuit concedi facultas summo pœnitētiario expressa.

Addendum est, quòd si quis falsificaret rescriptum non signatum à Papa, vel à Vicecancellario, aut ab eorum vicem gerente, non incurret hanc censuram, quia in ea est sermo de eo, qui vel fingit literas, vel falsificat signatas dicto sigillo, siue de eo, qui falso sigillo signat.

Item sciendum est, aliquos affirmare, eum incurrere hanc excommunicationem, qui plures literas mutaret, etiamsi sensum reuera non mutaret. Sed hoc non videtur verum, quia prohibitio in hac cēsura Bullæ cœnæ solùm videtur de mutatione non quacumque, sed quantum ad sensum: quod si ratione mutationis sensus non sit graue peccatum, non est causa, ob quā dicamus illū incurrere hanc censurā.

Septima excōmunicatio duas continet partes: in priori parte excommunicantur tria genera personarum: nam primò excōmunicantur deferentes Turcis, aut hæreticis arma, & similia, quibus impugnāt Christianos. Secundò, qui de rebus ad statum reipublicæ Christianæ pertinētibus certiores faciunt hęreticos, aut infideles prędictos.

Tertiò excommunicantur dantes consilium prędictis.

Circa priorem partem dubitarunt aliqui, an reddentes illas res Turcis, aut hæreticis, qui veniūt ad terras Christianorū, incurrant hanc cēsuram. Et meritò Tolet. cap 24. dicit non incurrere: quod docuerat Caiet. verbo excommunicatio c. 20. Nauarrus super caput, Ita quorundam, de Iudæis notabili 10. num. 41. quia hic solū prohibetur deferre, reddere autem modo prędicto nō est deferre. Vnde non est audiendus Syluester verbo excommunicatio 7. §. 64. contrarium indicans.

Tertio quæritur, an si Christiani existentes in vna ciuitate hęreticorum, aut Gentilium, deferrent hæc prohibita ad aliam eorumdem, comprehendantur hanc censura. Et quidquid sit de jure antiquo, meritò affirmauit supra Toletus, quia in hoc verè quadrant verba prohibitionis. Alia tractat Toletus circa verba ipsius Bullę, & bene declarat: & obseruanda est proprietas verborū in hac, & in alijs circunstantijs.

Item dubitatur, an incurrāt hanc censuram qui hęc deferunt infidelibus, vt contra alios infideles pugnēt. Respōdet Tolet. incurrere, quando illis possunt vti contra Christianos: secus si certum sit illis non posse vti contra Christianos.

Circa secundam partem notandum est, nō incurrere eam excommunicationem, nisi eum qui facit certiores hæreticos, vel alios supra dictos de rebus, quarum notitia potest vergere in damnum Christianę Reipublicæ, vt notauit Toletus, & alij, qui dicunt eodem modo esse intelligendam tertiam partem, vt non omnes qui dant consilum, incurrant hāc excommunicationem; sed qui dant consilium in damnum Reipublicę Christanę.

Deinde dubitant alij, an deferre pecuniam sit prohibitum in hec censura. Et P. Suarez supra num. 54. affirmat, quia post alia verba, quibus in specie aliqua prohibe-

hibētur, additur: *Vel alia huiusmodi*, quibus Christianos impugnent: alij verò cōtrarium sentiunt loquentes de hac prohibitione Bullæ, quia illa verba, *Alia huiusmodi*, significant sermonem esse de armis, sicut ea, quæ priùs fuerant numerata, ex vi huius cēsuræ, vt modò est in Bulla Clem. VIII. Hæc posterior mihi est probabilior: dixi ex vi huius Bullæ, quia aliàs prohibitum etiam est dare pecuniam infidelibus, vt pugnent contra Christianos. Legatur Toletus supra numero 11.

Ex hac verò doctrina non erit difficile simile dubium soluere de illis relatis ad hæreticos, an comprehēdantur in hac prohibitione. Et P. Suarez supra num. 56. affirmat comprehendi non simpliciter, sed quatenus tali loco, & tempore possunt esse instrumenta belli, prohibitione hac comprehendi.

Sed contrarium docet Toletus supra numero 11. in fine, & mihi sicut in præcedenti dubio videtur philosophandum.

Circa tertium quod aliqui tractant circa secundam partem huius censuræ, de eo, qui dat consilium ad deferendum res prohibitas, quærunt aliqui, an incurrat han censuram. Et dicendum est non incurrere illam, quia non explicatur in hac censura talis actio, quòd pro similibus obseruandum est. Magni enim momenti est, & simpliciter necessarium, cognoscere actionem prohibitam, & personas comprehensas.

Secunda pars assignatur ab alijs generaliter extensio huius censurę ad eos, qui prædicta faciunt cum omnibus Christiani nominis hostibus.

De materia verò huius censurę, quomodo sint prohibitæ res prędictę iure cōmuni. legatur P. Tolet. cap. 25.

Occasione doctrinæ traditæ in hac censura disputant aliqui, an captiui remigantes apud Turcas contra Christianos peccent mortaliter. Quod dubium optimè tractat P. Vazquez opusculo de scandalo à summis Theologis summopere laudato, soluendū est ex principijs, quę tradidi 2. 2. ad quæstionem 43.

Solùm placet aduertere P. Suarez hic disp. 21. de cen. sect. 2. num. 60. dicere hos captiuos peccare mortaliter: quod mihi maximè displicet, quia actio nō est intrinsecè mala, & causa subsistenti grauis damni, vel periculi mortis, non est cur non liberentur á peccato cooperationis belli iniusti.

Octaua excommunicatio fertur contra eos, qui impediunt victualia deferre in curiam Romanam. Verba Bullæ sunt, Cōtra eos, qui impediunt, seu inuadunt eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam curiam adducantur prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel per alios, cuiuscunque fuerint ordinis. Quæ verba satis sunt manifesta: ex quibus constat, illum Principem incurrere hanc censuram, qui iniustè impediret prædictam delationem, non tamen si iuste id faceret propter bonum suę Republicæ. Ita Caiet. verbo excommunicatio cap. 19. Nauarrus in summa cap. 27. num. 64. P. Suarez supra num. 63. Plura notabam olim circa han censuram, quæ tamen similia sunt, & ex dictis intelligi possunt, sunt enim verba censurę nimis manifesta. *Suarez.*

DVBIVM IIII.

De nona, decima, vndecima, & duodecima excommunicatione huius Bullæ.

NOna excommunicatio fertur in eadem Bulla contra eos, qui accedētes ad Romanam Sedem, vel ab ea recedentes, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, detinent, aut capiunt. Quę verba obseruanda sunt.

Omissum est autem verbum *Verberandi*, quod habebatur in Bulla antiqua, vt patet ex Caiet. verbo excommunicatio c. 14. Item in Bulla Greg. habebantur ista duo, *Vulnerantes, & depræ dantes*: quæ tamen in Bulla Clementis Octaui non habentur: vnde multa docet Caiet. & nonnulli alij, quæ tamen modò necessaria non sunt.

Illud est notandum, venientes ad Sedem Apostolicam eos dici, qui causa Pōtificis, aut nepotis cum illo veniunt, non tamen aliam ob causam, vt Toletus notauit cap. 26. & alij: & eodem modo intelligēdum est quod dicit, *Recedentes* à Sede Apostolica.

In secunda parte huius clausulæ eadem fertur excommunicatio contra eos, qui non habentes iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, temerè indicantes similia contra morantes in eadem curia audent perpetrare. Quæ clausula manifesta est de his, qui prædicta faciunt prætextu iurisdictionis. Sciendum verò est aliqua verba de dantibus auxilium omissa esse in hac Bulla, quæ habebantur in Bulla Gregorij. Per quæ intelligunt Doctores Curiales, qui ibi gerunt negotium curię.

Decima excommunicatio fertur in omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, seu deprędantes Romipetas causa deuotionis, seu peregrinationis ad Vrbem accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedêtes. Circa quã nihil occurrit notandũ, quod non possit sumi ex dictis.

Vndecima fertur in omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, incarcerantes detinentes, vel hostiliter sequentes Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ legatos, vel Nuntios. De hac agit Toletus cap. 16. & res est clara. Quomodo verò cõtra hos fere omnes iure antiquo erat lata cẽsura, explicat Toletus vbi proximè, & Pater Suarez sectione 2. cita. nu. 68. de pœnis.

Additur etiam in Bulla extẽsio de mandatis habentes, & præstantes auxilium, consilium, & fauorem.

Duodecima fertur in omnes, qui occasione causarum, vel negotiorum occidunt, seu quoquo modo percutiunt, aut bonis spoliant per se, vel per alios omnes Ecclesiasticos, vel seculares ad Romanam curiam supra eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, aduocatos, procuratores, & agentes, vel etiam auditores, vel iudices super dictis causis, vel negotiis deputatos: & additur infra extensio ad cooperatores: quę verba valde sunt manifesta.

Circa hanc censuram facilia quædam notant Doctores, & Toletus notat circa illam particulam, *Morantes*, posse aliquem peccantem contra illos incurrere hanc, & præcedentem censuram. Legantur verba censuræ attentè: nam actiones prohibitæ manifestæ sunt, & personæ prohibitæ similiter.

DVBIVM V.

De decimatertia, decimaquarta, decimaquinta, & decima sexta excommunicatione huius Bullæ.

Decimatertia fertur contra appellantes ad potestatem laicam in causis Ecclesiasticis ad impediendam executionem literarum Apostolicarum.

Verba Bullæ adducuntur à P. Suarez sectione 2 citata à numero 74. & à Tolet. capite 27. habetur hæc censura capite, Quamquam, de immunit. Ecclesiarum in sexto.

Materia huius censuræ grauissima est, & à multis hoc tẽpore disputata in Hispania, quę longissimam requirit tractationem alio in loco.

Decimaquarta censura non dissimilis pręcedenti fertur in eos, qui causas spirituales ad se aduocant prætextu literarũ Apostolicarum, vt illarum executionem impediant: & satis multis verbis explicatur hæc censura. Legatur P. Suarez à nu. 75. Aduertendum autem est, hanc censuram solum comprehendere eos, qui auctoritate iudiciaria hoc faciunt, & occasione literarum Apostolicarũ: & sermo est expresse fit de his, qui hoc faciunt prætextu violentiæ prohibendæ, de quo vt antea dicebam, magna est hoc tempore quęstio: alio tamen loco examinanda. Suarez.

Decimaquinta fertur contra trahentes ad tribunal seculare personas Ecclesiasticas, vel facientes statuta, quibus libertati Ecclesiasticę derogetur, & simile quid habetur cap. Nouit. de sententia excom. & Bullæ verba satis sunt manifesta quę adducit P. Tolet. cap. 28. P. Suarez sect. illa 2 à num 77. Nec video aliquod verbum, quod speciali indigeat explicatione. Suarez.

Decimasexta fertur in eos, qui impediunt Prælatos Ecclesiasticos, ne sua iurisdictione vtantur: de qua Toletus cap. 29 & similis habetur in iure capite Quoniam, de immunitate Ecclesiarum in 6.

Sed obseruandum est non esse reseruatam eam censuram, quia habetur in iure; censura tamẽ Bullę reseruata est. Secundò notandum est, censuram Bullæ solum loqui

loqui de iudicibus ordinarijs, censura citati capitis etiam eiusq; fauorem iudicis delegati.

DVBIVM VI.

De alijs excommunicationibus huius Bullæ.

Restant quatuor vltimæ censuræ huius Bullæ, & 17. est contra vsurpātes iurisdictionem, aut fructus ad personas Ecclesiasticas pertinētes, ratione beneficiorum.

Circa quam nonnulla notanda sunt, quę notat Tolet. & P. Suarez num. 95. Caiet. verbo excomm. c. 27. & alij, non esse necessarium, vt quis incurrat hāc cēsuram, vt sint bona pertinentia ratione beneficiorum, monasteriorum, vel Ecclesiarum: vnde si personæ Ecclesiasticę habeant bona aliunde prouenientia, qui illa vsurparet, licet peccaret contra iustitiam cum obligatione restituendi, sed non incurreret hanc censuram.

Secundò necessarium est, inquit Tolet. cum Caiet. vt sint bona pertinentia ad personas Ecclesiasticas: vnde infert Toletus capit. 29. quòd si quis vsurpet bona beneficij vacantis, atque adeo ad nullam personam pertinentis, non incurreret hāc censuram, qui bona illa vsurparet, quamuis peccaret cum obligatione restituendi. Sed contrarium videtur probabilius, quia hæc prohibitio facta videtur in fauorem dignitatis Ecclesiasticæ, non in vtilitatem personę, vt docuit P. Suarez num. 97. qui tamen excessit dicens oppositum esse improbabile, magni enim momenti est in his rebus, sicut & in alijs, Caiet. & Tolet.

Suarez.

Toletus. Tertiò docet Tolet. necessarium est, vt fiat vsurpatio, cùm quadam quasi appropriatione; sicut si ad vsurpantem pertinerent ea bona: vnde qui illa caperet solùm animo furandi, sicut si essent quæuis alia bona personæ secularis, non incurreret hanc censuram. Ita Pater Suarez, & Caiet. supra.

Notandum etiam est, extendi eam censuram in vltimis verbis ad eos, qui quauis occasione, vel causa sine Romani Pontificis, vel eorū, ad quos de iure pertinet, expressa licentia sequestrant.

Decimaoctaua fertur contra imponentes, aut recipientes decimas, aut alia onera personis, aut bonis Ecclesiasticis, absq; Pontificis licentia, & compre hendit dantes auxilium, vel consilium, & incurruntur aliæ pœnæ, & censurę pro hoc casu latę in alijs Concilijs: est autem aduertendum, similem censuram latam esse in Concilio Lateranensi sub Alex. III. cap. 16. & habetur capite, Nouimus, de immunitate Ecclesiarum. Legatur Tolet. supra cap. 30.

Decimonono fertur contra magistratus, & iudices, notarios, scribas, executores, & subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas procesſando, capiendo, cōtra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, aut specifica, & expressa Sanctę Sedis Apostolicę licentia. Quæ verba satis sunt manifesta: quæ Toletus refert capit. 39. in fine: & Pater Suarez sect. 2. cit. num. 102. Toletus. Suarez.

Sciendum autem est in Bulla Greg. additam fuisse reuocationem omnium priuilegiorum quorumcumquę, quę verba omissa sunt in Bulla Sixti V. & Clementis VIII. sed in Bulla Clem. addita sunt illa, Sine specifica, & expressa Sanctę Sedis Apostolicę licentia: quę verba, vel omnino tollunt priuilegia priora, vel limitationē addunt.

Vigesima fertur contra destruentes, inuadentes, occupantes terras Romanę Ecclesiæ subiectas in totum, vel in partem, almam vrbē, Regnum Siciliæ, insulas Sardinię, & Corsicę, & alias ciuitates, terras, vel loca, vel iura ad Romanam Ecclesiam pertinentia: extenditur etiam ad fautores, & defensores eorum, qui talia fecerint: quę verba satis sunt manifesta.

Restat explicare, quis posśit absoluere ab his censuris. Et primò dicendū est, extra mortis articulum, nullū præter Romanū Pōtificē. Hæc sunt verba fere expressa huius Bullæ, & in articulo mortis nullus potest absoluere, nisi sub iuramētó de stando mādatis Ecclesię, vel satisfaciēdo cautione præstita. Et posset aliquis quęrere, qualis debeat esse hæc cautio: & communiter dicitur debere esse pignoratitia, si fieri potest; vel saltem fiat cautio iuratoria. Legatur Caietanus de excommunicatione cap. 77. & dicendum est debere cautionem

nem esse securam, iuxta facultatem debitoris.

Et sciendum est, in Bulla non exigi pro eo articulo satisfactionem, sed cautionē, vt manifestum esset, non esse necessariam satisfactionem re ipsa præcedentem; si tamen satisfactio posset fieri in eo articulo, non esset absoluendus pœnitens, antequam re ipsa exhiberet satisfactionem.

Deinde cùm dicimus, solùm Pontificem posse absoluere, non excludimus delegatos ab ipso, sed delegatio debet fieri iuxta modum præscriptum in hac Bulla: non enim sufficit generalis facultas, sed necessarium est, vt fiat mentio casuum huius Bullæ, vt ipsa Bulla declarat, & reuocantur omnes facultates, etiamsi cōcessę, sint per Concilij decreta: & propter hoc P. Suarez disp. illa 31. sectione 3. docet reuocatum esse decretum Concilij Tridentini concedentis Episcopis, vt possent occultè etiam absoluere ab hęresi: de quo diximus supra disp. 25. Suarez.

DISPVTATIO XXIX.

De excommunicationibus reseruatis Pontifici in decretis.

IN Explicandis alijs excommunicationibus Papæ reseruatis frequenter hunc ordinem seruant Doctores, vt prius explicet eas, quæ sunt in Decretis, deinde quæ sunt in Decretalibus, postea quæ sunt in Sexto, deinde quę sunt in Clementinis: tandem quæ sunt in Extrauagantibus.

DVBIVM PRIMVM.

Quomodo sit intelligenda excommunicatio lata contra iniijcientes manus violentas in Clericum.

SCiendum est, latam fuisse ab Innocentio II. in Concilio Lateranensi, & habetur capite, Si quis suadente, 17. q. 4. de qua P. Suarez disp. 22. sect. 1. à num. 4. Tolet. cap. 32. verba sunt: Si quis, suadēte diabolo, huius sacrilegij reatum incurrerit, quòd in clericum, vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum pręsumat absoluere, nisi in mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui pręsentetur, & eius suscipiat mandatum.

Circa hunc canonem notanda sunt nonnulla: vnum est, ex verbis illius satis constare censuram imponi ipso facto: alterum est, cōprehendere omnes personas, vt notauit Glossa in illud cap. Tolet. cap. citato, & alij.

Deinde sciendum est, quatuor esse necessaria, vt incurratur hæc censura. Primū est manuum iniectio. Secundò, vt sit violenta. Tertiò, debet esse peccatum mortale. Quartò, debet esse contra clericum: quæ omnia sigillatim sunt explicanda.

Circa primum, & secundum, certum est iniectionem hanc debere esse actum externum in facto consistentē, & non in verbis. Legatur P. Suarez sectione 1. à numero 23. quod bene explicat Toletus ex Glossa.

Sed est difficultas, an sit necessariū hanc actionem esse grauē in ratione percussionis corporalis; vel sufficiat esse grauem contra honorem ex communi hominum iudicio, verbi gratia, si quis contra honorem ipsum percutiat virga, aut arundine.

Tolet. cum Glossa supra actiones numerat. P. Suarez supra num. 25. docet non esse necessariam percussionem corporalem, quæ sit graue damnum corporis, quod est iuxta communem sensum. Suarez.

Deinde num. 26. docet, non esse satis actione iniuriosam, quæ sit graue peccatum contra honorē, quia hæc fieri potest absq; aliqua percussione externa personæ clerici, & tunc non dicetur manuum violenta iniectio in clericum. Quæ duo vera sunt, & mihi placent. Deinde dicendum est sufficere percussionem grauem in ratione læsionis corporalis, de quo non est dubitandum, si sit peccatum mortale. Rursus etiam sufficit actio iniuriosa secūdum hominum sensum contra honorem clerici, si aliàs attingat clericum: quia cum cōtactu verè est iniectio iniusta, & violenta in clericum; quod bene docuit P. Suarez supra, & actiones, quas ex Glossa assignauit Tolet. tales sunt: vnde si quis conetur Suarez.

tur clericum percutere,& tamen non attinget illum,non incurret excommunicationem, *Toletus.* vt ex alijs docuit Tolet.similiter per sola verba contra honorem non incurretur hæc excommunicatio propter dictam rationem. Ex qua doctrina multa dubia in specie solui possunt; infra verò ostendemus, in quibus casibus excusatur quis ab hac censura.

Tertiò, particula supra proposita,quòd debeat esse peccatum mortale, constat ex doctrina supra repetita:quòd hæc pœna non potest imponi nisi ob graue peccatum.

Circa quartum videndum est, quinam gaudeât hoc priuilegio,&qui significêtur nomine clerici:diximus enim hanc actionem debere esse contra clericum.

Et primò nomine clerici intelligitur habens primã tonsuram,ex communi sensu: est tamen necessarium quod dixit Concilium Tridentinum sessione 23.cap.6.de reformatione, vbi loquens de clerico habente primam tonsuram,vel minores ordines,vt etiam fori priuilegio non gaudeat,nisi beneficium Ecclesiasticum habens, aut clericalem habitum,& tonsurã, deseruiens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi,vel in seminario clericorũ, aut in aliqua Schola,vel Vniuersitate,de licẽtia Episcopi,quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versetur.

Toledo. Item docet Tolet. ex communi sensu Doctorum gaudere hoc priuilegio excõmunicatum clericum,suspensum,interdictum & degradatum solùm verbaliter,nõ realiter:quòd etiam docuit P Suarez supra. Item omnes qui habent sacrum aliquem ordinem. De clerico etiam coniugato legatur Pater Suarez, & Toletus supra.

Rursus certum est,religiosum gaudere hoc priuilegio.

Vlterius gaudet hoc priuilegio clericus côiugatus cum virgine,vt docet Tolet.& Suar.vt supra,& Doctores cõmuniter,iuxta caput, *vnculum*,de clericis cõiugatis in *6*.

Deinde gaudet hoc priuilegio monachus, id est,omnis religiosus,& comprehenduntur etiã fœminę,capite de monialibus,de sententia excom. Rursus comprehenduntur nouitij.

Vnde manifestè deducitur,comprehẽdi,& gaudere hoc priuilegio eos,qui in Societate Iesu post biennium emiserunt tria vota simplicia,per quam emissionem constituuntur verè, & essentialiter religiosi iuxta definitionem Greg.XIII.constitutione, Ascendẽte Domino,de quo dixi in materia de voto.

De religiosis qui dicuntur Tertij Ordinis Sancti Francisci, dubitant auctores: aliqui dicunt non gaudere hoc priuilegio, quia revera non sunt religiosi.

Sed Nauarrus in summa cap. 27 num. 79.dicit illos non gaudere hoc priuilegio secundum ius commune,bene tamen secundum priuilegia Pontificum, & secundum consuetudinem & statum curiæ Romanæ,& citat autores, qui ita affirmãt,si segregatim viuant,& habitum Religionis ferant: & habetur in decisione Rotę in antiquis 332 in fine, & idem docuit Tolet. *Toletus.* supra, & Pater Suarez vult hoc etiam *Suarez.* esse verum secundum ius commune,eo quòd sint personæ Deo dicatæ, & nomen religiosi habent. Sed mihi est valde difficile,nec videtur verum, cùm reuera non sint religiosi:& ideo placet sentẽtia, & modus philosophandi Nauarri.

De eremita etiam disputant Doctores,an gaudeat hoc priuilegio,sunt que diuersæ opiniones. Mihi videtur eremitam non gaudere hoc priuilegio,quia,vt ponimus,non est clericus,& aliás non est religiosus. Legatur P.Suarez disp.32.sect.1.à num.21.

DVBIVM II.

Quis excusetur ab hac censura.

DE Hoc legatur Tolet.cap.34. & P. Suarez art.35 & dicendum est plures esse casus,in quibus non incurritur hęc censura. *Suarez.* Vnus est,quãdo percussio,vel manuum iniectio fit iocosa. Ita habetur cap. 1.de senten.excommunicationis. Et certe si illa fiat sine peccato mortali cõstat nullum habere locum.

Secundò non incurritur, quando fit fortuito. Ita habetur,cap. Si verò,de sent. excom.

Tertius casus est,quando quis percutit in defensionem propriam cum moderamine inculpatę tutelę. Habetur capit. Si verò,& secũdo,de sententia excom. de quo P.Suarez supra. *Suarez.*

Quartò,quando quis percutit clericum

tur.

turpiter inuentum cum vxore, vel matre, vel sorore, vel filia, ex capite, Ad hæc 33. quæst. 2. & secundum rationem Doctorũ docent aliqui nomine vxoris etiam comprehendi sponsam, quæ solùm contraxit per verba de futuro. Sed P. Suarez num. 36. & multi alij dicunt non includi illam sponsam, quæ non est propriè vxori, quia sponsus ille potest propter talem causam discedere à contractu sponsalitio.

Suarez.

Circa matris nomẽ difficultas est, an illius nomine comprehendantur omnes ascendentes. Et affirmarũt aliqui, vt refert Tolet. Sed verius est solam matrem intelligi, secundum proprietatem nominis, vt Toletus, & alij non pauci dixerunt: & eodem modo nomine filię non intelliguntur omnes descendentes. Item nomine filiæ debet intelligi ea, quę talis est per naturã, non per adoptionem, vt notauit P. Suarez iuxta Glossam communiter receptam in citatum caput.

Toletus.

Suarez.

Quintus casus habetur capite, Si verò, & secundo, de sententia excommunicationis, quando quis percutit clericum, prudenter ignorans esse clericum, quia non habebat signum, ex quo posset colligi esse clericum, & idem iudicandum erit, quando ex alijs capitibus prudenter putauit non esse clericum, tunc enim non peccat peccato percussionis clerici, vt talis, neque est peccatum contra dignitatem personæ iuxta doctrinam traditam, disp. 5. dubio 1. & ex P. Vazquez tractatu de excommunicatione dubio 14. Vnde si hanc habent ignorantiam circa statum clericalem, nihil refert, siue det operam rei licitæ, siue illicitæ, vt docet Tolet. supra, cum P. Vazquez vbi proximè.

Vazquez.

Sextus casus, quando clericus est realiter excommunicatus, tunc enim amittit priuilegium clericale, cap. Degradatio de pœnis in 6.

Septimus, quando negotiationibus prohibitis se immiscet, & ter admonitus à Prelato non desistit, capite, Ex literis, de vita & honestate clericorum.

Octauus, si relicto habitu clericali arma deferat militaria, cap. In audientia, capite, De sententia excommunicationis: quod intelligitur quando ter admonitus non desistit.

Nonus, quando relinquit habitum clericalem, qui in veste, & tonsura consistit, & ter admonitus non obedit, capite Contingit, & secundo, de sententia excõmunicationis.

Decimus est, quando clerici se faciãt ioculatores, goliandos, bufones cap 1. de vita & honestate clericorum in 6. amittunt clericale priuilegium, si per annũ perseuerent, vel ter admoniti à Prelatis non desistunt.

Vndecimus casus est Clem. de vita & honestate clericorum, amittit enim clericus clericale priuilegium, si publicè, & personaliter exerceat officium tabernarium, vel si ter admoniti nõ desistant, vel si post admonitionem reuertatur: in his ergo casibus, in quibus clerici amittunt priuilegium clericale, non incurritur excommunicatio ex iniectione manuum violentarum in eos.

Duodecimus est similiter, si percutiat clericum, qui nõ solis verbis, sed facto induxit ad actum carnalẽ. legatur P. Suarez num. illo 35. qui alios citat.

Decimustertius, quando clericus prius admonitus est ab aliquo, ne cum vxore monentis colloquatur, si maritus postea eum inueniat loquentẽ, potest illum detinere, vt suo iudici tradat.

Decimusquartus, quãdo ad correctionẽ seu disciplinam fit leuis percussio: constat ex capite, Cum voluntate, de sentẽtia excommunic. aliquibus personis licere leuem percussionẽ clerici. De hac materia legatur P. Suarez disputatione 32. sect. 1. à num. 40. & primò, qui habent officiũ eiiciendi ex Ecclesia turbantes officium diuinum, possunt percutere clericos in minoribus cõstitutos turbantes Ecclesiasticum officium. Secundò seniores alij clerici possunt idẽ prestare zelo deuotionis. Tertiò Prælati respectu subditi. Quartò id licet Magistro respectu discipuli. Quintò domino respectu serui. Sextò, patri respectu filij.

Addendum verò, duobus primis generibus personarum solum illud licere respectu clerici in minoribus constituti, vt habetur expresse in illo capite, Deinde Prælato licet omnes clericos percutere, quia textus nullam assignat limitationẽ: difficultas verò est de alijs duobus, & præsertim de patre.

Prima opinio est aliquorum in caput Cum voluntate, supra cit. quam sequitur Syluest. excommunicatio 6. §. 6. & alij

qui

qui affirmant id licere parentibus correctionis causa.

Altera opinio est Glossę in cit. caput, & aliorum, qui negant id licere parentibus: & probant; quia vt vidimus in capite citato, duobus primis generibus personarum solùm conceditur respectu eorū, qui tantùm sunt in minoribus constituti, & Tolet. supra dicit hoc esse tutius.

Sed cùm in his vltimis non assignetur limitatio, non video idoneum fundamentum ad talem limitationem faciendam: & hoc sequitur Pater Suarez sectione illa 1. numero 48. in fine. Nauarrus cap. 27. num. 81.

Suarez.

Dubitatur tamen, an quando prędicti excedūt modum percussionis relatę ad correctionem, incurrant hanc censuram.

Prima opinio est Glossæ in caput, Vniuersitatis, de sententia excommunicationis, affirmantis illos incurrere hanc censuram. Et probari potest, quia facultas solùm conceditur inordine ad correctionem.

Sed Glossa in caput, Cum voluntate, citatum, docēt non incurrere illos hanc censuram.

Et aliqui redigunt in concordiam has duas opiniones secūdum doctrinam Sylnestri excommunicatio 6. §. 6. vt non cōtrahatur, quando est purus excessus, ita vt non sit peccatum mortale. Et hanc doctrinam sequitur Tabiena excommunicatio 3. casu 2. & Tolet. supra num. 4. & ex dictis potest probari vtraque pars: & prior facilè intelligetur, quia sine peccato mortali non incurritur hæc censura, Secunda probatur, quia fit contra facultatem grauimodo, ita vt fit peccatum mortale.

Sed quęri potest, quid dicendū sit quando prædictæ personæ percutiunt prætextu cōrrectionis, sed non ex fine corrigendi, sed ex odio. Respōdent Syluest. & Tolet. supra, incurri excommunicationem, quia facultas est concessa ad corrigēdum, ex fine correctionis, & docent esse communem sententiam, quam ego intelligo, si finis ille aliquo signo manifestetur; alias non potest Ecclesia eum actum puníre iuxta doctrinā à nobis traditam supra disp. 4. dub. 2.

Toletus.

Deinde vocatur in dubium, an prædictæ personæ per alias possint constringere clericum. Respōdet Toletus supra primò Episcopo non licere perseipsum punire, iuxta caput, Non licet, distinct. 86.

Secundò Abbati nō licet percutere per alium, iuxta caput, Vniuersitatis, de sent. excom. nisi necessitas vrgeat.

Tertiò docent authores non pauci, quęcumq; paniente clericum per laicū incurrere hanc excommunicationem, & probant ex cap. Vniuersitatis, quod solùm loquitur de Abbate.

Occasione huius doctrinæ mouet dubiū Panormitanus, an incurrant excommunicationem illi, qui per laicum torquent clericum: & Panormitan. in cap. Cum voluntate citatum, dicit illos non excusari à peccato, nec à censura. Nauarrus cap. 27. num. 86. excusat eos à censura, sed non à peccato.

Sed Syluester loco citato ab vtraque excusat eos tantùm propter consuetudinē, cumque facile non inuenietur clericus, qui velit illud officium facere, & hoc putat probabilius Toletus capite 5. citato in fine. Et ex his facile est alia deducere.

DVBIVM III.

An excommunicatio canonis, Si quis suadente, extendatur ad mandantes, vel consulentes, aut alios.

SI Cōsiderentur solùm verba canonis, Si quis suadente, non videtur cōprehendere consulentes vel mandantes.

Verùm alia iura ita interpretantur eum cononem, vt extendant ad mandantes, vel addant extensionem: nam in cap. Mulieres, de sententia excom. dicitur illos, quorum mandato, vel authoritate alij violentas manus in clericum imponunt, incurrere cēsurā huius excōmunicationis: quod in capite, Cum quis, de sententia ex com. in 6. extenditur ad ratihabitionem, quę equiparatur mandato.

Difficultas est, an incurrat hanc censuram quicumque mandat. Tolet. cap. 35. docet, primò non incurrere illam mandātem, qui ante percussionem reuocauit mandatum, & mandatarius agnouit reuocationem: & dicit esse communem doctrinam multorum.

Toletus.

Tertiò docet, quando mandans reuocauit

tit mandatum, sed reuocatio non potuit peruenire ad mandatarium, incurrere man dantem hanc censuram: pro qua sententia citat Angelum excommunicatio 5. numero 31.

Tertiò docet, si mandans moriatur ante executionem mandati, non contrahit excommunicationem, quia mortuus non potest incurrere illam, vt diximus supra.

Quartò, docet cũ aliquibus Doctoribus, eodem modo philosophandum esse de con sulente, sicut de mandante.

Mihi placet primò, non incurrere hanc censuram mandantem, quando reuocat mandatum ante executionem, & manifestat reuocationem mandatario. Ratio est, quia tunc non est causa moralis effectus, quia mandatarius non mouetur propter mandatum, quia iam cognouit reuocationem mandantis, propterea in materia de restitutione dicebam, mandantem in hoc euentu non obligari ad restitutionem.

Secundò mihi placet mandantem incurrere hanc excommunicationem, quando reuocatio non est nota mandatario, quia tunc mandatarius vere agebat, ex virtute mandati, & mandans verè est causa moralis effectus virtute mandati prioris: neque reuocatio ignorata à mandatario impedit. Vnde repetenda est Glossa cap. Cùm quis, de excommunicatione in sexto contrarium docens.

Toletus. Tertiò mihi placet tertium dictum Toleti.

Circa primum notandum est id, quod de causa consulente dicebam in materia de restitutione, nempe aliquem posse duobus modis dare consilium, vel quãdo vult ostendere veritatem, vt si interrogatus, an bellum aliquod sit iustum, respondeat esse iustum: & in hoc euentu si re exactiùs considerata reuocet consilium, & manifestet illud alteri affirmans hanc esse veritatem, non erit causa iniustitiæ, etiamsi alter gerat bellum, quia in hoc casu gerens bellum non mouetur ex consilio dato, quod cognoscit reuocatum, & manifestatam veritatem ex mente consulentis. Altero mo do potest quis præbere consilium, nõ quia dicat rem esse honestam, sed quia affirmet esse necessarium propter mundi honorem occidere inimicum, verbi gratia, & in hoc casu videtur non sufficere reuocare consilium, quia alter ex priori ratione moueturad occidendum, quia aliqui existimant hanc reuocationem sufficere, & semper considerandum est, an qui occidit ita moueatur ex ratione consulentis, vt consulens dici possit causa moralis.

Item quæritur circa prædicta, an iudici seculari liceat detinere, seu inijcere in vin cula clericum. Et certum est non licere, & talem iudicem incurrere sententiam excommunicationis habetur capite, Nuper, de sententia excomm.

Addit Toletus supra licere, absque culpa, vel excommunicatione in quatuor casibus. Primò, quando est traditus custodię seculari, capite Degradatio, de pœnis, in sexto. Secundò, si est incorrigibilis, ita vt priùs sit depositus, & propter incorrigibilitatem sit excommunicatus, & anathematizatus, & tamen perseuerat incorrigibilis, capite, Cùm nõ ab homine, de iudiciis. Tertiò, quando id fit de mandato Prælati, capite, Si clericus, de excommunicatione in 6. Quartò, propter aliquẽ bonum finem, nempe propter vitandum crimen, vel quando post commissum crimen est periculum fugæ. Et ratio est, quia in his casibus non potest quis imponere manus violentas suadente diabolo in clericum. *Toletus.*

Dubitant item Doctores, an clericus qui se ipsum percutit, ita vt percussio sit mortale peccatum, incurrat excommunicationis sententiam latam in canone, *Si quis suadente.* Et est multorum sententia, talem clericum incurrere illam censuram: ita cõmuniter contingit in cap. 1. de sententia excommunicationis, Syluester excommunicatio 6. §. 8. Tabiena excommunicatio 5. casu primo numero 32. Nauarrus in summa cap. 27. num. 79. & P. Tolet. supra dicit non ab hac opinione tam communi recedendum, P. Suarez sect. 1. cit. num. 59. dicit esse probabilem, & addit, quamuis non desint multi Doctores oppositum sentientes. *Toletus.*

Probari verò solet hæc sententia ex capite, Contingit, el primero, de sententia excomm. vbi dicitur canonem, *Si quis suadente*, non tam in fauorem personæ, quàm in fauorem ordinis clericalis esse promulgatum.

Secundò probat ex canone, Si non licet 23. quæstione 5. vbi habetur plus esse homicidam, qui se occidit, quàm qui occidit alium: ergo.

Suarez. Sed vt testatur Pater Suarez supra, multi Doctores contrarium sentiunt, & mihi est probabilius. Et probari potest primò, quia prędictus canon, Si quis suadente, manifestè loquitur de persona distincta à percutiente clericum. Secundò, quia oppositum nullo iure probatur; nam caput, Contingit, loquitur de actione iniuriosa, de qua loquitur canon, Si quis, & hic, vt dixi, de actione alterius personæ, plane loquitur. Neque est idoneum fundamentum in eo capite ad dicendum talem censuram ligare clericum seipsum percutientem; aliud verò maioris momenti est, quia licèt dicatur magis homicida, qui seipsum interficit, quàm qui interficit alium; tamen hoc nihil refert ad probandum in prædicto canone, *Si quis suadente*, sermonem esse etiam de ipso clerico se percutiente: & hoc multi putant probabile.

Alia difficultas est, an quando quis percutit clericum consentientem suæ percussioni, incurrat censuram canonis, *Si quis suadente*. Suarez. Pater Suarez supra num. 58. respondet sub distinctione: nam vel actio est iniuriosa ordini clericali; vel non: si non sit iniuriosa, dicit percutientem non incurrere censuram, quia tunc cessat ratio capitis, Contingit, de sententia excommunicationis: secus tamen si sit iniuriosa; tunc enim videtur incurrere censuram iuxta caput, Contingit citatum: & hoc sensu est communis sententia Doctorum, quam sequitur Toletus supra.

DVBIVM IIII.

Quis possit absoluere ab hac censura.

EX Verbis canonis, *Si quis suadente*, suprà relatis constat hanc excommunicationem esse reseruatam Summo Pontifici, vt notant Doctores.

Sed quia sunt aliqui casus, in quibus alij pręter summum Pontificem possunt ab hac censura absoluere, oportet eos explicare.

Et pro his, quæ dicenda sunt, explicandum est, quæ sit læsio enormis, seu grauis, mediocris, & leuis. Enormis dicitur, quando processum est ad mutilationem, vel effusionem sanguinis; aut ratione personę, quando in Episcopum, aut Abbatem violenta manus est iniecta, iuxta caput, Cùm illorum, de sententia excommun. Leuis autem est illa, quæ fit pugno, palma, manu, pede, ligno, aut lapide non facientibus vulnus, & declaratur in Extrauaganti, Peruenit, de sententia excommunicationis: quæ tamen in iure non habetur, & in certi auctoris est, vt non pauci obseruant, & notauit Pater Suarez disputatione 32. Suarez. Notandum verò est, non vocari leuem, quasi non sit peccatum mortale; leuis tamen læsio dicitur comparatione enormis, & grauis.

Ad iudicandum verò, an sit leuis læsio, iudicium sumendum est, non solùm facti, sed quantitatis, & modi, & circunstantiarum aliarum, loci, & personarum, iuxta Extrauagantem citatam. Mediocris dicitur media inter enormem, & leuem, de qua non potest esse certa regula, vt inquit Toletus cap. 33. & omnia hæc prudenter sunt consideranda: docet Pater Suarez sectione 1. num. 92. qui legi potest à num. 88 & à num. 63. Suarez.

His præmissis, primò docent auctores ab excommunicatione contracta ob iniectionẽ manuum cũ leui percussione posse Episcopum absoluere, tam seculares, quàm clericos. Ita habetur expresse capite, Peruenit, de sententia excommunicationis.

Secundò, à contracta propter læsionem mediocrem potest absoluere Episcopus clericos collegialiter viuentes, si fortè vnus alterum percusserit. Ita habetur capite, Quoniam, de vita & honestate clericorum.

Tertiò, quando sunt Monachi in claustro degentes, & vnus alterum percutit, à proprio superiore potest absolui, si læsio est leuis, vel mediocris tantùm, iuxta caput, Cùm illorum, de sententia excomm. vbi etiam habetur, quòd si percussus est clericus secularis, tunc religiosus percutiens à Papa est absoluendus. Quod Toletus, & alij explicant, si percussio fuit mediocris: nam si fuit leuis, potest Episcopus, non tamen Prælatus, iuxta caput, Religioso, de sententia excommun. in sexto.

Deinde si ostiarius Principis, Prælati, vel alterius potestatis percutit clericum, & non

& non animo inferendi iniuriam, sed sui officij causa ob detinendam turbam, potest absolui ab Episcopo, si leuis fuit læsio tantùm. Habetur capite, *Si verò*, de sententia excomm.

Item si est iustum impedimentum temporale, ob quod percutiens non potest accedere ad summum Pontificem, potest absolui ab Episcopo cum iuramento, vt cessante impedimento, accedat ad Sedem Apostolicam: habetur capite, De cætero, de sententia excommunicationis.

Rursus serui absoluuntur ab Episcopo in duobus casibus: vnus est, quando seruus percutit clericum eo fine, vt se liberaret à suo domino: alter, quando absentia eius est in magnum detrimentum domini, & tamen dominus non fuit in culpa eius læsionis. Et in his duobus casibus absoluitur, etiamsi læsio enormis sit; si tamen ita sit enormis, vt ad vitandum scandalum, mittendus sit ad Sedem Apostolicam, non potest Episcopus absoluere. Quæ omnia habentur capite, Relatum, de sententia excomm. quod solùm intelligitur de mancipiis.

Addendum est, quòd si seruus fuerit consequutus libertatem, debet ad Sedem Apostolicam accedere, quando ab Episcopo absolutus est à læsione mediocri, vel enormi, & cum iuramento de hoc faciendo debet absolui, cap. Quamuis, de sententia excommunicationis.

Notat autem Toletus, & alij, quòd si isti, qui tenentur accedere ad Sedem Apostolicam, & fecerint iuramentū, non accedāt oblata opportunitate, peccant contra iuramentum, & de nouo incidunt in excommunicationem, capite, Eos, de sententia excommunicationis in sexto.

Deinde placet referre alios casus, in quibus Episcopus potest absoluere ab hac censura, quæcumque fuerit læsio: de quibus dubio sequenti.

DVBIVM V.

In quibus casibus possit quis absolui ab hac censura absque recursu ad Summum Pontificem.

Suarez. DE Hoc legatur Pater Suarez sect. 1. à num. 61.

In hac re sciendum est in ipso canone, Si quis suadente, concedi facultatem absoluendi pro articulo mortis, & in capite, Ea noscitur, de sententia excommunicationis, statuitur, vt hæc absolutio concedatur priùs præstito iuramento, vt si absolutus fuerit consequutus salutem, ad Sedem Apostolicam, vel Legatum Pontificis accedat.

Sciendum deinde est ab hac censura, & à reliquis, pro articulo necessitatis mortis posse quemlibet Sacerdotem absoluere, vt sæpe docent auctores, & patet ex his, quæ diximus in materia de pœnitentia, agentes de casibus reseruatis.

Secundò sciendum est, in iure excipi varias personas, quæ absolui possunt sine recursu ad Pontificem.

Excipiuntur pueri ante annos quatuordecim, vt habetur capite, Super eo, de sententia excommunicationis, nec obligantur ad accedendum ad Pontificem, cùm ad maiorem ætatem peruenerint, capit. Quoniam, eodem titulo.

Item excipiuntur mulieres cuiuscunque status, capite, Mulieres, eodem titulo, quę possunt absolui ab Episcopo.

Item moniales possunt absolui ab Episcopo, capite, Moniales, eodē titulo. Deinde impotentes ad iter faciendum, vt claudi, cæci, & similes, capite, Ea noscitur, de sententia excommunicationis.

Item quando ita sunt pauperes, vt nequeant sustentari, nisi suo labore, nec possint accedere ad Sedem Apostolicam, nisi mendicantes, capite, Quod de his, eo titulo. Sed aliqui docent, quòd si isti pauperes solent viuere ex eleemosyna ostiatim petita, possunt & debent accedere ad Sedem Apostolicam: quod non puto verum absolutè dictum, sed considerandę sunt aliæ circunstantiæ talis hominis, an habeat familiam, & an possit facilè in itinere inuenire eleemosynā. Legatur Toletus supra, P. Suarez sect. 1. num. 65. Suarez.

Et ad dictos reducuntur alij impediti, quos numerant summistæ & ex dictis non erit difficile ferre iudicium, & capite, Ea noscitur citato, excipiuntur mulieres, senes, valetudinarij, seu membrorum destitutionibus impediti, quibus conceditur, vt satisfacta parte ab Episcopo possint absolui.

Est autem circa doctrinam traditam diffi-

difficultas, an quando absolutio remittitur Episcopo, sit reseruata illi, ita vt alius non possit extra articulum mortis, nisi Episcopus ipse, vel de licentia eius, & hoc videtur dici iuxta capita citata, & docet Nauarrus cap. 27. num. 112. cum aliis Canonistis, & P. Suarez supra sect. 1. citata num. 64. Suarez.

Notat item Toletus supra, Legatos à latere de iure communi habere facultatem absoluendi ab hac censura, capite, Ad eminentiam, de sententia excommunicationis.

Deinde notandum est, in capite, Quamuis, de sententia excommunicationis, excusari eos, qui canonico impedimento sunt impediti & quæ tunt aliqui, quid sit intelligendum nomine canonici impedimenti, & breuiter dicendum est intelligi omne impedimentum per canones expresse exprobatum, vel quod iudicatur legitimum.

Hactenus verò dictum est, quis possit absoluere ab hac censura de iure communi: obseruandum autem est, posse aliquem absoluere ex priuilegio, in quo Religiosi debent obseruare sua priuilegia.

Item obseruandum est, quid concedatur in Bulla Cruciatæ, circa hanc materiam, vel in aliquo Iubilæo. Solet enim communiter concedi facultas absoluendi pro foro interiori.

DISPVTATIO XXX.

De excõmunicationibus quæ habentur in Decretalibus, & reseruantur Papæ.

DVBIVM PRIMVM.

De aliquibus excommunicationibus.

PRima adducitur à Nauarro, & aliis Doctoribus ex capite, Quoniam, de officio delegati, vbi quando aliquis est excõmunicatus à Papæ delegato, & manet per annum in ea excommunicatione, reseruatur illius absolutio Papæ.

Quæ vt notauit P. Suarez supra sect. 2. in principio, non est censura à iure, sed ab homine, ferri enim debet à Delegato. Suarez.

Secunda affertur ab eodem Nauarro, & quibusdam aliis, ex capit. Ad falsariorum, de crimine falsi: quæ excommunicatio in eo capite non est reseruata, reseruatur tamen in Bulla Cœnæ, de qua diximus in explicatione Bullæ Cœnæ: & legi possunt Doctores illam explicantes.

Tertia adducitur ex capit. Dura, de crimine falsi; sed ibi non fertur ipso iure, sed præcipitur promulgari ab Episcopo contra eos qui habent literas falsas Apostolicas, & intra viginti dies eas nõ destruunt, aut resignanti quòd si post promulgationẽ incurratur, manet reseruata Pontifici.

Similis modus excommunicationis, & reseruationis est capite, Conquesti, de sententia excommunicationis, vbi præcipit Pontifex quosdam sacrilegos denunciari excommunicatos, & non absolui, donec cum literis suorum Prelatorum veritatem continentibus Apostolico se conspectui præsentent.

Circa quem textum dubitandum est, an ea excommunicatio sit lata iure ipso. Ratio dubitandi est, quia dicitur *Ipsos excommunicatos denuncietis.* Vbi verbum Denunciandi potest duobus modis sumi, vel ita vt supponat iam excommunicatos, & denunciare idem sit, quòd illos publicè manifestare; vel ita, vt ipsa denunciatione fiant excommunicati.

Glossa in citatum caput refert sententiam asserentium, illos non esse ipso iure excommunicatos: & probatur, quia capite vltimo de furtis, quidam qui Ecclesiæ bona quædam furto accipiunt, si non erãt infames, dicuntur per pœnitentiam, & satisfactionem admittendi ad ordines, si aliàs sint idonei, vbi nulla requiritur absolutio à censura.

Secundò, quia in capite, Conquesti, de foro competenti dicitur inuasores rerum Ecclesiasticarum anathematizandos esse, ergo non sunt ipso iure anathematizati.

Sed communis opinio est excommunicationem, de qua est sermo in capite, Con questi, ipso iure esse latam. Ita docent in illud caput, & sequitur Panormitanus, & alii interpretes, Toletus capite 36. excommunicatione 6. Pater Suarez sectione 2. numero 6. quod planè textus ipse præsert, si syncere velimus illud interpretari. Suarez.

Sed notandum est, esse ibi specialem sermonem

sermonem de furto rei Ecclesiæ, non quomodocunque, sed cum violenta fractione, & spoliatione: & ita Doctores redigunt in concordiam hoc caput cum aliis, quæ allegantur pro prima opinione. Nam capite vltimo de furtis, solùm est sermo de quodam simplici furto; ex capite autem Cõquesti, de foro competenti, solùm colligitur, non omnem furem rerum Ecclesiasticarum esse iure excommunicatũ: quod etiam colligitur ex capite, Indigne, 12. quæst. 2.

Sed quærunt aliqui, vbi sit lata ipso iure prædicta excommunicatio. Nauarrus dicit, latam esse ante illum Canonem, capitis Conquesti, de sententia excommunicationis, & ex illo colligi latam fuisse. Et Glossa eamdem opinionem indicans citat caput Canonica 11. quæstione 3. & caput omnis Ecclesiæ 13. quæstione 4.

In priori capite hæc habentur verba, Ecclesiarum Dei violatores, auctoritate Dei, & iudicio Sancti Spiritus, à gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, & consortio totius Christianitatis elimina. Quæ verba, si quid probant, probant omnes sacrilegos esse ipso iure excommunicatos.

Alij exponunt, solùm tradi ibi formam ferentis excommunicationem, quando oportuerit, non tamen esse latam.

Alij verò in idem caput docent latam esse excommunicationem, sed contra quosdam illius temporis, qui per violentiam sumebant res Ecclesiæ: de quo non satis nobis.

Alij caput desumptum esse ex quodam Concilio, in quo tamen non inuenitur, & non constat ex aliis locis illius pœnam introductam in tota Ecclesia.

In altera verò opinione hæc habentur, omnes Ecclesiæ raptores, atque suarũ facultatum alienatores, à liminibus sanctæ Matris Ecclesiæ anathematizamus, &c.

Quæ verba, etsi excommunicationem continẽt ipso iure, vt Glossa exponit; sed omnes raptores Ecclesiasticarum facultatũ comprehendũtur: sed vt Pater Suarez dicit, hæc excommunicatio non est vsu recepta.

Suarez. Docet deinde P. Suarez, posse dici hanc excommunicationem latam fuisse à Ioanne Papa in capite, Quisquis 17. quæstione 4. illis verbis, Si quis domum Dei violauerit, & aliqua sine licentia illius, cuius esse dignoscitur, inde abstulerit, donec in conuentu admonitus satisfaciat, sciat se communione esse priuatum. Ex quo capite, vt vidit Pater Suarez, non potest colligi eam sententiam esse latã, quia in illis verbis sequentibus præcipitur, vt subiiciantur anathemati.

Et ideo Pater Suarez dicit posse defendi communem sententiam, si dicamus, eam excommunicationem latam esse in eo capite, *Conquesti*, citato, quia authores dicunt illa verba significare sententiam latam. Et ita Pontifex poterit illa forma verborum eam ferre, & præcipere, vt declarentur excommunicati, & ideo talis excommunicatio solùm complectitur casum illius textus. Suar.

Disputari verò solet, quæ actio requiratur ad incurrendam censuram citati capitis. De quo legi potest Pater Suarez supra sectione 2. à num. 12 qui plures Doctores citat, breuiter dicendum est, solum furtum sine fractione non sufficere, aut solam actionem furandi, vel solam fractionem Ecclesiæ; sed vtramque esse requisitam: vt patet ex textu. Quæ sit vero actio furandi, vel frangendi Ecclesiam, non est difficile iudicare secundum verborum proprietatem.

DVBIVM II.

Quæ sit excommunicatio lata contra incendiarios.

CApite, *Tua nos*, de sententia excommunicationis fertur excommunicatio contra incẽdiarios. Verba sunt hæc: Incendiarij ex quo sunt per Ecclesiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Apostolicam Sedem sunt mittendi.

Circa quam notandum est, aliquos sentire ibi non esse excommunicationem ipso iure latã, quia solùm dicit, Ex quo fuerint per Ecclesiam publicati. Alij verò sentiunt esse quidem latam, sed non reseruatam ante publicationem.

Verùm contra vtramque sententiam obiicit Pater Suarez supra num. 115. quia excommunicatio ipso iure nec fertur in capite, Tua nos, vt colligi potest ex verbis relatis. Deinde nullibi reperitur lata: nam capite Pessima 23, quæst. 2. solùm dicitur

citur, Excommunicentur: & capite, Siquis ibidem, manifeste requiritur secūda & tertia commonitio, ante quàm illam incurrat. Vnde non video latam ipso iure excommunicationē contra incendiarios generatim.

Circa incendiarios verò Ecclesiarum speciatim citari solet cap. In literis, de raptoribus; ex quo tamen solùm colligitur, quemdam incendiarium fuisse excommunicatum, sed non constat an fuerit excommunicatus à iure, vel ab homine. Et ita concludit, non esse ex hoc capite excommunicatos à iure; sed ex citato capite colligitur excommunicandos esse per Ecclesiam, & sententiam eius: & Toletus cap. 36. putat non esse incendiarium excommunicatum ipso iure. *Toletus.*

Glossa, Panormitanus, & alij non pauci putant necessarium esse, vt sit lata in particulari, quia vt hæc excommunicatio sit reseruata, docent esse necessarium, vt quis sit denunciatus: & idem sentit Caiet. verbo excommunicatio cap 22. Probat ex illo verbo, Ex quo fuerint per sententiam publicati.

Suarez. Sed P. Suarez putat hoc non esse necessarium, quia in eo capite non est sermo de persona, sub proprio nomine, sed sub nomine facientis tale peccatum: & fortasse autores citati, inquit, non sunt loquuti de speciali denunciatione sub nomine proprio.

Verùm mihi in hac re prior opinio probatur, quæ communior est, in pœnis mitior pars videtur eligenda. Restat explicādum, quid nomine incendiarij intelligendum sit.

Hoc tractant Doctores, vt ostendant, an sufficiat vnus actus, vel requiratur consuetudo eius vitij, vt quis incurrat eam censuram.

Suarez. Et P. Suarez supra numero 22. dicit, primò esse necessarium, vt quis ex certa sciētia committat hoc peccatum, qui tamen ex ignorantia, vel negligentia faciat, non incurret talem censuram, etiamsi peccatum mortale faciat, & probat, quia mora satis explicant capite, Pessima 13. quæst. 8.

Secundò docet, vnum actum hoc modo factum sufficere ad talem excommunicationem, & si quis illam incurrat, & denuncietur, erit reseruata. Et colligi potest ex capitibus citatis, quæ volunt actum prohibere quemlibet, & non solam consuetudinem.

Altera excommunicatio habetur ex capite, Significarunt, de sententia excommunicationis, vbi excommunicantur clerici, qui cum excommunicatis à Papa in diuinis officiis communicant. De qua legi potest P. Vazquez tractatu de excommunicatione dubio 10. & nos diximus disput. 12 dubio 2. *Vazquez.*

DISPVTATIO XXXI.

De excommunicationibus, quæ habentur in sexto Decretalium.

DVBIVM PRIMVM.

De duabus excommunicationibus sexti libri Decretalium.

IN Sexto decretalium aliquę reperiuntur excommunicationes, & vna est capite, Quicumque, de sententia excommunicationis in sexto, vbi primò excommunicantur omnes illi, qui occasione alicuius censuræ latæ dant licentiam occidendi eos, qui promulgarunt talem sententiam, vel eum, cuius occasione est promulgata; vel eos, qui obseruant prædictam excommunicationem, vel eos qui nolunt conuersari cum tali excommunicato: & comprehendit omnes personas.

Secundò excommunicantur qui dant licentiam capiendi aliquem prædictorū. Tertiò, qui dant licentiam grauandi aliquem prędictorum in personis, vel in bonis suis, vel suorum. Quartò excommunicantur etiam qui tali licentia vtuntur.

Sed notandę sunt duæ limitationes, quas ex ipso capite notarunt Doctores, & legi potest P. Suarez supra sect. 3. & Toletus cap illo 36. in fine.

Prima est, si licentia reuocata fuerit re integra, id est antequam aliquid fiat ex vi illus licentiæ, non incurrit hac censuram qui dedit licentiam.

Se-

Secunda, vt illato damno non statim incurratur, sed post octo dies, si intra illos non satisfecerint. Et secunda limitatio intelligitur à Doctoribus, quando damnum illatum est circa bona externa, non circa personam. Legatur Pater Suarez, & Toletus supra citati, Nauarrus capit. 27. num. 99. Caiet. cap. 36. de excommunicatione.

Circa vsum licentiæ aduertendum est, necessarium esse, vt propter talem vsum incurratur excommunicatio, iuxta generalem doctrinam.

Item notandum est, circa quod damnum illatum imponitur hæc censura, necessarium esse, vt sit illatum per actionem iniuriosam, vt cum aliis Doctoribus docuit Pater Suarez, & colligitur ex textu: nam sermo est de actione occidendi, & rapiendi, tantumque fit mentio satisfactionis, quæ supponit damnum illatum.

Item obseruandum est, non ferri solùm hanc censuram contra eum, qui damnum intulit ferenti censuram, sed etiamsi damnum inferatur aliis, de quibus supra diximus.

Tandem circa hanc censuram notandum est, non statim ac incurritur, esse Pontifici reseruatum, sed post quam per duos menses quis in ea permansit, vt dicitur in eodem textu.

Altera excommunicatio est desumpta ex capite, Eos qui, de sententia excommunicationis, vbi imponitur excommunicatio Papæ reseruata illi, qui absolutus à reseruatis, etiam sub conditione comparendi coram Summo Pontifice non implet conditionem tempore debito.

Sciendum autem est, duas esse partes in hac censura, quæ continent duos modos, aut casus, in quibus incurritur Prior modus est, quando absolutus quis est ob vrgentem aliquam necessitatem: & hæc reseruatio locum habet in omni excommunicatione reseruata respectu eius, qui illam potuit sibi reseruare, & reseruauit.

Altera pars continet reseruationem factam soli Summo Pontifici. Circa quam notandum est, quòd quando ponitur conditio comparendi coram ordinario, potest duobus modis poni: vel expresse comparendi personaliter, vel solùm comparendi. Et in priori casu certum est necessarium esse, vt absolutus compareat personaliter: in posteriori autem casu multi dicunt sufficere, si ille compareat per alium. Ita P. Suarez supra num. 10. & Caiet. de excommunicatione capite 69. & est probabile.

DUBIUM II.

De aliis excommunicationibus, quæ habentur in sexto Decretalium.

ALia excommunicatio habetur in Sexto, capite, Fœlicis, de pœnis, quæ fertur contra eum, qui in Cardinalem manus iniecerit, violauerit, aut illum hostiliter fuerit insequutus: & reseruatur Summo Pontifici.

Notandum autem est, hanc censuram ex parte esse latam, Canone *Si quis suadente*, de quo supra: nam clerici nomine Cardinalis comprehenditur sine dubio. Sed in capite hoc plures actiones assignantur, nam ad censuram eius capitis incurrendam sufficit, si quis hostiliter insequatur Cardinalem, etiamsi non peruenerit ad iniectionem manuum. Intelligitur autem hæc insecutio, de insecutione per cursum & motum, iuxta eundem sensum, vt explicuit Pater Suarez supra numero 12.

Item hęc excommunicatio plures personas comprehendit, quàm censura Canonis *Si quis suadente*: nam iste canon com prehendit facientes, & mandantes: at verò censura capitis Felicis, comprehendit etiam eum, qui post factam insecutionem receptauerit, aut defensauerit, qui in Cardinalem manus iniecerit, aut insecutus fuerit hostiliter.

Deinde sciendum est, in fine illius censuræ statui, vt si Princeps, Senatus, Consul, vel alius dominus, vel Rector, contra præsumptores prędictos, dictæ constitutionis tenorem nó fecerit obseruari post, quàm res ad eorum notitiam peruenerit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant.

Alia excommunicatio habetur capit. Fundamenta, de electione, in sexto, vbi duo statuuntur à Nicolao Quarto. Vnum est, ne eligatur in Senatorem Romæ, vel in officium eius vrbis vllus Imperator, Rex, Princeps, Dux, Marchio, Comes,

Comes, Baro, aut vllus alius notabilis excellentiæ, aut vllus frater, filius, aut nepos prædictorum.

Alterum est, ne vllus eligatur in prædictam dignitatem vltra annum sine licentia Pontificis, & per literas expressas.

Conceditur tamen in eo capite, vt si quis originem naturalem trahat ex vrbe, aut in ea continuam habeat habitationem, possit assumi in tale regimen.

In hac ergo censura excommunicantur nominantes, assumentes, nominati, & assumpti, obedientes, aut dantes consilium, auxilium, vel fauorem, ipso iure excommunicantur, & excommunicationis absolutio reseruatur Pontifici.

Alia excõmunicatio habetur cap. Clerici, de immunitate Ecclesiæ in sexto, vbi excommunicantur omnes imponentes tributa clericis, & clerici soluentes, & reseruantur Pontifici. Quæ censura, quantum ad secundam partem de clericis soluentibus tributa reuocata est per Clementinam, Quoniam, de immunitate Ecclesiæ sed de imponentibus tributa hæc diximus supra in expositione Bullæ Cœnæ.

DISPVTATIO XXXII.

De excommunicationibus reseruatis Pontifici in Clementinis.

DVBIVM PRIMVM.

De duabus excommunicationibus, ex Clementina 1. & ex Clementina 2. de priuilegijs.

PRima excommunicatio fertur, Clementina 1. de hæreticis contra Inquisitores, vel eorum vicem gerentes, si in suo officio ex odio, vel amore aliquo peccent, & incurritur ipsofacto ab Inquisitoribus. *Episcopi verò priuantur pœna suspensionis per triennium, de qua dicemus infra agentes de suspensione.* Quid verò requiratur, vt Inquisitores incurrant hanc censuram, docuit Pater Vazquez prima secundæ disp. 160. cap. 5. à nu mero 13. & 14. docet enim non incurri, ni si affectus ille aliquo signo exteriori manifestetur, iuxta doctrinam, quam tradit in eadem parte, de potestate Ecclesiæ circa actum internum, vt manifestatum signo externo: de quo diximus supra disputatione 4. Vazquez.

Secunda excommunicatio habetur Clemen. Religiosi. quæ est prima de priuilegiis, & fertur contra religiosos, qui clericis, aut laicis ministrant sacramentum Extremæ vnctionis, vel Eucharistiæ, vel Matrimonium solemnizant, non habita priùs licentia parochialis presbyteri, & talis excommunicatio in eo capite reseruatur Pontifici.

Notandum est primò, solùm ferri contra Religiosos. Vnde si alij clerici id faciant, non incurrent eam censuram: bene tamen aduertit Pater Suarez disputatione 22. sectione 4. comprehendi Sacerdotes religiosos Societatis Iesu, post emissa vota, quæ emittuntur post biennium expletum, quia per illa constituuntur verè, & essentialiter religiosi, vt diximus in materia de voto, iuxta definitionem Gregorij XIII. constitutione, Ascendente Domino.

Difficultas esse potest de nouitiis cuiusuis religionis, si sint Sacerdotes, an comprehendâtur in hac censura: affirmat cum aliis Doctoribus Syluester verbo excommunicatio 7. numero 32. Nauarrus capite 27. numero 102. Probat, quia nouitius sentit commodum Religionis, & gaudet priuilegio Canonis, *Si quis suadente*, vt supra diximus: ergo & debet sentire onus.

Alij verò contrarium sentiunt, quia nouitius verè non est Religiosus ante emissionem voti, expleto nouitiatus tempore, & sequitur Suarez. Suarez.

Sed mihi prior opinio magis probatur ex fine legis, & intentione legislatoris, qui volunt, ne religiosi vsurparent tale aliquod officium: quod non minus habet locum in professis, quàm in nouitiis.

Disputant aliqui, an comprehendat solos religiosos, an etiam religiosas fœminas: & aliqui, quos supra referr P.

Suarez affirmant: alij ab eo relati negāt; & hoc est probabilius, quia illa censura fertur contra eos, qui possunt esse ministri Sacramentorum, neque aliud est credibile.

Item quæri solet, an hæc censura habeat locum in articulo mortis, & affirmat cum aliis Toletus cap. 37. Et certè Extrēmavnctio non datur nisi articulo mortis. Sed difficultas est, an hoc sit intelligendum in articulo necessitatis, id est, quando nō est parochus, qui illa Sacramenta possit ministrare: & affirmat Syluester excom. 7. casu 14.

Mihi verò difficile hoc videtur, quia cū sit pęna, non est extendenda ad casum tantæ necessitatis. Addendum est, religiosos posse excusari ab hac censura, si prædicta faciat ex facultate parochi, vel ex priuilegio, vel ipse religiosus sit parochus: de quo P. Suarez supra num. 6.

DVBIVM II.

De alijs excommunicationibus, quæ habentur in Clementinis.

ALia excommunicatio habetur Clemētina, Si quis suadente, de pęnis, vbi per cussores Episcoporum, cum alijs generibus personarum excōmunicantur. Sed ex dictis circa Bullam Cœnæ potest hoc intelligi.

Alia habetur Clementina Capientes, de pœnis, vbi excommunicātur religiosi, & clerici seculares violatores constitutionum Bonifacij, capite 1. de sepulturis in 6.

Quæ excommunicatio comprehendit clericos seculares, vel religiosos: & religiosus comprehenditur, etiamsi non sit Sacerdos. De nouitio potest dubitari, & P. Suarez supra num 25. dicit philosophādum esse sicut in simili de excommunicatione lata supra contra religiosos ministrantes Extremamvnctionem, vel Eucharistiā, sine licentia parochi, vbi P. Suarez sentit non comprehendi nouitios, vt retuli dubio præcedenti. Ego verò existimo etiam comprehendi nouitios ex intētione legislatoris, & fine legis.

Item dicendum est, comprehendi clericos in quocumque gradu, quia textus absolutè loquitur sine vlla restrictione, vt P. Suarez; & alij obseruarunt. Suarez.

Vlterius notat Toletus, non incurrere hanc censuram clericum vnius Ecclesiæ, qui induceret aliquem ad promittendum electionē sepulturæ in Ecclesia alterius, quia textus expressè loquitur de clerico, qui inducit ad promittēdum electionem sepulturæ in sua Ecclesia. P. Suarez supra num. 26. & alij idem docent.

Item non incurrunt hanc censuram, qui inducunt ad electionem sepulturæ, sed qui inducunt ad obligationem de eligenda sepultura, vt constat apertè, & notauit Anton. 3. parte titulo 24. capite 51. & alij.

Et addit Nauarrus cap. 27. num. 105. necessarium esse, vt obligatio habeat effectum, nempe vt inductus verè voueat, vel iuret, promittat. Angelus verbo excommunicatio 3. 37. & Caietanus cap. 44. de excommunication. & ratio debet esse, quia actus inducendi non censetur moraliter confirmatus, nisi habeat effectum.

Vlteriùs notanda est illa particula, *Temerarios violatores.* Nam Caietanus, & alij obseruant dicere aliquem temerè violare, quando violat sciens, & agnoscens legem, ex quo sequitur iuxta Caietanū, & P. Suarez, nō incurrere hanc censuram, qui ex ignorantia culpabili violaret legem, quia etiamsi aliās ex negligentia peccet, tamen non dicitur temerario ausu operari, qui cum tali ignorantia operatur.

Alia censura continetur Clementina, Grauis, de sententia excom. vbi violantes interdictum aliquo modo ex ibi dictis excōmunicantur, & excommunicatio reseruatur Papæ.

Prima violatio est, quando quis cogit ad diuina officia celebrāda in loco interdicto. Secunda est vocare aliquos, præsertim interdicti, aut excommunicationis censura ligatos, ad diuina officia audienda.

Tertia actio est prohibere, ne exeant excommunicati ab Ecclesia, quādo in ea celebrantur diuina officia.

Et hęc actio solùm est intelligenda de Missa, non de alijs diuinis officijs, vt apertè constat ex textu.

Potest autem esse difficultas, an præcedentes

dentes actiones sint intelligendæ, etiam de Missa, & non de alijs diuinis officijs.

Et affirmant Angelus, Syluest. explicantes hanc censuram.

Sed contrarium docuit Caiet. in sum. cap. 41. de excommunicatione, & P. Suarez supra num. 29. quia in principio textus dicitur Missa, & diuina officia. Ergo cùm in duabus prioribus actionibus sit sermo absolutus, & sine restrictione, non est limitandus ad solam Missam.

Addendum est, ex materia, & contextu constare sermonem esse de Ecclesijs interdictis, vt Doctores notarunt.

Quartò, actio est, quando publicè excommunicatus, & interdictus existens in Ecclesia interdicta, dum mysteria solemnia celebrantur, admonitus à celebrante, vt exeat, non vult exire, iste incurrit nouam censuram Papæ reseruatam.

DISPVTATIO XXXIII.

De aliquibus excommunicationibus reseruatis in Extrauagantibus.

DVBIVM PRIMVM.

De aliquibus excommunicationibus, quæ habentur in extrauagantibus.

IN Hoc dubio dicemus de tribus, quæ inter alias habentur in Extrauagantibus, & de alijs dicemus dubio sequenti.

Vna habetur Extrauaganti prima, de sepulturis, & fertur contra dilacerantes corpora defunctorum, vt consequentur, vel vt decoquantur, vt possint ossa in alia loca deferre.

Quę censura quantum ad personas attinet, omnes comprehendit.

Notandæ tamen sunt aliquæ limitationes, vna est quæ ex textu patet, nempe hoc intelligi, quando corpus est sepultum in Ecclesia, vbi viget Fidei catholicę cultus. Vnde si aliquis moriatur inter infideles, vel hæreticos, non erit contra hanc legem; si prædicta fiant circa corpus illius, vt cum alijs Doctoribus notauit Pater Suarez supra sectione 5. numero 2.

Secunda limitatio est, quando hæc fiunt ob finem deferendi ossa in alium locum, vt notauit Syluest. excommunicatio 7. num. 79. Nauarrus cap. 27. num. 105. & alij. Ex qua doctrina plura dubia inspecie solui possunt. Tandem additur in hac censura reseruatio summo Pontifici.

Tertia excommunicatio habetur in Extrauaganti prima de simonia, & fertur cōtra eos, qui dant, vel recipiunt aliquid ob ingressum religionis, per modum pacti, & conuentionis, de qua disputarunt aliqui interpretes in eam Extrauag. & alij explicantes hanc excommunicationem. Et de materia hac diximus nos in mat eria de simonia, secunda secundę ad quę stio nem 100.

Solùm est aduertendum, non esse simoniam recipere aliquid, non pro ingressu religionis, sed ad sustentationem eius qui ingreditur. In hac verò censura ponitur actio externa simoniaca, quando aliquid datur vt pretium rei spiritualis.

Quarta excommunicatio Papę reseruata habetur in extrauag. Prima, de regularibus, vbi Martinus Quartus prohibet, ne religiosi Mendicantes ad aliam religionē *Excepta Carthusiensi*, absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, fertur cōtra eos, qui illum recipiunt in alia religione, & contra receptum; fertur verò in fauorem Religiorum Mendicantium, & ita extenditur ad religiosos Societatis Iesu, quæ est religio Mendicantium, vt declarauit Pius Quintus anno 1571. Declarauit autem Religiosos Societatis gaudere priuilegiis, & gratiis Fratribus Mendicantibus concessis. Constat etiam ex eadem declaratione Pii Quinti, comprehendi omnes religiosos Societatis, non solùm professos per solemnem professionem, sed eos, qui post biennium tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ emiserunt in eadē Societate, nam per illam sunt verè & propriè religiosi, vt diffinitur in Extrauag. ascendente Domino à Gregorio Decimo tertio, & omnia declarauit Gregorius Decimus tertius, in constitutionibus editis anno 1582. & 1584. in fauorem nostræ Societatis.

Docent etiam authores, & P. Suarez sect.

sect.5 citata nu.17.ex vi huius Extrauag. non prohiberi transitum vnius Mendicantis religionis ad aliam etiam Mendicantem; sed obseruanda sunt alia priuilegia cuiusuis religionis.

Hic disputant aliqui de licentia requisita ad transeundam ab vna religione in alteram, & cuius debeat esse talis, an semper sit necessaria licentia Summi Pontificis, vel sufficiat licentia generalis eius religionis, quam religiosus vult relinquere, & consensus alterius, in quam vult ingredi & obseruanda sunt priuilegia religiosorum, & legi potest P. Suarez sect. citata à num 19. *Suarez.*

DVBIVM II.

De alijs excommunicationibus reseruatis, quæ habentur in Extrauagantibus.

ALia excommunicatio habetur in Extrauaganti secunda de simonia inter communes, vbi excommunicatio fertur reseruata in eos, qui simoniæ vitium committunt. De materia huius diximus in 2. 2. quæstione 100. agentes de pœnis simoniaci criminis; nec potest exactè intelligi, nisi cognoscatur natura huius peccati. Et obseruandum est tantum ferri ob actum simoniæ externum, iuxta doctrinam supra repetitam. Loco etiam citato disputauimus, an saltem iuxta stylū curiæ sit necessarium confirmatam esse simoniā ex vtraque parte.

Alia potest sumi excommunicatio ex Extrauaganti, Et si Dominici, secundo de pœnitentijs, & remissionibus, vbi Sixtus Quartus fert excommunicationem sibi reseruatam contra eos, qui contēdunt absoluere à quibusdam casibus specialiter Papæ reseruatis, quos ibi numerat, quibus generatim adiungit casus Bullæ Cenæ, & vult semper intelligi exceptos in facultatibus generalibus cum clausula etiam generali ad absoluendum à casibus Papæ reseruatis, & votorum commutatione, ideoque excōmunicant eos, qui prætextu talium facultatum à dictis casibus excepti, seu specialibus absoluunt, vel commutant quinque vota Papæ reseruata, nempe religionis, castitatis, peregrinationis Hierosolymitanæ, Compostellę, & Romæ.

Sed obseruandum est, hanc censuram solùm ferri in eos, qui hæc faciunt prætextu facultatis generalis ab ipsomet Sixto Quarto, vt constat ex textu. & obseruāt P. Suarez, & alij, qui rectè docent, hoc tēpore vix posse incurri hanc censuram. De commutatione verò votorum dicendum est in materia de voto, vbi nos diximus: & de absolutione à reseruatis diximus in materia de pœnitentia, & consideranda sunt specialia priuilegia religiosorum. *Suarez.*

Alia excommunicatio habetur in Extrauag. graue nimis de reliquiis, & veneratione sanctorum, vbi Sixtus Quartus profert excōmunicationem sibi reseruatā in eos, qui affirmare præsumpserint eos, qui credunt, aut tenent Virginem ab originali peccato fuisse præseruatam, propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, vel etiam eos qui officium conceptionis celebrāt, vel conciones audiunt illorum, qui eam sine macula peccati conceptam esse prædicant, alicuius peccati reatum incurrere; atque etiam contra eos qui huiusmodi assertiones (quas ibi vt falsas, & erroneas damnat) veras esse, vel libros illas continentes, vt verum legere, tenere, vel habere, postquam de dicta Extrauaganti notitiam habeant, ausu temerario præsumpserint. Item contra eos, qui contrariam opinionem tenentes, hęresim, vel peccatū incurrere mortale, ausi fuerint asserere. Quam extrauagantem confirmat Concilium Tridentinum decreto de peccato originali sessione 5. in fine: & legi potest P. Vazquez tomo 2 in 3 partem disp. 117. cap. 14. Cardinalis Tolet. in sum. lib. 1. cap. 37. in fine: & P. Suarez tomo 2. in 3. partem disp. 3. sect. 6 & tomo 5. in 3. partē disp. 22. sect. 5. à num. 30. & Pius Quintus motu proprio de hac re, qui incipit, Super speculam, edito anno 1577. Idibus Februarii, & est 45. in ordine. *Suarez.*

Oportet verò explicare hanc Extrauagantem Sixti Quarti, in qua primò prohibetur asserere esse heresim opinionem asserentium Beatā Virginem fuisse Cōceptam sine peccato originali. Secundò prohibetur dici esse peccatum mortale hoc concedere. Tertiò prohibetur affirmare esse pecatum mortale festum Conceptionis celebrare. Quartò, affirmare prædictas assertiones veras esse. Quintò, libros continentes talem doctrinam lege-

gere,

gere, vel tenere vt veras.

Circa oppositam verò opinionem asserentium Beatã Virginem fuisse conceptam originali, prohibet ne quis dicat hęresim, vel peccatũ esse ita sentire, quę omnia satis sunt expressa in prædicta Extrauaganti.

Canisius. Peltan. Tolet. Bellarmin. Salmeron. Pereyra. Martinus del Rio. Mariana. Henriquez. Suarez, & alii.

Vt verò omnes agnoscant, quòd sit probabilis sententia asserentiũ Beatam Virginem fuisse conceptam sine peccato originali, placet hoc loco referre Doctores meę Societatis, qui ita senserũt, quos potui cognoscere. Deinde eos, qui ex familia Dominicana ita docuerunt. P. Canisius lib. 1. de Beata Virgine cap. 5. Theodorus Peltanus de peccato originali tractatu 6. Tolet. in Ioannem ad cap. 3 annotatione 9. & in Lucam c. 1. annot. 119. Bellarminus 3. tomo libr. 4. de statu peccati c. 16. Turria. Epistola de hac re, Salmerõ tomo 3. tractatu 12. & latius tomo 13. in cap. 5. ad Rom. disp 49. Pereyra in Danielem cap. 4. Martinus del Rio in Marial in festo Conceptionis, & in 2. cap. Canticorum sect. 4. & lib. 4. disquisit. magicarum, cap. 1. quæst. 3. sect. 4. Henriquez libro 2. cap. 7 litera 5. & de fine hominis cap. 10. litera 6. in Glossa, Franciscus Suárez 3. p. tom. 2. dist. 3. sect. 5. P. Lauat, tom. 4. disp. 2. quæst. 1. par. 2. Barradas tomo 1. lib. 6. cap. 3. Ioannes Ferdinandus, in Thesauro Scripturæ verbo Calameg. num. 5. Lorinus super illud Psalm. 95. *Honor Regis*, Benedictus Iustinianus in cap. 2. primæ ad Timotheum, & secundo ad Hebræos, super illud: *Quid est homo.* Cornelius à Lapide super illud ad Romanos 5. *Per vnum hominem*, Pineda in illud Iob 14. *Quis potest facere mundum.* Magallanes in 1. ad Tim. 2. cap. sect. 4. annot. 6. Salas tomo 2 in primam secundæ in quæst. 81. tractatu 13. disp. 11. sect. 5. á num. 68. Ioannes Bonifacius in vita Deiparæ, Castro in vita B. Virginis cap. 2. num. 5. Iosephus Acosta lib. de Christo reuelato cap. 1. num. 17. Carolus Mangotius in monitis Marianis monitione secunda, Petrus Morales in cap. 1. Matthæi lib. 3. tract. 1. de præseruatione Mariæ, Frãciscus Costerus meditatione prima de Conceptione Virginis, Brunus tractatu 4. meditatione 1. Mesa in mensa spirituali, verbo Maria num. 2. Ioannes Osorius in festo Conceptionis, Ribadeneyra in Flore Sanctorum octauo die Decembris, Arnaia in meditationibus de virtutibus Virginis meditatione secunda, Ludouicus de la Puente tomo 1. 2. par. meditatione 3. par. 4. P. Azor tomo 1. lib. 4. cap. 34. q. 3. P. Vazquez tomo 2. in 3. par. disp 117. ca. 2. Qui testatur nostram Societatem semper, & vbique ita sensisse, & in quinta Cõgregatione generali ita statutum est decreto 55. ex quo desumpta est regula 3. professoris Theologię scholasticę, qua decernitur, vt hanc opinionem sequantur nostri Lectores, & verba illa Cõcilij Tridentini sessione 5. decreto de peccato originali in fine, qua Sancta Synodus declarat non esse suæ intentionis in eo decreto Beatam Virginem comprehendere, addita sunt propter nostrum Patrem Didacum Laynez secundum generalem, qui concilio inter fuit, cum magna gloria, & fructu, vt testãtur viri fidedignissimi, qui doctissimus fuit, & hanc quęstionem semper defendit.

Ex familia Dominicana Sanctus Thomas 1. dist. 44. quæst. 1. art. 2. ad 3. expresse. S. Dominicus tractatu de Sacramento contra Albigenses, & pro hac opinione referũt Sanctum Dominicum graues Doctores, & ita refert Antonius Cucarus Episcopus Acernensis super cap. 13. Sapiẽtiæ lect. 160. Viguerius in institutionibus Theologicis oper. 8. §. 6. Chorenes opusculo de hac re. Heruæus in caput 5. 2. ad Corinth. circa illud, In quo omnes mortui sunt: habetur in comm. quę circumferuntur nomine Anselmi, vt notat Bellarminus lib. de scriptoribus Eccles. in Anselm. pag. 166. obseruat. 2. Albertus Magnus citatus á Canisio lib. 5. de Beata Virgine cap. 27. Vincentius Veluacensis in speculo Historiali lib. 7 cap. 121. Hugo Cardinalis in Psal. 45. Taulerus serm. de Purificatione, & Guillermus Papinensis lib. de inuen. Sanctorum sermone de Conceptione. Magister frater Santius sermone de conceptione, refertur frater Luisius de Granada, frater Ioãnes de la Peña Theologiæ professor Salmenticæ, Beatus Ludouicus Beltran, vt refert frater Vincentius Iustinian. in libro additionum ad vitam Beati Ludouici Beltran, capite vltimo, & multi viri docti hoc tempore ex eadem familia Dominicana.

Notandum est, constitutionem hanc Sixti Quarti loqui de ea quæstione, an B.

Virgo

Virgo peccatum originale contraxerit; vel non. Quod primò patet ex textu. Secundò ità sentiunt Doctores, qui docent esse doctrinam censura dignam asserere Beatam Virginem non fuisse obnoxiam peccato. Supponunt enim non esse prohibitam hanc censuram in sua constitutione: & idem est sensus Concilij Tridentini, sessione 5. decreto de peccato originali approbantis hanc constitutionem Sixti Quarti.

Alia excommunicatio Extrauag. 1. de sententia excom. lata à Bonifacio Octauõ, & postea innouata est, & aucta à Gregor. Decimotertio contra eos, qui in Curia Romana existentes in negotijs tam gratię, quàm iustitiæ aliquid dant pro cõsequutione rei, quam consequi voluntcir ca quam constitutionem fecit opus integrum Nauarrus, quod habetur 2. tomo suorum operum.

Alia habetur in Extrauaganti, *Saluator*, de præbendis, inter communes; sed hanc omittit P. Suarez dicens eam solũ pertinere ad Ecclesiam Tolosanam.

Hic poterat disputari de alijs excommunicationibus reseruatis Summo Pontifici, quæ habentur vel in Conciliis, vel in propriis motibus summorum Pontificũ, eorumve constitutionibus: sed quàm multæ sunt, & de nouo feruntur, & ideo solũ aduertam aliquas earum non esse in vsu, aliquas pertinere ad peculiares materias, & in eis explicari à Doctoribus. & obseruanda sunt principia generatim tradita ad quamlibet earum explicandam, & aliquas explicat P. Suarez disp. 22. sect. 6. speciatim autem de excommunicationibus latis in Concilio Tridentino dicemus infra.

DISPVTATIO XXXIIII.

De excommunicationibus quæ habentur in iure, & non reseruantur Pontifici.

DVBIVM PRIMVM.

Quæ excommunicationes non reseruatæ continentur in decreto.

VNam excommunicationem affert Nauarrus cap. 17. num. 114. & alij ex capite, Administratores 23. quæst. 5. vbi Ioãnes VIII. Iudices seculares admonitos ab Episcopis, vt seruent iustitiam, si non se correxerint post trinã admonitionem, ipso iure excõmunicationem incurrãt, & non absoluãtur vsq; ad satisfactionem, quam Tolet. cap. 38. dicit fere non esse in exercicio.

Glossa tamen super illud caput vult eam excõmunicationem incurrere principem secularem, qui non facit iustitiã clerico. Sed vt vidit P. Suarez disp. 23. sect. 2. ibi de hoc non fit mentio, neq; facere iustitiam clerico, pertinet propriè ad iudicem secularem. *Suarez*

Causa ergo, ob quam imponitur hæc censura, est negligentia circa defensionẽ Ecclesiarum, vel quantum ad personas, vel quantum ad bona: debet autem præcedere triplex monitio, vt expresse dicitur in textu: & ita requiritur contumacia.

Ex quo sequitur, quòd si iudex secularis non ommittat eam deffensionem ex negligẽtia, sed ex probabili iudicio, quòd illa defensio non pertineat ad suum munus, non incurret hanc censuram, quia talis iudicium excusat à culpa, & ita etiam à censura; sed considerandũ valde est, an iudex procedat in hoc fine sufficienti, & idoneo fundamento.

Difficultas verò est, an data causa statim incurratur, vel necessarium sit ferri à Prælato.

Glossa ibi, & Turrecrem. dicunt ferendam esse à Prælato.

Sed contrarium est probabilius propter verba textus, quæ satis sunt manifesta, vt vidit P. Suarez, quamuis de vsu dubiter.

Quærunt aliqui, an hęc censura habeat locum circa actiones, ad quas prędicti iudices non tenentur ex officio, sed ex charitate, & P. Suarez respondet hanc censuram latam solùm esse propter actionẽ debitam ex iustitia, & negligentiam in illa: licèt aliàs ob peccatum contra charitatem possit etiam imponi à Prælato iuxta doctrinam sæpe repetitam de peccato requisito ad hanc pœnam imponendam. Verùm, vt dixit Toletus, hęc vix videtur esse in vsu.

Secunda excommunicatio sumitur ex capit. Nulli fas 19. dist. vbi Greg. IIII. excommunicationem ipso facto ferre videtur contra inobedientes Romanæ Eccle

sia.

sit, qui preceptis Apostolicis contraire præsumpserint, verùm si in eo capit. fertur excommunicatio, illud est intelligendum de his, qui per heresim, vel schisma à doctrina, vel obedientia Ecclesiæ Romanæ recedunt. In quo sensu hæc censura iam est exposita in explicatione Bullæ Cœnæ.

DVBIVM II.

Quæ excommunicationes non reseruatæ, quæ in libris Decretalium continentur.

DVbium est de libris Decretaliû præter Sextum, de quo infra dicemus.

Notandum est autem, aliquas esse excommunicationes in his libris, quę licèt in illis non sint reseruatę, tamen vel in Bulla Cœnæ, vel in constitutionibus, aut propriis motibus reseruatæ sunt: quod potest ex parte intelligi ex dictis circa Bullã Cœnæ, & in materiis specialibus poterit hoc obseruari, & legi potest Pater Suarez disputatio. 23. sectione 3. Nauarrus cap. 27. num. 117. Tolet. in summa lib. 1. cap. 38. Suarez. Toletus.

Habetur quędam excommunicatio capite 1. de schismaticis, vbi prohibentur quædam actiones schismaticorum, & ex vi illius textus talis censura non est reseruata, neq; ex vi Bullæ Cœnæ, si nõ procedat in schisma, vt docuit Caiet. excommunicatio, Armilla verbo excommunicatio num. 92. P. Suarez supra num. 4.

Tres autem sunt actiones, quæ ibi irritantur, nempe ordinationes factę à schismaticis, vel ab ordinatis ab eis: quod intelligendum est, quia prohibetur executio ordinis: nam quantum ad substantiam Sacramenti irritari non possunt.

Secũda actio est collatio beneficii, vel dignitatis Ecclesiasticæ: & in hac solùm designantur schismatici, non verò ordinati ab eis: vnde ex vi huius clausulæ non videtur irrita collatio ab eis facta, licèt ex alia parte possit esse nulla.

Tertia actio est alienatio rerum Ecclesiasticarum, quæ facta ab schismatico irrita est, & nulla: de facta verò ab ordinato à schismatico nihil ibi decernitur.

Istæ ergo actiones sunt materia huius censurę, & proxima materia est contraire dispositioni huius textus, quod duobus modis fieri potest, facto, & verbo: & de facto facilè intelligitur, posse aliquẽ eam censuram incurrere, si re ipsa faciat aliquid sibi prohibitum. Circa verba autem notant aliqui, duobus modis fieri posse, altero, quasi practicè mouendo ad impediendum executionem eius dispositionis: & qui sic operaretur, incurreret hanc censuram: altero solùm speculatiuè aliquid docendo contra dispositionem illius textus, & istum dicunt non incurrere talem censuram per solam eam actionem. Ita P. Suarez sect. 3. num. 5. Suarez.

Contrarium autem docet Armilla: putat enim incurrere hanc censuram, qui cõtrarium sentiunt. In quo mihi non probatur, quia oppositum sentire, non est contraire dispositioni illius capitis.

Deinde assignant Doctores duas exceptiones. Vna est, nisi crimẽ collationis dignitatis Ecclesiæ sit occultum, tunc enim putant, facta ab illo esse valida propter communem gubernationem externam.

Secunda exceptio est de alienatione, nisi sit in euidentem Ecclesiæ vtilitatem: tunc enim valet, vt docet ibi Glossa, & Syluester excommunicatio 9. num. 29. casu 8. & sequitur P. Suarez supra. Suarez.

Restat explicandum, an schismaticus hęc conferens, & ab illo recipiens, sint excommunicati.

In quo sunt contrarię sententiæ: aliqui absolutè docent, vtrumque esse excommunicatum, quia volunt contraire dispositioni: alij verò docent non incurrere eã censuram, nisi velit ordinatus exercere suum ordinem.

Sed meritò P. Suarez supra num. 7. docuit priorem sententiam esse veriorem, & mihi ita videtur. Suarez.

Alia excommunicatio habetur capite Super specula, & capit. Non magnopere, ne clerici vel monachi, vbi excommunicantur religiosi, qui de claustro exeunt ad audiendas leges, vel physicam: quæ excommunicatio prius lata est ab Alexan. III. & postea confirmata, & aucta ab Honorio: & Alexander solùm tulit illam contra religiosos, Honorius extendit illam ad quosdam Presbyteros seculares, de qua extensione infra dicemus.

In litera Alex. habentur illa verba, Vt nulli

nulli post factum votum religionis, & post professionem factam in aliquo loco.

Circa quæ verba dubitandum est, an sint disiunctiuè sumenda, vel copulatiuè: & Panormitanus ibi indicat disiunctiuè esse sumenda.

Suarez. Contrarium autem docet P. Suarez supra numero nono, & per votum intelligit illud, quo constituitur quis religiosus iuxta communem sensum, ita vt per priora verba intelligatur professio, sicut per posteriora; ita tamen vt significetur professio tacita per vnum illorum verborum, & expressum per alterũ: ex quo deducitur non comprehendi nouitios.

Circa causam huius censuræ notandum est primò requiri, vt religiosi Leges, vel Physicam audiant, vbi per Physicam omnes intelligunt Medicinã: & constat ex illis verbis Alex. ad physicales confectiones. Per leges intelligunt Doctores Iuris ciuilis prudentiã, Secunda conditio, vt ad hoc exeant religiosi de suis claustris, nam si intra claustra eas res addiscant, non incurrent hanc censuram.

Tertia conditio est necessaria ad incurrendam hanc censuram, vt intra duos mẽses ad claustra nõ redeant: nam si ante hoc tẽpus redeant, non incurrent hanc censuram, Legatur Tolet. cap. 38. *Teletus.*

Dubitant verò authores, quid sit exire extra claustrum, id est, an sit necessarium ita exire, vt habitent extra monasterium, vel sufficiat exire ad audiendas prędictas scientias, etiamsi statim redeant ad monasterium, habitentq; in eo. Et licèt sint diuersæ opiniones, tamen mihi placet ad incurrendam hanc censuram necessariũ esse habitare extra monasterium: quod colligitur ex illis verbis, quibus dicitur, Nisi intra duos menses ad claustrum redeant: quæ manifestè significant habitationem extra claustrum: & hic est cõmunis sensus Doctorũ, quamuis aliqui indicent contrarium.

Rursus dubitant aliqui, an incurrat religiosus hanc censuram ex eo solùm, quòd hac intentione exeat de claustro, licèt *Suarez.* postea non audiat eas facultates: & P. Suarez veriùs putat propter talem exitũ incurrere hanc censuram, quia propter illam solùm videtur imponi: excommunicantur enim exeuntes de claustro ad audiendas eas facultates, non autem audientes illas.

Sed mihi probabilius est oppositum, quia non est actus completus solùm exitus, sed exitus cum auditione earum facultatũ: & quòd in legibus pœnalibus nõ est faciẽda ampliatio, sed restrictio. Quam sententiam videtur sequi Toletus supra, & pro ea citat Panormitanum cap. Super specula num. 9.

Addendum est, etiam nunc esse necessarium duorum mensium spatium ad incurrendam hanc censuram, & computandos esse à die quo incipiunt eas facultates audire, vt cum alijs docet P. Suarez num. 16. licèt in hoc etiam sint contrariæ opiniones: legatur Syluester excommunicatio. Angelus excommunicatio 7. Deinde quęrunt Doctores, an comprehendat hæc cẽsura eos, qui exeunt ad docendum has facultates quæstionis causa: sumitur ex eo quod capite, Non magnopere, Pontifex vtitur verbo legẽdi. Honorius autem refert constitutionem illam factam esse cõtra exeuntes ad audiendum: & nonnulli affirmant comprehendere hanc censuram exeuntes ad docendum, quia verbũ, Legere, potiùs ad docẽtes pertinet, licèt audientes comprehendãtur, propter constitutionẽ Honorij. Ita Syluest. supra num. 26. Hostiensis, & alij.

Contrariam sententiam docuerunt Innocentius, & Panormitanus in citatum caput, quos sequitur Nauarrus capite 27. num. 116. & probari potest, quia Honorius capite, Super specula, explicuit quomodo sit sumendum verbum Legendi, in cõstitutione Alex. vt significet idem quod discere: nam dixit Alex. prohibuisse exire ad audiendas; cùm tamen in constitut. Alex. sit ad legendas, & hoc sequuntur multi hoc tempore. Et explicari potest, quia legere est propriè colligere: quod fieri potest per auditum, & ita est discere.

Restat dicendum de extensione, quam addidit Honorius dicto cap. Super specula, voluit enim ligare hac censura omnes Presbyteros; & ex aliis clericis Archidiaconos plebanos, Diaconos, cantores, & alios personatus habentes.

Circa plebanos oportet aduertere, Bonifaciũ VIII. c. 1. Ne clerici, vel monachi, in sexto declarasse non comprehendi hac lege, habentes Ecclesias parochiales, nisi tales Ecclesiæ sint plebanæ capellas habentes, in quibus instituuntur clerici perpetui,

petui, alia notant Doctores, quę persæpe sunt satis manifesta.

Alia excommunicatio habetur capite, Clericis, ne clerici, vel monachi, vbi Alex.III. iubet, ne quis Sacerdos habeat officium Vicecomitis, aut præpositi secularis: & subditur, Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, & commonitus emendari noluerit, excommunicationi subiaceat.

Notandum autem est, ferri contra Sacerdotes, vt constat ex secunda parte capitis. Vnde licèt Syluester, excommunicatio 9. nu. 28. cum Hostiensi nomine Sacerdotis intelligat omnem clericum, sine causa tamen.

Item non placet quod Nauar. cum Panormitano solum excipit clericos in minoribus constitutos.

Sed de solis Sacerdotibus intellexit meritò Carthus. capit. 76. & P. Suarez supra num. 11. Suarez.

Deinde causa, ob quam imponitur illa censura, est vsus gubernationis secularis habentis iurisdictionem tẽporalem annexã, quando Sacerdos illud exercet, vt minister alicuius Principis.

Vnde infert Caietanus, Sacerdotes qui in Curijs Regũ sunt Præsidentes, vel Gubernatores tẽporales, hanc censuram incurrunt, si faciant sine licentia Pontificis, quod tamen non facient.

Difficultas verò est, an hęc censura ipso facto feratur: & affirmat Glossa, & ibi multi.

Sed contrarium sentit Syluester excõmunicatio 9. numero 28. quia solùm dicitur, quod subiaceat excommunicationi.

Sed prior sententia est tenenda, & sequitur P. Suarez supra in fine disputationis: leges enim iuxta communem sensum sunt accipiendæ.

Toletus. Circa alias legatur Toletus capite, illo 38.

DISPVTATIO XXXV.

De excõmunicationibus non reseruatis, quæ habentur in Sexto.

IN Hac disputatione dicendum nobis est de secundis excommunicationibus,

DVBIVM PRIMVM.

De septem prioribus excommunicationibus non reseruatis.

IN Hoc dubio dicemus speciatim de septem excommunicationibus, quę habentur in Sexto, & nõ reseruantur. Vna est capite, Vbi periculum, de electione, in sexto, vbi fertur excommunicatio contra eos, qui ad Cardinales in conclaui inclusos ad eligendum summum Pontificem scripturam miserunt, vel nuncium, vel cum aliquo eorum secretè fuerint loquuti: quæ verba manifesta sunt: legatur Nauarrus 121. Caiet. cap. 55. P. Suarez supra sect. 4.

Secunda habetur in eodem capite, excommunicantur domini, rectores, & officiales eius ciuitatis, in qua Pontifex inuenitur, si non obseruẽt quæ illic statuuntur; de qua fuse Caietanus cap. 54. quæ autem statuũtur, legi possunt in eo capite, quia nostro instituto præsertim nõ deseruiunt, propter quod P. Suarez, & Tolet. cap. 39. solum illam referunt. Suarez.

Tertia habetur cap. Sciant cuncti, de electione in sexto, & fertur cõtra eos, qui imponunt grauamen personis Ecclesiasticis, quia eligere noluerunt eos, pro quo rogabatur, & generaliter explicatur aliis verbis: *Vel qui inuste persequuntur*, in speciali autem non explicatur.

Vnde si quis non faciat rem iniustam, etiãsi ex illa sequatur aliquod detrimentum, vel defectus vtilitatis illis personis, non incurreretur censura: etiam si quis prauo fine interno illud faciat, quia hęc censura non imponitur ob solũ prauum finem, sed propter actionem externam iniustam.

Dubitant aliqui, an in ea censura comprehendatur præsentatio sicut electio: & Nauarrus 121. & alij meritò docẽt cõprehendi, si præsentatio pertineat ad personam Ecclesiasticam ratione titnli Ecclesiastici: quod sequitur P. Suarez supra numero 2.

Quarta habetur capite, Generali, de electione in sexto, & fertur contra eos, qui in Ecclesijs, aut piis locis titulum defensionis, aut similem de nouo vsurpantes iura ad alia loca pertinentia, aut eorum bona, quando talia loca vacant, occupare præ-

præsumunt. In qua censura notandum est, verbum illud, *Noui vsurpando*, duo enim significat: vnum est, vt de nouo fiat: alterum, vt fiat sine iusto titulo, vel legitima concesione.

Secundò est considerandum ferri censuram contra eos, qui ea bona vsurpant tẽpore quo vacant, non quomodocumque, sed quando conantur vsurpare iura alia ad talia bona. Ex quibus plura alia in specie solui possunt.

Tandem in ea censura fit extensio ad clericos, monachos, vel alias personas, procurantes tale delictum fieri.

Quinta habetur, capite, In decretalibus, de electione in sexto, & fertur contra Prelatos, vel alios laicos, qui vocantur, vt intersint electionibus monialium, si aliquid fiat, ex quo possit oriri, vel nutriri discordia inter ipsas moniales. Est autem necessarium, vt persona procedat, vt superior, vel missa à superiori, vt intersit; secus si alio modo concederet. Legatur Suare. Caiet. capit. 80. & P. Suarez sectione illa 4. à num. 6.

Sciendum autem est, Angelum excommunicatio 7. casu 16. Syluest. excommunicatio 9 num. 42. dixisse hanc constitutionem esse intelligendam non solùm de monialibus, quæ verè sunt religiosæ, sed de aliis feminarum cõgregationibus. Sed vt vidit P. Suarez supra, hoc absque vllo asseritur fundamento.

Sexta excommunicatio sumitur ex capite vltimo, de officio delegati in sexto, vbi suspenduntur conseruatores, qui tam de aliis, quàm de manifestis iniuriis, & violentiis se intermiserunt ad iudicandum scienter: pars verò, quæ hoc procurauit, excommunicatur, ita vt absoluenda non sit, donec alteri parti læsę satisfecerint. Et quantum ad excommunicationem attinet, notandum est ex communi sensu Doctorum non incurri ex sola procuratione, nisi effectus reipsa sequatur, vt ex aliis similibus constare potest.

Septima habetur capite vnico, qui per vim, aut metum extorquent, de quo textu legi potest P. Suarez disputatione 7. de Suarez. censuris sect. 3. & disputatione 22. sect. 4. art. 11.

Est verò difficultas, de quo metu sit intelligenda. Et Caiet. putat sufficere quẽcumque: & sequitur Nauarrus capite 27. numero 125. pro foro conscientiæ.

Sed in primis necessarius est metus grauis, vt Glossa ibi, & P. Suarez supra requirit: grauis enim culpa necessaria est. An verò absolutio sit nulla, colligendum est ex principiis communibus de voluntario. Suarez.

Ite m arbitror, eandem rationem seruandam esse in foro interno conscientię, & in foro externo, si veritas in vtroque, constet.

Legatur Toletus cap. 39. excommuni- Toletus. catione 7. qui facilia quædam notat.

DVBIVM II.

De alijs septem sequentibus excommunicationibus in sexto.

VNa habetur cap. 2. de iudiciis in sexto vbi statuitur, ne fœminæ cogatur personaliter venire in iudicium ad ferendum testimoniũ, & decernitur, vt per tabellarium, vel aliam personam petatur ab eis testimonium; vel quòd iudex ipse personaliter accedat, si casus id postulet. Ita tamen vt casus non fingatur; aliàs qui finxit, incurrat excommunicationem ipso facto. Circa quam notandum est primò, non sufficere, quòd fingatur casus, nisi iudex reuera personaliter accedat ratione fictionis; aliàs non est completus actus, propter quem imponitur excommunicatio. Facilia alia notat P. Suarez supra artic. 13. & certum est in causis sanctæ Inquisitionis vocari fœminas ob magnitudinem rerum.

Alia excommunicatio habetur cap. 2. de rebus Eccles. non alienan. vbi excommunicantur compellentes prælatos, vt res Ecclesiæ laicis submittant, & contra eos, qui res sic habitas non dimiserint.

Fertur etiam excommunicatio in eodem capite contra eos, qui quando celebratur contractus licitè harum rerum aliquid vsurpant iniustè. Legantur P. Suarez Suarez. & Tolet. supra. Toletus.

Alia sumitur ex capite vnico, de religiosis domibus in 6. vbi fertur excommunicatio contra quosdam religiosos in tribus casibus. Prima est, si aliquem ad suam professionem de nouo admittat. Secundus, si nouam domum, vel locum acquirunt. Tertius, si habita alienent sine licentia Sedis Apostolicæ. Sed hæc excommuni-

municatio iam fere non habet locum, nam multæ Religiones habent facultatem ad omnia prædicta. Addunt multi authores, in eo textu excommunicari eos, qui instituunt nouum ordinem. Sed merito P. Suarez supra num. 20. docet se non videre in eo textu talem censuram expressam, qui hoc fusiùs explicat.

Alia excommunicatio sumitur, ex capite, Quamquam de censibus in sexto, vbi excommunicantur qui imponunt tributa personis Ecclesiasticis. Circa hanc censuram solùm est aduertendum, quòd licèt ibi non reseruatur, tamen in Bulla Cœnæ reseruata est, de quo legi potest P. Suarez supra à num. 22. & Syluest. excommunicatio 9. num. 24. & Tolet. capit. illo 39. excommunicatio 11.

Alia habetur capite, Quoniam, de immunitate Ecclesiarum in sexto, & includitur in 13. & 14. Bullæ Cœnæ.

Alia sumitur ex capite vltimo de immunitate Ecclesiarum, & fertur contra temporales dominos, qui suis subditis præcipiunt, ne personis Ecclesiasticis officia cõmunia exhibeant, verbi gratia, ne coquant panem, quæ constare potest ex clausula 15. Bullæ Cœnæ.

Alia sumitur ex capite 2. ne clerici, vel monachi, vbi excommunicantur religiosi propter vnam ex dictis causis, quæ est si dimiserit habitum religionis in scholis, vel alibi. Secunda, si accesserint ad quælibet studia literarum sine licentia sui Prælati cum consilio sui Conuentus, vel maioris partis eius, & subiungitur, *Si quis autē horum violator* temerarius extiterit, excommunicationem incurrat ipso facto.

Circa quæ verba primò notandum est ex communi sensu Doctorum, illā particulam, *Horum violator*, non sic esse intelligendam, quasi vtrumque sit necessarium ad incurrendam hanc censuram, sufficit enim alterum.

Deinde sciendum est, dimittere habitum non esse quamcumque spoliationem, sed talem, quæ secundum communem modum loquendi significet mutationem voluntariam habitus debiti status, & hæc esse debet temeraria.

Assignat verò P. Suarez tres regulas pro hac materia. Vna est, quoties spoliatio habitus non est dimissio illius, sensu explicato, non incurritur excommunicatio hæc, requiritur enim ad illam habitus dimissio.

Secunda regula, quoties dimissio fit ex rationabili causa vera, vel probabili, non incurritur hæc censura, quia hæc non est temeraria habitus depositio, neque lex hanc vult prohibere.

Tertia, quoties fit hæc dimissio sine causa vera, vel saltem probabili, incurritur hęc censura: in qua sermo est de dimissione habitus temeraria: talis autem debet esse hęc dimissio, secundum circunstantias, vt possit esse materia grauis prohibitionis: aliàs violatio non erit mortalis, neque incurretur censura. Ex quibus regulis possunt plura dubia in specie resolui, & legi potest Pater Suarez supra. Legatur Concilium Tridentinum sessione 25. capite 19. Suarez.

Circa alteram partem de accessu ad studium literarum, sine licentia legitima, intelligunt Doctores, quando habitandum est extra Monasterium, quia quando quis habitat in eodem Monasterio, non est necessarium ex vsu, quòd detur licentia cum prędicta solemnitate, vt docuit Caiet. capite 61.

Difficultas autem est, an quando est necessarium capitulum ad eam licentiam, sit necessarius consensus capituli, vel consilium. Nauarrus cap. 27. num. 133. putat esse necessarium illud primum, quia docet esse necessariam licentiam capituli, vel consilium. Caiet. dicit esse necessarium consilium, & aliud non explicat, & P. Suarez putat sufficere cõsilium, quia ius non exprimit necessarium consensum.

Sed mihi prior opinio placet, quia illa verba, Cõsilio conuentus, vel maioris partis, inducūt consensum, aliàs vix requiretur maior pars. Hæc enim non solet requiri, nisi vbi personæ suffragium & consensus acquiritur.

Sed quæri potest, an incurrat superior hanc censuram, si ipse sine consilio capituli egrediatur ad studium modo prædicto.

Et multi negant, Antonin. 3. parte capite 24 numero 53. Angelus excommunicatio 7. casu 27. Nauarrus capite 27. numero 133. qui plures Canonistas refert.

Sed oppositum docuit Syluester excommunicatio 9. numero 55. quia etiam iste superior Monasterij habet superio-

periorem: ergo necessaria erit licentia illius.

Verùm prior sententia mihi placet, quia textus de subditis immediato, & locali superiori videtur manifestè loqui.

Deinde extenditur hæc censura ad Magistros, seu Doctores Legum, vel Medicinæ, qui præsumunt in suis scholis retinere religiosos, qui habitu dimisso volunt discere eas facultates: quæ res est facilis.

DVBIVM III.

De aliis sex excommunicationibus non reseruatis, quæ habentur in sexto.

VNa excommunicatio sumitur ex capite 2. de hæreticis in 6. vbi excommunicantur, qui scienter præsumunt tradere Ecclesiasticę sepulturæ corpora hæreticorum: de qua in Bulla Cœnæ, vbi istæ personę explicatę sunt.

Alia habetur capite vt Inquisitionis, de hæreticis in 6. vbi fertur excommunicatio in fauorem officij Sanctæ Inquisitionis: textus est clarus, & legi potest P. Suarez sectione illa 4. à num. 43. Suarez.

Alia sumitur ex cap. 1. de homicidio in 6. vbi excommunicatur omnis, qui aliquẽ Christianum per assasinum interfici mandauerit, siue sequatur mors, siue non sequatur.

Deinde fit extensio censurę ad eum, qui receperit, vel defenderit.

Notandum est, assasinos dici in Italia latrones viarum, qui ad deprędandum homines interficiunt; alio modo strictè sunt infideles quidam vsum habentes assumendi hoc officium interficiendi alios ex præcepto domini, & hos esse in Syria, refert Volaterranus lib. 11 Historiæ, capite, De sectis: & multa de his aggerat Couarrub. lib. 2. variarum cap 9. & 10. vbi hunc textum exponit de his, & sequitur Nauarrus num. 136. quòd si de his intelligitur censura hæc, vix iam habet locum inter fideles, qui inter hos non sunt infideles isti.

Alia sumitur ex capite 1. de vsuris in sexto, vbi prohibetur, ne vsurariis alienigenis quisquam locet domum, vel sub alio quouis titulo concedat: & contrarium facientes, si sint personæ Ecclesiasticę Episcopis inferiores, excommunicantur; laici verò non excommunicantur ipso facto; sed per censuras Ecclesiasticas cõpellendi damnantur à suis superioribus; Episcopi verò suspenduntur.

Alia sumitur ex capite, Vnico, de iniuriis in 6. vbi prohibetur ne contra personas Ecclesiasticas repressalia cõcedantur, & excommunicantur seculares, qui contrarium fecerint, si intra mensem non reuocauerint.

De repressaliis dixi in materia de bello 2. 2. ad quęstionem 40. Cõceduntur verò, quando conceditur facultas recompensandi damnũ ab aliquo illato, ita vt recõpensatio possit fieri ex bonis alterius personę illius gentis, verbi gratia, quia Turcę inferũt damnum aliquibus Christianis, habent omnes Catholici facultatem spoliandi omnẽ Turcam: & iste modus recõpensationis prohibetur inter Catholicos respectu personæ Ecclesiasticæ. Vnde prohibetur concessio talis facultatis, & executio illius, vt notant Doctores. Legatur Nauarrus capite 27. num. 136. fertur autem prædicta excommunicatio non simpliciter, sed sub conditione, nisi intra mensem.

Alia censura sumitur ex capite, Felicis, de pęnis in sexto, quæ fertur contra eum, qui personam Cardinalis hostiliter audet inuadere: de qua diximus in Bullæ Cœnæ explicatione. Circa has omnes legatur Cardinalis Tolet. cap. 36. citato.

DISPVTATIO XXXVI.

De excommunicationibus non reseruatis, quæ habentur in Clemen. & Extrauag.

DVBIVM PRIMVM.

De sex prioribus excommunicationibus, quæ habentur in Clementinis, & non reseruantur.

VNa habetur Clementina vnica de sequestratione, vbi statuitur, vt in causis bene-

beneficialibus, si vna definitiua sententia apud Sedem Apostolicam proferatur cōtra professorem, qui prius per triennium pacificè non possedit fructus beneficij, se questrantur per Ordinarium, vt ei, qui tādem vicerit, seruentur; & deinde subiungitur excommunicatio, ipso facto in eum, qui præsumpserit huiusmodi sequestrationem impedire, aut bona fide comparata sequestrare. Ait autem Caietanus cap. 43. hunc casum esse de raro contingentibus, & ideo nihil dicit, sed solùm notat circunstantias literæ esse expendendas. Legatur Tolet. cap. 4. in principio, vbi notat aliqua per sese manifesta cōsideranti verba huius censuræ.

Altera sumitur ex Clementina 1. de sepulturis, & continet quatuor casus pertinentes ad sacrilegium intra Ecclesiasticā sepulturā cōmissum. Primus est cōtra eos, qui tēpore interdicti corpora mortuorū sepeliunt in loco sacro in casibus non cōcessis à iure.

Secundus contra eos, qui publicè excōmunicatis similem sepulturam præbent, Tertius de publicè interdictis, Quartus de publicè vsurariis. Legatur Toletus supra excōmunicatione secunda, P. Suarez disp. 22. de censuris sect. vltima.

Alia sumitur ex Clemen. 1. de decimis, quę specialiter fertur contra religiosos accipientes decimas, vel earum solutionem impediētes in casibus ibi prohibitis; quam bene explicat Tolet. supra excom. 3.

Quarta sumitur ex Clement. ne in agro, de statu monachorum; & duas continet §. quia verò.

Prima est contra religiosos, qui iugo obedientiæ regularis abiecto, per curias discurrunt, pensiones seu alimenta à Prælatis extorquendo per vim, vel grauem metum; & generaliter prohibetur, ne monachi, vel clerici Seculares administrationem aliquam non habentes ad curias Principum sine speciali licentia suorum Prælatorum accedere præsumant: & subditur, quòd si à suis Prælatis, vel monasteriis damnum aliquod inferendum ad prędictas curias se conferre præsumpserint, excommunicationis sententiam eos incurrere volumus ipso facto. Quę excommunicatio non infertur in omnes religiosos, sed in eos qui propriè monachi vocantur; imò si textus rectè legatur, ferè mo solùm est de monachis nigris. Legatur P. Suarez supra sect. 5. num. 4. Verba textus clara sunt: de hoc legatur P. Vazquez 1. 2. disp. 160. num. 12. *Suarez.* *Vazquez.*

Altera censura, seu causa censurę continetur, illis verbis: Præfatæ quoque sententiæ monachos intra septa monasteriorum sine licentia Abbatum suorū arma tenentes decernimus subiacere. Legatur Tolet. supra excommunicatione 4.

Alia habetur Clemētina, Attendentes, de statu monachorum, contra impedientes visitatores monialium in suo munere, & dicitur: Si quis verò visitatores in præmissis, vel aliquo prę missorum impedire præsumpserit, nisi monitus resipiscat, ipso facto excommunicationis sentētiam se nouerit incursurū. Ex quibus verbis constat, hanc excommunicationem quantum ad personas esse generalem; actionem verò, ob quam imponitur, esse, nam generatim, nēpe impedire visitatores esse clara.

Alia sumitur ex Clement. 1. de religiosis domibus, vbi contra quasdam fœminas, quæ Beguinæ dicebantur, excommunicatio fertur, si talem statum profiteātur, vel in eo perseuerando, vel in eo de nouo assumendo: extenditur ad religiosos, qui illas fęminas in hoc negotio præbent consiliū, auxilium, vel fauorem: circa quam nihil est notandum, eo quòd iam non sit materia huius censuræ.

DVBIVM II.

De alijs quatuor excommunicationibus non reseruatis, quæ habentur in Clementinis, & de aliquibus quæ habentur in Extrauagantibus.

VNa sumitur ex Clementina vnica de consanguinitate & affinitate, vbi propter matrimoniū sacrilegè contractū in varias personas fertur excōmunicatio.

Prima causa huius censuræ est contrahere matrimoniū cum consanguinea in gradibus à iure prohibiti; tertia cū monialibus contrahere matrimonium; & cōprehendit vtrumque contrahentem.

Quarta causa, si religiosus contrahat matrimonium.

Quinta, si clericus constitutus in sacris contrahit matrimonium.

No.

Notandum est, ex textu colligi hanc pœnam imponi his, qui scienter contrahunt, & ideo aliqui disponunt circa hanc censuram, quomodo ignorantia iuris, vel facti excuset ab hac censura. Sed obseruanda est generalis doctrina tradita supra disputat. 5.

Deinde aliqui dubitant, an in tribus primis casibus, si vnus sciat impedimentum, alter verò ignoret, contrahitur censura. Et affirmat Glossa ibi communiter recepta, contrahere illam illum, qui scienter contrahit, quia verè sunt contra legem: neq; est necessarium, vt alter contrahat scienter, hoc enim nõ requiritur in textu.

Item quæritur, an si quis contrahat cũ ea, quam putabat consanguineam, & tamen reuera non est, incurrat hanc censuram. Sed ex dictis disp. 5. constat istum non contrahere censuram.

Addendum est hanc censuram imponi contrahentibus matrimonium per verba de præsenti, non contrahentibus sponsalitium contractum per verba de futuro. Et ex his soluta manent nonnulla, quæ tractat P. Suarez supra à num. 14. Suarez.

Alia excõmunicatio sumitur ex Clem. 3. de hæreticis, in qua prohibetur Inquisitoribus, & commissariis eorum, & Episcoporum, seu Capitulorum Sede vacante, ne prætextu officij Inquisitionis, quibusuis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueant, ne scienter attentent Ecclesiarum bona ob clericorum delictũ prædicta occasione officij fisco etiam Ecclesiæ applicare: quòd si secus in his, vel eorum altero fecerunt, excommunicationi subiiciuntur ipso facto.

Et quantum attinet ad personas, satis sunt notæ, in quas fertur: actiones verò prohibitæ sunt. Prima acceptio pecuniæ, quæ debet habere tres circunstantias. Prima, vt extorqueatur. Secũda, per modũ, illicitum. Tertia prætextu officij Inquisitionis: quòd si deficiat aliqua istorum, nõ incurrretur hæc censura. Ex qua plura dubia in specie solui possunt; per pecuniam verò intelligunt Doctores, quidquid pecuniæ est æstimabile, iuxta Doctores cõmuniter. Nauarrus num. 143. P. Suarez cum aliis supra num. 25.

Secunda actio, quæ prohibetur, est Ecclesiarum bona applicare fisco, ob clericorum delicta: ad quam requiritur, vt fiat scienter. Secundò, vt bona sint Ecclesiæ non clericorum. Tertia, vt applicatio fiat occasione, seu prætextu officij. Quarta, quòd fiat applicatio fisco.

Tandem notat P. Suarez num. 27. requiri ante absolutionem realem satisfactionem, vt possit absolui præter quàm in mortis articulo: & sermo est de pecunia reddenda, & addit non excusari homi nem propter impotentiam nisi in articulo mortis, quia ille solus excipitur. Quod mihi est valde difficile, & nimis seuerum, & contrariũ est probabile. Et seuerũ, quod dicitur de articulo mortis, nõ est accipiẽdum, quasi solùm exceptio fiat, sed ad declarationem eius propter necessitatem magnam. Suarez.

Alia sumitur ex Clem. vnica de vsuris, vbi excommunicãtur potestates, Capitani, Rectores, Consules, Iudices, Consiliarij, & alii officiales quarumcumque cõmunitatum, qui præsumpserint facere, scribere, dictare præcipientia, vt soluantur vsuræ, vel impedientia, vt nõ repetantur; vel etiam qui præsumpserint scienter iudicare, quòd solutæ cùm repetũtur, non restituantur plenè ac liberè. Quę omnia satis sunt manifesta.

Deinde quantum ad scripturas factas, præcipitur, vt deleantur: quod in litera est manifestum. Facilia quædam notant Doctores circa hanc censuram: sed quantum attinet ad personas, & actiones prohibitas, res est adeò manifesta, vt non egeat explicatione.

Alia possent sumi ex Clemen. prima de sent. excom. vbi excommunicantur religiosi, qui nõ seruant generale interdictũ, vel cessationem à diuinis: de qua in materia de interdicto.

Alia sumitur ex Clementina de pęnis, & est multiplex, ferturque in aliquos religiosos propter multas actiones, Prima est de nouo recipere domos, vel loca ad habitandum; vel priùs recepta mutare, vel in alios transferre titulo alienationis absque speciali licentia Sedis Apostolicæ.

Fuit autem hæc prohibitio capite vnico, de excessibus Prelatorum in sexto, & excommunicatio hęc lata est cõtra trãsgressores illius capitis, & ita pendet eius explicatio ex intelligentia illius. Et primò notandum est, ibi non esse sermonem de omnibus religiosis, sed solùm de Mendicantibus.

Secūdò sciendū est,quòd licèt ex vi huius iuris cōmunis Mendicantes non possint noua loca, seu domos suscipere, tamen iam per priuilegia à Sede Apostolica concessa possunt:quorum aliqua referunt Nauarrus num. 144. Pater Suarez num. 34.

Suarez.

Tertiò notandum est cum communi Doctorum,ex vi prædicti iuris non fuisse prohibitum Mendicantibus aliquas domos reficere,& perficere, quia hoc non est nouas domos comparare.Ita Syluest. casu 44. & alij communiter. Item non prohibetur acquirere nouam domum recreationis monasterii annexā,vt ibi notauit Glossa,quia hoc non est nouum, loca vel domos acquirere ad habitandum,de quibus loquitur textus,vt etiam docuit Caiet.cap. 56.Item quantum ad alteram partem de non alienandis domibus,legatur Nauarrus.

Altera actio prohibita sub tali censurâ est,ne religiosi aliqua proferre præsumāt in sermonibus suis,vel alibi, quibus audientes retrahant à solutione decimarū, quæ debeantur;& hęc cōprehendit omnes religiosos,vt notauit Glossa,& contextus fauet.Legatur Tolet. cap.40. excommunicatione 10.

Toletus.

Quæri verò potest,an faciat contra hāc constitutionem,si quis loquatur de decimis debitis alicui personæ,& non Ecclesiæ.Negat Caiet.cap.65. Nauarrus num. 145.& alii,quia textus loquitur de decimis debitis Ecclesiæ.

Suarez.

Sed P.Suarez sect. illa 5.n.37. contrarium docet,quia decimæ propriè sumptę omnes debentur Ecclesiæ,per se primò: quòd verò per Ecclesiæ pastores sint applicatæ priuatis personis, non excludit quin debeantur Ecclesiæ.

Deinde sciendum est, quod Doctores communiter affirmant sermonem esse in prædictis verbis de decimis debitis ex iustitia;hic est enim communis sensus. Vnde P.Suarez loco citato bene dixit non sufficere si quis debeat ex voto.

Suarez.

Notant etiam Doctores, necessarium esse ad incurrendam hanc censurā,vt pro feratur corām illis, qui debēt soluere decimas:quod videtur colligi ex ipso textu.

Rursus adducunt sufficere, si hæc dicantur cum prędictis conditionibus, etiamsi audientes non retrahantur à solutione,quia in textu solùm prohibetur,ne proferant,verba ad retrahendum homines à solutione decimarum, quæ debentur.Plura de hoc textu legi possunt apud Toletum supra.

Restat vt dicamus de excommunicationibus,quę habetur in Extrauagātibus.

Vna sumitur ex Extrauaganti vltima de senten.excomm.vbi supponitur grauiter eos errare,qui dixerunt Papam rectè el ectum priusquam coronetur,non debere se intrommittere in reseruationibus,dispensationibus,& aliis gratiis faciendis,nec se in litteris Episcopum simpliciter, sed Episcopum electum scribere ; neque etiam vti Bulla, in qua verbum exprimitur ipsius. Ratio verò huius suppositionis ex eo sumi debet, quòd, vt diximus 2.2 ad quæstionem 1.per electionem Papa designatur ab omnibus,sed à Christo immediatè accipit dignitatem & iurisdictionem.

Hac veritate posita excommunicantur in prędicta Extrauaganti omnes,qui occasione prædicta audent impugnare aliquas literas Apostolicas super negotio quocunque,quę ante coronationem Pontificis emanarunt.Verba satis sunt manifesta,quantum ad personas, & actionem prohibitam.

Altera excommunicatio habetur Extrauag.vnica,de rebus Ecclesiæ nō alienandis,vbi Paulus Secundus excommunicat omnes alienantes Ecclesiastica bona contra illam prohibitionem,sed Nauarrus n.145 Syluester verbo alienatio, q.3.& alij docent,vel nullibi, vel paucis in locis esse in vsu hanc censuram,& considerãda est consuetudo.

Alia habetur Extrauag.vnica de consuetudine,& fertur contra impedientes Legatos Summi Pontificis,quantum ad executionem sui muneris,vel non recipientes illos,sed hęc inBulla Cęnę cōtinetur.

Alia continetur in Extrauaganti sancta Romana,quæ est Ioanis XXII.& fertur contra illos,qui profitentur religionē Fratricellorum,seuBeguinarum;& extenditur etiam ad Episcopos, vel Prælatos; qui hos admittunt sine speciali facultate,& approbatione summi Pontificis;sed iam non existit talis religio.

Hic posset disputari de excommunicationibus,quæ habētur extra corpus iuris in propriis motibus,vel Bullis Pontificū sed res est in simili negotio, & omnes Bullę

Bullæ, ex tradita doctrina sunt explicandæ. Octo explicat P. Suarez disp. illa 23. sect. vltima, qui legi potest.

DISPVTATIO XXXVII.

De excommunicationibus quæ habentur in Concilio Tridentino.

Toletus. DE His agit Toletus cap. 42. & necessarium est eas explicare, quia possunt facilè occurrere.

DVBIVM PRIMVM.

De quatuor primis excommunicationibus Concilij Tridentini.

PRima habetur sessione 4. vbi excommunicantur omnes imprimentes, & imprimi mandantes, vendentes, apud se retinentes libros de rebus sacris sine nomine authoris, & sine approbatione, & examine priùs ab Ordinario factis: & si regulares fuerint, vltra facultatē, & approbationē Ordinarij, necessaria est proprij Superioris recognitio, & licentia, iuxta proprias ordinationes.

Et eadem censura ligantur qui scripto eos euulgāt, aut communicant, nisi antea examinati, probatique fuerint: debet autem hæc approbatio in scriptis dari, & in fronte libri vel scripti, vel impressi authenticè apparere.

Notandum est in hoc renouari decretum Concilij Lateranensis sessione 10. vbi tales ipso facto excommunicantur. Sed constitutio Concilij Lateranensis generalior est, quia non solùm procedit in libris de rebus sacris, sed in omnibus libris vel scriptis, & in aliis locis extra vrbem, non solùm est necessaria approbatio Ordinarij, sed etiam Inquisitionis illius Diœcesis, in qua fit impressio: in vrbe autem Romana sufficit Vicarij, & Magistri Sacri Palatij. Constitutio verò Concilij Tridentini restrictior est, & seruanda, in Hispania verò recepta, & seruatur.

Suarez. Deinde, vt notauit P. Suarez supra disp. 23. sect. vltima, quod dicitur de scripturis, intelligitur de illis, quæ per modum libri circumferuntur, non de scriptis materiis, quæ dictantur à magistris in suis lectionibus, quia istæ non circumferuntur per modum libri.

Secunda habetur sessione 5. in fine, vbi renouatur constitutio Sixti IIII. & pœnæ in ea circa immaculatam Beatissimę Virginis Conceptionem, de qua supra multa diximus.

Tertia habetur sessione 13. cap. 1. vbi ipsofacto excommunicantur prædicantes, vel docentes, vel pertinaciter asserētes, vel publicè disputando, præsumentes non esse necessariam confessionem sacramentalem habita copia Sacerdotis ante communionem, ei quem conscientia peccati mortalis grauat, etiamsi contritus accedat: quæ excommunicatio satis est manifesta, & ibi non est reseruata; de qua legi potest P. Suarez supra, & tomo 3. in 3. parte disp. 66. sect. 3. Notandum autem est, quòd licèt in eo capite Concilij Tridentini non sit reseruata ea censura, tamen quia censura lata in hæreticos, reseruata est, & est error negare necessitatem confessionis in prædicto euentu, ideo existimo esse reseruatam. Toletus.

Quarta censura habetur sessione 22 capite 11. de reformatione, his verbis, Si quis clericorum, vel laicorum, quacumque dignitate, etiam imperiali, vel regali fulgeat, alicuius Ecclesiæ, seu cuiusuis secularis, vel regularis beneficij, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona census, ac iura, etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quæscumque obuentiones, quæ in ministrorum & pauperum necessitates conuerti debent, per se, vel per alios, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum, aut laicorum, quacumque auctoritate, vel quocumque quæsito colore, in proprios vsus conuertere, illosque vsurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab his, ad quos iure pertinent, percipiantur, anathemati tamdiu subiaceat, donec integrè satisfactā sit, & tunc reseruatur absolutio Pontifici.

Quæ censura quoad personas vniuersalis est, & omnes comprehēdit; actiones verò prohibitę manifestę sunt: poterat verò esse quæstio de necessitate satisfactionis, an sit necessarium ante absolutionem reipsa satisfactionem fieri. Et primò cer-

certum est in articulo mortis sufficere propositum satisfaciendi, & cautionem, si alias impotens sit tunc ad soluendū, vel restituendum. Deinde etiam extra articulum mortis existimo posse hominē excusari ob impotentiam ab obligatione satisfaciendi statim, & tunc poterat absolui sine satisfactione re ipsa exhibita, facta cautione, quam potest facere.

DVBIVM II.

De alijs excommunicationibus Concilij Tridentini.

ALia excommunicatio habetur sess. 14. cap. 6. vbi excommunicātur mulierū raptores, & dantes ei auxilium, vel fauorem.

Notandum est primò cum Toleto, & alijs infra, tunc dici raptum, cùm rapitur mulier libidinis causa, similiter quando rapitur causa matrimonii, quando nō præcessit tractatio de contrahendo matrimonium, & mulier non consentit: si enim præcessit tractatio, & mulier consentit, etiamsi parentes reclament, non est raptus, iuxta caput, Cùm causa, de raptoribus: & hoc non reseruatur.

Alia censura habetur eadem sessione cap. 9. his verbis. Præcipit Sancta Synodus omnibus cuiuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipsofacto incurrant, ne quouis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel quoscūque alios cogāt quominus libere matrimonium contrahant, & est vniuersalis quantū ad personas, vt infra dicam.

Notādum autem est non esse violentiā, si quis promissione alicuius boni moueat aliquem ad contrahendum, nulla illata vi, aut timore, vt declarauit Romana congregatio anno 1573. 18. die Iunii, vt testatur P. Suarez disputatione 23. sectione 7. num. 6. secus posset, si rem debitam ex iustitia nollet persoluere, vt hac ratione induceret hominem ad matrimonium, etiā si hoc non exprimeret: quia hoc videtur esse saltem indirectè cogere ad matrimonium. *Suarez.*

Item aduertendum est, communem sensum huius legis esse, ne quis cogat ad contrahēdū matrimoniū, quòd dixerit, quòd aliqui recentiores huius ætatis decepti sunt existimantes esse contra hanc constitutionem impedire, ne aliquis contrahat matrimonium.

Difficultas est, an sit excommunicatio lata, vel ferenda in citato cap. 9.

Veracruz in appendice ad speculum de matrimonio 1. p. art. 9. à num. 6. dicit nō esse excommunicationem latam, quia Cōcilium ibi vtitur nomine anathematis, quæ solùm significat maledictionem solemnem.

Sed Doctores communiter putant ibi excōmunicationem latam, quia pro anathematis pœna intelligitur excommunicatio, vt diximus supra.

Ita sensit P. Thom. Sanchez lib. 4. de matrimonio disp. 23. num. 8. Nauar. cap. 27. nu. 150. & alij, quos citat P. Th. Sanch. & idē docuit Toletus in summa lib. 1. cap. 42. P. Suarez supra. *Tho. San.* *Toletus.*

Deinde quæstio est, an comprehendat omnes personas. Aliqui affirmant solùm loqui de personis iurisdictionem habentibus, quando cogunt subditos; & probant ex principio capitis, vbi de his loquitur, & particula, *Quare*, causalis est in contextu, & ad præcedentes personas solùm videtur referri. Sic sensit Guttierrez lib. 1. quæstionum canonicarum cap. 20. in fine, Emanuel tomo 1. sum. in 2. editione capit. 231. numero 7. Pater Molina tomo 1. de iustitia tractatu 2. disp. 176. & alij.

Sed contrarium docuit P. Suarez disp. 23. sect. 5. num. 6. & alii frequentiùs: quia licèt in principio sermo sit de temporalibus dominis, & magistratibus; tamen quando fertur præceptum, & censura, verba generalia sunt, illis verbis, Præcipit Sācta Synodus omnibus cuiuscumque gradus, dignitatis; & conditionis existant, sub anathematis pęna, quam ipsofacto incurrant, quouis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel quoscūq; alios cogant, &c.

Vbi ponderanda sunt duo verba, nempe illud; *Cuiuscūque conditionis*, & illud Subditos, vel quoscumque alios: ergo loquitur de persona cuiuscumque conditionis, quam distinxit ab habente dignitatē. Item non loquitur de solùm subditis, sed de aliis. Et hæc pars mihi est longè probabilior. Et Toletus capite 52. dixit

dixit hanc censuram præcipuè ferri contra dominos temporales, vel magistratus, qui subditos agunt, vbi manifestè particulã illam, *Præcipuè*, significat etiam de aliis loqui, sicut loquitur de subditis Toletus, & tamen manifestè Concilium loquitur etiam de aliis.

Alia censura fertur sess. 25. cap. 5. vbi ipso facto excommunicantur omnes magistratus seculares, qui non præbent auxilium inuocati ab Episcopis ad restituendam, vel conseruandam monialium clausuram, & ad compescendum pœnis inobedientes, & contradictores talis clausuræ.

Nota primò excommunicationem ferri contra Magistratus, secundò comprehendit omnes magistratus seculares; tertiò est pœna, quę ipso facto incurritur: quartò necessarium est, vt incurratur, prius esse inuocatum auxilium brachii secularis: quintò non est reseruata.

Alia habetur in eodem cap. 5. vbi excommunicantur ingredientes septa monasterii, quicumque fuerint, sine legitima licentia. De materia huius censuræ legi potest P. Suarez disp. 23. sect. 6. excommunicatione 6.

Sciendum verò est, prædictam censuram non esse in eo capite reseruatam.

Alia habetur sessione 25. capite 18. vbi excommunicantur omnes quicumq; fuerint, qui coëgerint aliquam fœminam incitatam ad ingrediendum monasterium, vel suscipiendum habitum religionis, aut professionem facere. Secundò excommunicantur in aliquo ex prædictis, auxilium, consilium, vel fauorem, dantes: tertiò illi qui scientes fœminam incitatam ingredi monasterium, vel suscipere habitum religionis, vel professionem emittere, eidem actui, vel præsentia, vel consensum, vel authoritatem præbent.

Quartò etiam excommunicantur illi, qui sanctam virginem, vel aliam fœminam volentem ingredi religionem, vel velũ suscipere, impediunt sine iusta causa.

Notandum est primò, hanc censuram huius capitis non esse reseruatam: secundò esse vniuersalem quantum ad cogentes, vel impedientes: tertiò etiam est vniuersalis ex parte feminę. Quid verò sit cogere, vel impedire, satis constat.

Alia censura habetur sessione 25 capite 19. de reseruatio. vbi excommunicantur primò Imperatores, & omnes domini temporales ad duellum inter Christianos locum in terris suis concedentes. Secundò, duellum cōmittentes. Tertiò, qui eorum patrini vocantur. Quartò, in causa duelli dantes consilium iure, vel facto. Quintò, quauis ratione duellum suadentes. Sextò, spectatores duelli. Et hæc censura satis est manifesta, & communiter intelligitur de duello solemni cum certis cæremoniis, quam extendit Greg. XIII. ad priuatum duellum in motu proprio de hac re. Et est 82. inter decreta eius in collectione Rom. qua colliguntur Bullæ, & proprij motus aliquorum Pontificum. De hac diximus secunda secundæ quæst. 95.

DE SVSPENSIONE IN COMMVNI.

LIBER QVARTVS.

De Hac materia legendi sunt Summistæ, verbo suspensio, P. Valentia in 3. parte sancti Thomæ disp. 7. quæst. 18. P. Suarez tomo 5. in 3. part. disput. 25. P. Auila de censuris parte 3. & aliqui scholastici 4. dist. 18. Auton. 3. parte titulo 28. Sotus 4. distin. 22 quæst. 3. artic. 1. Ledesma 2. parte 4. quæstione 26. articulo 2. Nauarrus in sum. cap. 27. à nu. 151. Couarrub. P. Henriq. lib. 13. de excommunicatione à cap. 31. vsq; ad 40. & alij tractatus de censuris, quorum aliquos retuli supra.

DIS-

DISPVTATIO XXXVIII.

De natura suspensionis.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit suspensio.

ANte omnia sciendum est nomen Suspensionis apud Latinos plures habere significatus, sumitur enim pro incerta, & dubia animi expectatione euentus alicuius rei. Ite pro actione supplicij cuiusdã, quod dicitur suspendiũ: item pro dilatione: quę in vsu vel rei expeditione dicitur interponi.

Deinde iure canonico applicata est hæc vox ad significandam specialem censuræ naturam. Et hanc volumus explicare.

Varijs verborum formis solet definiri; sed quantum ad rem attinet, definiri potest hoc modo, Suspensio est cẽsura Ecclesiastica, qua minister Ecclesiæ impeditur, ne iurisdictiones exerceat Ecclesiasticas, aut aliqua potestate Ecclesiastica vtatur, per illa verba, Ecclesiastica censura distinguitur ab omni pœna Ecclesiastica, quæ non est censura, per alia verba facile est distinctionem explicare huius cẽsuræ ab aliis: & quidem à minori excommunicatione distinguitur, quia suspensio non determinatur ad solam materiam Sacramentorum, sed ad alias functiones sacras.

A maiori verò excommunicatione differt, primò, quia suspensio versatur circa solas functiones Ecclesiasticas, excommunicatio verò circa omnes alias; quod videtur significare S.Th. in additio art.3.p. quæst.22.art.3. & constat ex dictis de materia excommunicationis. Addendũ est suspensionem non priuare his functionibus sub respectu communicationis cum aliis, sub quo excõmunicatio priuat illis. Ab interdicto etiam distinguitur, vt constabit ex dicendis de interdicto. Legatur P. Suarez disputatione 25. sectione 1. & Pater Auila supra disputat. 1. dubio 2. P. Valentia quęst. cit. part. 1. (Suarez. Auila. Valentia.)

(*\$*)

DVBIVM II.

Quotuplex sit suspensio.

DE hoc dubio breuiter explicabimus aliquas diuisiones suspensionis, quę assignantur ab authoribus.

Et Iurisperiti solent assignare triplicẽ suspensionem, vnam quoad se tantum: alteram quoad alios: tertiam quoad se, & quad alios. Huius diuisionis meminit Abbas in capite, Vltimum de clerico excõmunicato ministrante, Syluest. verbo suspensio num. 1. Verùm hæc diuisio non est suspensionis sumptæ pro censura: nam in primo membro numeratur peccatũ mortale; in secundo impedimendum aliquod fundatum in præsumptione, vel ignorantia aliorũ: sicut peregrinus, qui caret literis dimissoriis, dicitur suspensus ad celebrãdum. Tertium membrum pertinet propriè ad suspensionem, quia illa hominem tam secundum se, quàm respectu aliorum priuat functione Ecclesiastica. Hanc non esse diuisionem censuræ propriè notat P. Suarez supra sectione 2. & P. Auila supra dub. 3. (Suarez. Auila.)

Aliqui recentiores dicunt eam diuisionem posse habere alium sensum, nempe, vt suspensus quoad se dicatur, qui est suspensus, & non denunciatus; quia iuxta Concilium Constantiense ipse tenetur alios vitare, & alij non debet vitare ipsum iuxta supra dicta: qui verò est denunciatus, iam est suspensus: & qui reuera nõ est, erit quoad alios, & non quoad se.

Alia diuisio solet adduci ab aliquibus suspensionis, in eam quæ est purè pœna, & eam quæ est censura: de qua legatur P. Suarez loco allegato num. 3. (Suarez.)

Tertiò diuiditur in eam, quæ est in iure, & in eam, quæ est ab homine: quæ diuisio, & per se constat, & ex dictis de excommunicatione facilè potest intelligi.

Quartò vulgata partitione diuiditur in suspensionem ab officio tantum, à beneficio tantùm, ab officio, & beneficio simul: & sumitur ex iure, quia aliquando quis suspenditur ab officio Sacerdotali, capite, Sane, & secundo de officio delegati, & cap. 2. eodem titulo in sexto. De suspensione à beneficio fit mentio cap. Nihil de electione, & Clementina secunda de vita & honestate clericorum. De

tertio mēbro habetur exemplum Clementina prima de decimis.

Sed occurrit hoc loco difficultas, quid sit intelligendū nomine suspensionis, quā do in iure absolutè imponitur, & non dicitur ab officio, vel à beneficio.

Aliqui putant hoc dubium non habere locum in iure, quia in iure semper explicatur, de qua suspensione sit sermo, & ideo hoc dubium nō est in iure declaratū, sicut simile in materia de excommunicatione, vt vidimus supra: & reuera ita videtur sentire Pater Suarez sectione 2. citata numero 8. & 9.

Suarez.

Quintò diuidi solet suspensio in maiorē, & minorem, quam assignat Abbas in caput vltimum, de clerico excōmunicato minist.

Aliqui hanc decisionem refutant, quia Abbas non rectè illam explicat, alij ineptè eam explicant dicentes, minorem esse peccatum mortale; maiorem illam, quæ est propriè censura. Alia quæ circa hanc diuisionem meditatur P. Suarez, sese offerunt legenti.

DISPVTATIO XXXIX.

De effectibus suspensionis ab officio.

DVBIVM PRIMVM.

Quem effectum habeat suspensio ab officio.

PRima opinio est asserentium, solùm priuare vsu ordinis: ita Glossa in cap. Audiuimus 24. q. 1. sed nullum habet idoneū argumentum.

Alij referuntur dixisse, non semper priuare toto officio, sed aliqua parte eius: verùm si sermo sit de suspensione absolutē prolata, dicendum est in hac re suspēsionem ab officio absolutè prolatam priuare omni vsu ordinis, & iurisdictionis: est communis sententia, & sumitur ex Sancto Th. in addit. ad 3. p. q. 21. art. 3. & tradunt Canonistæ in caput, Cùm dilectus, de consuetudine: & verba ipsa hoc significant propriè sumpta. P. Vazquez tractatu de suspensione manuscripto.

Vazquez.

Sed an suspensus sit suspensus in omni loco, quæstionem habet: verùm dicendum est, suspensum absolutè absque loci determinatione vbiq; esse suspensum: quod probatur tum ex vi verborū, quæ limitatam habent significationem: tum à simili, quia excommunicatus reipsa vbique est excōmunicatus: ergo à simili. Et est communis sensus Doctorum. P. Vazquez in manuscripto de scandalo.

Referuntur autem aliqui existimantes hanc doctrinam de suspensione in omni loco veram esse in suspensione in ordine; non tamen in suspensione à iurisdictione. Verùm neque huius discriminis assignāt rationem alicuius momenti, neq; verum est quod dicunt: nam rationes factæ eandem vim habent in vtraque suspensione: & explicatur, quia cùm hæc suspensio sit quędam inhabilitas, quę afficit personam, planè vbicumq; illa est, etiam est suspēsio, licèt aliàs officium non possit exerceri, nisi in aliquo loco.

Deinde addendum est, idem iudicium esse de duratione, nempe suspensionem, simpliciter prolatām, non habere determinatam temporis periodum, sed permanere donec auferatur ab habente potestatem. Hic est sensus ex communi doctrina in cap. Cùm vanę, de ætate, & qualitate, & Panormitan. cum Glossa in caput, Ex literis, de constit. & licèt loquatur de sententia lata per hominem, tamen eadem est ratio de alia lata à iure, quando eadē est ferendi forma, & ferentis intentio.

Sed doctrinam traditam limitant Doctores aliis conditionibus. Vna est, vt suspensio sit lata per vltimam sententiam: si enim non sit lata per sententiam vltimam, censetur lata vsque ad finem officij ferentis illam; vel quando ipse voluerit.

Secunda est, vt censeatur culpa ita grauis, vt suspensio perpetua iudicetur pœna condigna, & iusta.

Certum autem est, posse ferri hanc sententiam pro certo tempore: quod ex verbis iudicandum est. Item potest ferri sub conditione aliqua implenda suspensio, vel quę sit voluntas iudicis, vt si dicat, Donec aliud disposuero.

Sed disputant Iuristę, quid dicendum sit, quando conditio refertur ad voluntatē iudicis, si ille moriatur antequam auferat suspen-

ſuſpenſionem, & breuiter aſsignabo regulam; vel enim conditio refertur ad beneplacitum perſonæ iudiciis, vel ad voluntatem Sedis Apoſtolicæ, verbi gratia, ſi priori modo ſumitur per mortem iudicis; ſi poſteriori non ſumitur, quia non refertur ad volũtatem huius iudicis, ſed ad voluntatem ſummi Pontificis, quicumque, ille eſſet: & hac diſtinctione vſus eſt Pontifex capite, Significaſti, de reſcriptis in ſexto.

P. Suarez. diſput. 26. ſect. 2.

Illud occurrit explicandum, an acta à ſuſpenſo ſint valida. Ponendum autem eſt vt certum, talem ſuſpenſum ex obiecto grauiter peccare, ſi faciat actum prohibitũ; eſt enim grauis materia, & ita imponitur grauis pœna.

In dubio verò præſenti obſeruanda ſunt quæ diximus de excommunicato. Et breuiter dicendum eſt, ſi ſunt actus ordinis, qui non pendent à iuriſdictione Eccleſiæ, validi erunt, & habebunt effectum; ſecus ſi ſint actus, qui requirunt iuriſdictioné Eccleſiaſticam, iſti enim non erunt validi, quãdiu ſuſpẽſus priuatus eſt actuali iuriſdictione.

Dixi quandiu priuatus eſt, quia ſi ſit occultus, non cenſetur priuatus iuriſdictione: & poſt Concilium Conſtantienſe obſeruanda ſunt quæ de excommunicato diximus ſupra. Legatur P. Auila p. 3. diſp. 2. dub. 2. 3 & 4.

Auila.

Deinde diſputat P. Suarez ſectione illa ſecũda de pœna, quam incurrit ſuſpẽſus, ſi exerceat munus illi prohibitũ. Et primò ſi ſolùm ſit actus iuriſdictionis, nulla eſt illi ſpecialis impoſita; ſi verò ſit actus ordinis, manet irregularis ex capite, Is cui, de ſententia excom. in 6.

Dubitare poſſet aliquis, an participans cum ſuſpenſo in actione illi prohibita peccet; dicendum verò eſt, ex vi ſuſpenſionis non priuari alios communicatione cum ſuſpenſo, hic enim eſt effectus excõmunicationis, & ideo ſolùm poſſunt peccare per cooperationem ad peccatum, quod eſt contra ius naturale: pro quo peccato nulla eſt impoſita pœna iure poſitiuo.

DVBIVM II.

An ſuſpenſus ab officio cẽſeatur ſuſpẽſus à beneficio iuris, vel ab alio actu.

CIRCA Primum de beneficio res eſt facilis, nã formaliter ex eo quòd quis ſuſpendatur ab officio, non ſuſpenditur à beneficio, eſt enim diuerſa materia, & diuerſa pœna, & verba, ſignificant vnum, & nõ aliud, & intentio iudicis poteſt velle vnam pęnam imponere, & non aliam, vt conſtat: & quid velit facere, colligendum eſt ex verbis P. Vazquez tractat. de ſuſpenſione. Vazquez.

Difficultas verò eſt circa ſecundum, an priuetur ſuſpenſus ab officio actibus ipſius beneficij: nam beneſſiciũ datur propter officium, capite vltimo de reſcriptis in 6. ergo hoc ipſo quòd quis ſuſpenditur ab officio veluti in cauſa, priuatur actibus beneficij.

Referuntur aliqui Iuriſtę affirmãtem partem amplectentes propter rationem factam.

Alij verò diſtinctione vtuntur ſuſpenſionis à iure, vel ab homine: & quidam dixerunt ſuſpenſionem ab homine, quę eſt ab officio, eſſe etiam à beneficio: alij è cõtrario philoſophati ſunt, & alii aliis diſtinctionibus vtũtur, quas refert Syluest. verbo ſuſpenſio num. 5.

Aliquos refert, & ſequitur Couarrubias in epitome in quartum Decretalium 2 p. cap. 6. in principio num. 13. qui docent conſiderandam eſſe cauſam, vel grauitatem delicti, ob quam imponitur ſuſpẽſio: nam ſi ſuſpenditur ab officio propter infamiam, vel contumaciam, non ſuſpenditu à beneficio: ſi verò propter crimen, cõſiderandum eſt, an ſit leue; & tunc non ſuſpẽditur à beneficio, vel eſt graue, & tunc ſuſpenditur à beneficio.

Sed iſtæ differentiæ non ſunt probandę, quia nullum habent argumentum alicuius ponderis, & abſolutè dicendum eſt formaliter ſuſpenſionem ab officio, non includere ſuſpenſionem à beneficio, quia iſtæ pœnæ ſunt diuerſæ, & ex natura rei poſſunt ſeparari, vt per ſe conſtat: iure, verò poſitiuo nón ſunt ſumendæ, quia tale ius non eſt: quæ ratio habet vim eandem, ſiue ſuſpenſio ſit ab homine, ſiue à iure, ſiue ſit propter leue delictum, ſiue propter graue: & ita ſenſit P. Suarez diſp. citata ſect. 3. & alii multi huius ætatis: & P. Suarez docet eſſe communem, & certam ſententiam, & docuit Nauarrus in ſumma cap. 27. numero 160. P. Auila p. 3. diſp. 2. conclusione 6. Suarez. Auila.

Reſtat explicare, an ſuſpenſio ab officio

cio impediat electionem noui beneficij, & P. Suarez sect. 3.citata num.7.putat impedire: & probat ex capite vltimo de clerico excommunicato ministrante,vbi dicitur,excommunicatum maiori excommunicatione nō posse eligi ad Ecclesiastica beneficia, & hoc,quia qui est priuatus aliquo munere,est priuatus susceptione eorum quæ ad illud ordinantur.

Idem docet Henriquez lib.13.cap.32. num.3. & P.Auila p.3.dist.2.post quintā conclusionem §.ex his sequitur,& citant caput,Cùm dilectus,de consuetudine.

Idem sensit Pater Vazquez tractatu de suspensione.

Sed aliis probabilius est,istum non esse priuatum tali electione passiuā noui beneficij,quia ex natura rei non est priuatus:ex iure autem positiuo non est priuatus,quia non cōstat de tali iure expresso: & caput citatum loquitur de excommunicato,& principium ibi adductum minus generale est: & in pœnis tanti momenti non est causa,ob quam dicamus reū illas incurrere, quando non sunt expressæ in iure. Sed prior sententia est communis.

Deinde P.Auila putat electionem fore nullam propter citata capita. Putat Pater Suarez fore validam,quia ex capite, quod ipse citat pro sua opinione, id non colligitur. Suarez.

Sed restat explicare,quid impediat suspensio ab officio simpliciter prolata:&dicendum est,impedire omnem actum officij,vt verba significant. Secus quando solùm suspenditur quis ab aliqua actione particulari illius officij: poterit enim tūc alias exercere: legatur P.Suarez sect. 3.in princ.

DVBIVM III.

Quem effectum habeat suspensio ab ordine simpliciter prolata.

IN Hac quæstione primò dicēdum est, hanc suspensionem priuare omni vsu ordinis sacri:est communis, & ratio sumenda est ex verbis ipsius sententiæ,quæ etiam indicant intentionē ferentis illam.

Secundò dicendum est,hanc suspensionem formaliter non includere suspensionem ab officio iurisdictionis. Hæc probāda est ac similis huic,de qua supra,quia hę duæ possunt separari ex natura rei,& iure positiuo non sunt connexæ.

Ex his duabus conclusionibus multa possunt dubia in specie solui,si considerētur quæ includunt ordinem,vel quæ solū ad iurisdictionem per se pertinent,etiam ordine non considerato: & legi potest sect.4.cit.P.Suarez.

Deinde etiam est considerandum, an quis simpliciter,& absolutè suspendatur ab ordine, vel tantùm ab vsu alicuius ordinis.

Sed potest esse difficultas,an qui suspenditur ab actu ordinis inferioris, semper censeatur suspensus ab actu ordinis maioris. Et aliqui Iurisperiti affirmāt cēseri suspensum,& ita docent,quòd si Episcopus suspendatur à collatione minorum ordinum, non poterit conferre maiorē, quia in tali prohibitione prohibitio maiorum ordinum videtur includi.

Contra hanc tamen sententiam est primò,nam clericus potest suspendi ab altari,& non ab aliis actibus ordinis, potest enim iudicari indignus altari,& non aliis actibus.

Secundò ex capite vltimo de temporibus ordinandorum in sexto,vbi Episcopus prohibetur conferre primam tonsuram, & tamen excommuni Doctorum sensu non suspenditur Episcopus à collatione ordinū:& tertiò, quia oppofita sententia non habet firmam aliquam rationē.Quę omnia fuse persequitur P.Suarez sect.4.legatur num 1. Suarez.

Et tandem num.14.docet eam sententiam solùm posse habere locum,quando actus sint subordinati: ita quando vnus prohibitus est, sine illo alij non possunt bene,&licitè fieri:tunc enim ex prohibitione vnius infertur prohibitio alterius: quod mihi probatur. P. Vazquez in tracta tu de suspensione dicit eum,qui suspenditur à minori, suspendi à maiori, non è contrario:quod debet intelligi in subordinatis.

Ex dubiis solui potest aliud dubium,de quo authores tractant in hac materia, quem effectum habeat suspensio à iurisdictione.

In quo considerandum est,an sit suspensio simpliciter;tunc enim est ab omni iurisdictione: secus si sit à parte,seu aliquo munere

munere iurisdictionis, quod non erit difficile iudicare ex verbis sententiæ latæ, siue à iure, siue ab homine. Legatur P. Suarez disp. 25. sect. 4. à num. 16.

Suarez.

Addendum est, siue suspensio sit ab omni iurisdictione, siue a parte illius, posse suspensum grauiter peccare violans sententiam.

Sed propter tale peccatū nulla pœna est imposita in iure, vt loco allegato nu. 19. notauit P. Suarez.

DISPVTATIO XL.

De effectibus suspensionis à beneficio.

DVBIVM PRIMVM.

Quos effectus habeat suspensio à beneficio simpliciter lata.

IN Hac materia dicendum est, hanc suspensionē impedire dominium seu possessionem beneficij.

Hic est communis sensus Doctorum, quē verba ipsa censuræ declarant: vnde beneficium ab officio distinguitur, vt constat, & Concilium Trident. §. 21. cap. 3. de reformatione dixit, beneficia ad diuinum cultum, & Ecclesiastica munera obeunda instituta esse, poteſtque esse suspēsio à beneficio, & non ab officio.

Vnde suspensio à beneficio nō impedit actū officij eius, vt bene docuit P. Suarez disp. 27. sect. 1. à num. 3.

Addendum est grauiter peccare suspēsum à beneficio, si vsurpet fructus beneficij, & obligari ad restitutionem, vt docuit P. Suarez supra nu. 7. Sed de hoc dicemus in materia de beneficiis. Addit nullā esse in iure impositam pœnam propter hoc peccatum.

Sed oportet explicare, quid in hac materia intelligatur nomine beneficij: loquimur verò de beneficio Ecclesiastico, & hoc intelligunt Doctores: an verò suspensio fiat ab vno beneficio, vel à multis, quando quis plura habet, ex verbis sententiæ, & aliis circunstantiis colligendū est: & cùm simpliciter fertur sine speciali determinatione, omnia comprehendit, vt bene Pater Suarez supra numero 17.

Suarez.

De tempore verò, quo durante intelligatur suspensio à beneficio, dicēdum est, si simpliciter sine vlla limitatione proferatur, durat semper, & toto tempore suspensi non faciunt fructus suos: de quo effectu, sicut in simili de suspensione ab officio, philosophandū est, & legi potest P. Suarez supra à num. 23.

Sed difficultas est, an hæc suspensio sit ab omni beneficio, ita vt impediat electionem passiuam in futurum beneficium. Affirmat P. Suarez supra num. 25. si suspēsio sit simpliciter à beneficio, quod ex circunstantiis colligendum est prudenter.

Suarez.

Addit collationem illius futuri beneficii non esse ipso iure nullam, quia non est caput, in quo dicatur irrita, aut nulla.

Sed potest obiici hoc modo: Sequitur ex hac doctrina, quòd cùm clericus nullum habet beneficium, si faciat crimē, ob quod sit suspensus, intelligetur pro futuro beneficio: quod videtur falsum. P. Suarez supra duas addidit solutiones, & probabiliorē dicit esse cōcedi sequelam. Sed mihi omnino displicet hæc solutio, quia videtur contra communem sensum, & vsum, neque solet peti absolutio pro futuro beneficio, ab eo, qui tale crimen commisit.

Suarez.

Sed vel dicendum est, illum effectū non habere suspensionem, nisi manifestè exprimatur; vel non habere illum, nisi quando suspēsio fit alicuius beneficij, quod homo postulabat, & quasi secundariè impeditur à futuro.

Ex doctrina tradita infertur, suspensionem hanc priuare fructibus prouenientibus ex beneficio, vel beneficiis, à quibus suspenditur, atque adeo & ab omnibus simpliciter, & sine limitatione prolata. Legatur Pater Suarez supra num. 29. qui meritò docet comprehendi etiam distributiones quotidianas, quę dantur intuitu illius beneficij.

Est tamen difficultas de aliis stipēdiis, de quo in materia de beneficiis; quæ non sunt redditus beneficij, sed proueniūt ab aliquibus officiis, intuitu quorum dantur à fidelibus.

Et P. Suarez respondet sub distinctione considerādum esse, an tales fructus ex dispensatione superiorum, & consensione sint

Suarez.

sint coniuncti beneficio, vel solùm per accidens: in priori causa priuat illis hęc suspensio, non tamẽ in posteriori. Quibus verò aliis actibus priuat suspensio à beneficio, ex verbis sententię colligi debet.

DVBIVM II.

Quem effectum habeat suspensio à beneficio ex parte.

IN Partiali suspensione consideranda sunt verba, vt iudicare quis posset quẽ effectum habeat: certum est enim pòsse priuare, vel fructibus vnius tantùm beneficij, vel aliquibus, & non omnibus; & quẽ habeat effectum, quia efficacitas verborũ postulat ex intentione ferentis sententiam.

Restat explicandum, quid faciendum, sit, si clericus suspensus egeat fructibus omnibus, vel aliquibus ad sui sustentationem.

Suarez. Respondet P. Suarez supra sect. 2 quòd si suspensio feratur ob contumaciam, nihil est illi dandum tanto tẽpore, quo perseuerat in contumacia; aliàs non retrahetur à suo peccato; secus si solùm sit in paenam poenam criminis commissi; tunc enim ob decentiam status decet, vt ex illis fructibus alatur: pro qua doctrina citat alios Doctores: sed in hoc vel sermo est de iudice, an possit ea bona concedere clerico, & considerandum est, an sint fructus applicati pauperibus, & poterit iudex eos dare clerico illi, vt pauperi, vel sermo est, an ipse clericus possit eos non restituere ratione paupertatis. Et in hoc obseruanda sunt, quæ diximus 2.2. ad quæstionem 62. de causis, quæ excusant à restitutione.

Dubitant tamẽ aliqui, an suspensus possit aliquando recuperare prædictos fructus. Et si sententia fuit iusta, non poterit illos recuperare iustè, si tamen sententia fuit nulla, & iniusta, fieri poterit, vt veritate cognita possit iustè recuperare illos fructus, vt resoluit Pater Suarez sectione illa 2. in fine: & ratio est manifesta.

Ex hactenus dictis constare potest differentia inter effectus suspensionis, & excommunicationis: diximus enim de effectibus vtriusque censuræ.

DISPVTATIO XLI.

De peccato, ob quod imponitur suspensio.

DVBIVM PRIMVM.

De causa, ob quam debeat ferri suspensio.

POst quam diximus de effectu huius suspensionis, occurrit disputandũ de peccato, ob quod imponitur suspensio. Sicut disputatione 18. egimus de peccato, ob quod incurritur excommunicatio.

De quo cursim aliqui authores in materia de legibus, dum dicũt poenam excommunicationis & suspensionis esse signum violationis mortalis, & de excommunicatione diximus loco proximè citato: & in specie ita loquitur de suspensione etiã P. Vazquez 1.2. disp. 158. cap. 5. num. 49. vbi explicat aliquos effectus, quos potest habere, vt ostendat grauem esse pęnam, ac proinde non esse imponendam ob culpam leuem. Vazquez.

Sed P. Suarez supra disp. 4. sect. 4. num. 7. docet non esse causam, ob quam non sit eodem modo loquendum de vtraque: nã suspensio grauis non potest imponi ob leuem culpam, licèt leuis aliqua suspensio posset imponi, quæ tamen in vsu non est, sicut in vsu est excommunicatio minor. Et posse imponi aliquam suspensionem ob culpam leuem docet Toletus cap. 45. legatur P. Suarez disp. 28 sect. 4 à num. 5. Pater Vazquez tractatu de suspensione ne admittit posse esse suspensionem leuem. Suarez. Vazquez.

Dicendum ergo est, nullũ iudicem posse pro veniali culpa imponere poenam suspensis: Sicut diximus in simili de excommunicatione, distinctione citata dub. 1. & non solùm sententia esset iniusta, sed etiam nulla.

Ex hoc fit, quòd si quis faceret actum, ob quem imposita est suspensio, & talis actus fiat ex aliqua circunstantia venialis, nõ incurret eam pęnam, sicut de pęna excomunicationis diximus disp. citata cum P. Vazquez. Vazquez.

Sed

Sed difficultas est, an debeat monitio præcedere, de qua Henriquez lib. 4 cap. 34. P. Suarez supra disp. 4. sect. 5. & d. 28. sect. 5. num. 2.
Suarez.

Et P. Henriquez dicit suspensionem, quæ fit ob contumaciam, requirere præuiã monitionem, non tamen illam, quæ fit ob solum peccatum commissum puniendum: quod docet Toletus supra cũ multis Doctoribus.

P. Suarez dicit, non esse censuram propriè, nisi fiat ad reprimendam contumaciam, & quæ fit ad puniendum solùm, non esse propriè censuram: & in hanc doctrinam inclinat P. Vazquez tractatu de suspensione, fatetur enim posse ferri ob crimen graue sine contumacia: & addit potiùs fore tunc pœnam quandam, quàm censuram.
Vazquez.

P. Vazquez in materia de suspensione solùm dixit in hoc philosophandum esse sicut de excõmunicatione, & interdicto: & de excommunicatione suo loco diximus ex mente P. Vazquez tractatu de excommunicatione dub. 12 deinde verò codice manu scripto docuit primò ad sententiam iure latam non esse necessariam monitionem, quia ipsa admonet: secundò docet, hanc cẽsuram non posse ferri nisi in eos, qui verè sunt contumaces, & dicit esse probandum, sicut similis doctrina de excõmunicatione. Tertiò dicit esse necessariam trinam monitionem, vel vnam pro tribus iuxta dicta de excommunicatione.
Vazquez.

DVBIVM II.

An possit aliquis incurrere hanc pœnam suspensionis ob culpam alienam sine culpa propria.

ALiqui videntur sentire, posse aliquem incurrere ob culpam alienam. Probatur ex capite 1. de ordinato ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatum, vbi qui ordinatur ignorã- er ab eo Episcopo ob culpam Episcopi, suspenditur, Secundò probari potest ex capite Vbi non est, de temporibus ordinandorum, in quo puer ordinatus in ætate fere decem annorum, suspenditur ab executione officij vsque ad legitimam ætatem. Tertiò potest probari ratione, quia suspensio per se non priuat bonis animæ, sed externis aliquibus functionibus: ergo potest pertinere ad bonum commune, vt sine culpa propria, ob aliam causam priuetur quis illis. Et pro sua sententia citatur S. Thom. 4. dist. 18. quæst. 2. art. 3. quæstiuncula 2. ad secundũ, Syluest. verbo suspensio num. 4. & ita etiã loquuntur Canonistæ.

Alij verò absolutè dicunt, non posse hãc pœnam incurri sine culpa propria: ita Nauarrus cap. 27. num. 151. & supponit Caietanus in sum. verbo suspensio P. Auila de censuris p. 3. dis. 1. dub. 2. & alij, & P. Suarez disp. cit. sect. 4. num. 2. quia hęc cẽsura est pœna quæ proprie non incurritur sine culpa, si propriè de suspensione loquẽdum sit: quod amplius explicat num. 3. & sequentibus.

Notat verò P. Suarez, cẽsuram vt est pœna, vel censura, propriè non posse imponi nisi ob culpam.

Secundò vt est quædam prohibitio ab officio aliquo, & hæc ex aliqua causa potest imponi, & ob culpam alterius: & sic explicat varia capita Iuris: & hæc posterior suspensio neq; requirit conditiones necessarias ad censuram, neq; habebit effectus censuræ.

Hic posset disputari de ignorantia, quæ potest excusare ab hac censura, de qua obseruanda sunt quæ diximus supra disputatione 5.

Rursus posset disputari de suspensione iniusta, & obseruanda sunt, quæ diximus disputatione 10. de excommunicatione iniusta.

DISPVTATIO XLII.

De causa efficienti suspensionis.

DVBIVM PRIMVM.

Quis possit ferre hanc censuram.

POnendum est esse in Ecclesia potestatẽ ferendi hanc censurã, sicut de excommunicationis potestate diximus supra.

Communis sensus Doctorum est, omnẽ illum

illum, qui potest excommunicare, posse suspendere, & solùm illum. Syluester verbo suspensio, Antonin. tractatu de suspensione, Nauarrus cap. 27. num. 159. P. Suarez de censuris disp. 28. sectione 1. Pater Auila de censuris 3. part. disp. 4. dubio 1. P. Henriquez libro 11. capite 35. & ideo oportet obseruare quæ supradiximus disputatione 22. de eo, qui potest ferre sententiam excommunicationis, & de conditionibus requisitis in personis, vt sint capaces huius potestatis: eadem est enim potestas ad excommunicandum, & ad ferendam sententiam suspensionis.

Suarez. Auila. Enriquez.

Ex hoc autem fit esse suspensionem latam à iure, & ab homine.

Suarez. Speciatim solet disputari, an Episcopus sine capitulo possit clericum suspendere. P. Suarez loco citato docet olim ordinatum fuisse, ne Episcopus ferret sententiam, nisi præsentibus clericis, cap. penultimo 15. quæst. 7. Addit hoc non esse in vsu, & illud decretum fuit Concilij prouincialis Carthaginensis 4. sed non satis constat fuisse in tota Ecclesia receptum. Postea verò Alex. III. in capite 1. de excessibus, decreuit, ne sine capitulo Episcopus attentet presbyteros suspendere: vbi

Suarez. expendit P. Suarez Pontificem non loqui de omnibus clericis, sed de presbyteris. Secundò docet non loqui de excommunicatione, etiamsi Glossa aliter explicet.

Tertiò omnes limitant textum hunc ad suspensionem, quæ fertur in puram vindictam. Quartò, in illo textu non irritatur sententia Episcopi. Vnde licet male fecerit, si tamen sine capitulo suspenderet, ex vi illius textus valida maneret ea sententia.

Tandem addidit ex sententia aliorum, iam esse illum textum abrogatum per contrariam consuetudinem.

DVBIVM II.

Quis modus sit seruandus in ferenda sententia suspensionis.

Sciendum est, aliud esse loqui de suspensione lata à iure, & aliud de ea, quæ fertur ab homine. In priori nullus alius modus, vel forma est necessaria, nisi verba legis, quibus sufficienter significatur talis pœna imposita ob aliquam culpam.

In ferenda verò suspensione ab homine possumus considerare quid præcedere debeat, & quid poni in ipsa sententia, & quid subsequi.

Circa primum solet quæri, an ante suspensionem debeat præcedere monitio, de qua diximus disputatione præcedenti: & legi potest P. Suarez de censuris disputatione 4. sectione 5 & disputatione 28. sect. 5. num. 2.

Circa secundum certum est non requiri aliqua determinata verba, præter illa, quæ sufficienter significant effectum huius censuræ, vt notauit Nauarrus in sum. cap. 27. num. 161. & est communis sensus Doctorum.

Notat etiam P. Suarez hanc sententiam ferri posse non solis verbis, sed per scripturā: quod per se est satis manifestū. Seruanda autem sunt alia, quæ requiruntur, vt sit iusta, & valida sententia hæc.

Notandum verò est, non fore validam, si feratur post interpositam appellationem, iuxta communem opinionem Doctorum in caput primum de sententia ex communicationis in sexto: si verò appellatio sequatur post latam suspensionem, non impedit effectum, vt habetur capite, Is cui, de sententia excommunicationis in sexto: quod Abbas in caput secundum de clerico excom. ministrante, & caput sæpe de appellationibus in 6. voluit esse intelligendum de sola suspensione, quæ fertur ob cōtumaciam, non de illa, quę est pure pœna.

Sed hæc limitatio non placet aliis, quia caput, Is cui, citatum simpliciter loquitur de suspensione absque vlla distinctione in iure verò vtraque suspensio potest hoc nomine significari.

Mihi videtur probabilis, quia videtur sermo de suspensione, sicut de excōmunicatione, atque adeo de illo, vt est censura propriè.

Circa tertium bene docuit P. Suarez supra necessariā esse denūciationem post Concilium Constantiense, vt alij obligentur ad vitandum suspensum.

Sed potest esse difficultas, quia suspensio nō est censura, quę prohibet cōmunicationem cum aliis: ergo siue ante denūciationem, siue post illam, non obligantur

alij ad vitandum suspensum: quomodo ergo intelligenda est illa cōstitutio loquens de suspenso?

Nauarras in summa capite 27. numero 113 absolutè dicit suspensum vitandum esse in illis, in quibus suspensus est: & tamen hoc esset dicendum post Concilium Constantiense solùm intelligi de suspenso denunciato. Verùm in iure non inuenitur directa prohibitio facta fidelibus de non communicando cum suspenso, sicut de non communicando cum excommunicato.

Dicendum est autem, communicationē cum suspēso in his, ī quibus suspensus est, posse esse peccatum ex natura rei, supposita suspensione. Vt si quis cooperaretur peccato suspensi, vel illum induceret ad violandam suspensionem; & hoc non potuit auferri per Cōcilium Constantiense, vt sæpe diximus in materia de excommunicatione: & ita ex vi decreti solùm potest colligi, vt noluerit in tali excommunicatione fideles ante denuntiationem facere contra aliquod præceptum Ecclesiasticum, vt imponens pœnam aliquam. Addit P. Suarez ante denunciationem suspēsum non esse omnino priuatum iurisdictione in bonum fidelium, sicut priuatus est post denunciationem: quod potest esse verum si subsistenti causa fidelis aliquid exigeret à suspenso.

DISPVTATIO XLIIII.

De causa materiali, seu fundamento suspēsionis, id est, de eo qui potest suspendi.

OBseruanda sunt quę diximus disputatione 23. quatenus in hac materia possint habere locum.

DVBIVM PRIMVM.

Quas conditiones debeat habere persona, quæ potest suspendi hac censura.

IN Hac censura, singulare est, vt persona punienda debeat esse clericus. Est enim pœna clericorum propria, quod est constitutum apud Doctores, & docent Summistæ, verbo suspensio, & omnes alij tractantes de suspensione, & Canonistæ in cap. Quicumque, de sentētia excom. in sexto, & vt certum docet P. Vazquez tractatu de suspensione. Vazquez.

Sed solet obijci ex Extrauaganti vnica de censibus inter communes, vbi dicitur ex tunc recipiens si clericus fuerit, tantùm ab officio & beneficio eo ipso suspensus. Si verò laicus, ingressum in Ecclesiam sibi nouerit interdictum, & communione Eucharistiæ nouerit se ipso facto suspensum: ergo Pontifex cognoscit suspēsionem aliquam respectu laicorum: sed dum de laico est sermo, suspensio non significat cēsuram, de qua nūc loquimur; sed prohibitionē eius actus. Doctores verò aliqui interdum laxè vtuntur nomine suspensionis pro prohibitione alicuius actus: interdum verò significant nonnulli posse aliquos suspendi, quatenus sunt capaces beneficij, & officij Ecclesiastici, & ita habent potentiam, & capacitatē quasi remotam, vt possit suspendi.

Deinde de summo Pontifice philosophandum est, sicut de excommunicatione diximus, & de aliis prælatis, seruata proportione, & aliis conditionibus, quę diximus in materia de excommunicatione disputat. citata: & dum authores dicunt quemlibet præter Papam posse suspendi, intelligi debēt, quemlibet à suo superiore. Quod maximè considerandum est in praxi: de quibusdam exceptis disputat P. Suarez disputatione 28 sect. 2. nu 5. Suarez. Sed in his, & aliis obseruanda est forma priuilegij.

Circa Episcopos est peculiare aliquod notandum, nempe, per generalem sententiam non possunt suspendi, iuxta caput, Quia periculosum, de sententia excom. in 6 vbi etiā est sermo de interdicto; sed de excommunicatione non fit mētio: & ideo authores dicunt illud caput non esse extendendum ad excommunicationē. Nauarrus in summa cap. 27. num. 165. P. Suarez supra num. 6. qui intellexit illud priuilegium de suspensione non solùm ab officio, sed etiam à beneficio; exceptis verò Episcopis, & eorum superioribus, vt ibidem dicitur; omnes alij clerici inferiores possunt per generalem sententiam suspendi.

Voca-

Vocantur verò in quæstionem ab aliquibus, an gaudeat hoc priuilegio Episcopus electus, & confirmatus, sed non consecratus. Et Pater Suarez sectione illa 2. à numero 7. arguit pro vtraque quæstionis parte, & tandem docet gaudere hoc priuilegio, quicumque nomine Episcopi solet intelligi.

Suarez.

Tandem solet quæri, an cùm suspendun tur clerici, comprehendantur religiosi, qui sunt clerici. Et sane ex appellatione ipsa non est causa, ob quam dicamus non comprehendi: fieri autem potest, quòd non comprehendantur ratione aliorum circunstantiarum, quæ in specie considerandæ sunt: de quo Pater Suarez supra.

DVBIVM II.

An, & quomodo suspensio in communitatem ferri possit.

SErmo autem est de communitate, secundum quod est communitas quædã, & vnum corpus morale, & quatenus quælibet persona illius potest esse capax huius censuræ.

Dicendum verò est, communitatem, vt est vnum corpus, posse suspendi: & quantum attinet ad suspensionẽ ab officio eligendi beneficia, probatur ex capite vnico ne Sede vacante in sexto, ex capite, Romana, & capite, Si sententia, de sententia excommunicationis in sexto, & ex Concilio Tridentino sessione 24. capite 16. Secundò poterit suspendi, quantum ad aliquas actiones, quas facit capitulum Sede vacante.

Item à beneficio potest suspendi capitulum, vt vnum corpus, ex capite, Quicunque, de electione in sexto.

Secundò dicendum est, si omnes personæ capituli faciant peccatum, poterunt suspendi, ac proinde totum capitulum ratione vniuscuiuslibet, vt bene P. Suarez supra sect. 3.

Tertiò dicendum est, iuxta frequentem vsum suspenditur capitulum, vt vnũ corpus, & ita est intelligenda sententia nisi aliud explicetur: hoc enim significat capituli nomen, quod fusè & bene explicat P. Suarez loco allegato à num 6.

Addendum est communitatem, quæ suspenditur, debere esse Ecclesiasticam, id est personarum Ecclesiasticarum, secundum doctrinam traditam dubio præcedenti, de persona quæ suspendi potest.

Hìc quæri possent aliqua, sicut in simili de excommunicatione, verbi gratia, an suspensus vna suspensione possit alia ligari, de qua sicut in simili dubio de excommunicato philosophandum est in aliis similibus proportione seruata.

DISPVTATIO XLIIII.

De potente absoluere à suspensione.

DVBIVM PRIMVM.

Quis possit auferre suspensionem, quæ est pura pœna.

IN Hac materia certum est, suspensionem latam pro determinato tempore, elapso eo tempore ipso iure tolli. Ita cum multis Pater Suarez disputatione 29. sectione 1. Nauarrus in summa capite 27 numero 161. duratio enim eius pœnæ pendet ex voluntate ferentis sententiam: ergo finietur elapso tempore assignato. Quæ doctrina non solùm est vera pro foro exteriori, sed etiam pro foro interiori, quia reuera non amplius obligat, quàm fuit intentio ferentis talem sententiam & pœnam. Suarez.

Addendum est, hoc tempus currere, vel à tempore latæ sententiæ, si sit ab homine; vel à tempore quo contracta est, si sit à iure, vt cum aliis docuit P. Suarez supra numero 2. nam vt supra diximus, censura statim operatur suum effectum, neque eget aliquo ad executionem.

Est verò difficultas apud Iurisperitos, an quando quis erat ligatus alia suspensione, incipiat tempus secundæ suspensionis statim à tempore latæ currere: & sunt contrariæ sententiæ, vt docet Zaborella in Clemen. 2. de Magistris. Mihi videtur statim obligare, & tempus eius currere, quia habet suum effectum, neque impeditur per priorem suspensionẽ: ergo nisi aliud explicetur in 2. suspensione,

non est causa, ob quam dicamus illud tempus non currere, vt bene P. Suarez supra qui bene resoluit tempus illud computandum esse secundum communem sensum temporis naturalis, hoc est secũdum cursum physicum.

Dubitant verò aliqui, quomodo sit intelligendum finiri tempus assignatum, de quo Pater Suarez numero 40. & re vera consideranda sunt verba sententiæ.

Et ponderandum est, cùm exigitur vltimus dies completus, vel inceptus, & idẽ est de vltimo mense aut anno: & obseruandus est communis sensus.

Rursus disputant aliqui, an sint computandi compositi ex mẽsibus triginta tantùm dierum, vel plurium. De quo fuse P. Suarez à numero 5. Ego verò certiorem regulã non inuenio, quàm vt seruetur cõmunis sensus eius Reipublicæ, in qua fertur pęna, & obseruanda est: ex hoc enim sensu sensus verborum sententiæ colligendus est facilè, siue sermo sit de mense, siue de anno.

Vlteriùs disputari solet, an sensus hic ita currat continuè, vt etiamsi suspensus violet præceptum, non dicatur interrumpi ad hunc effectum, vt teneatur suspensus posteà supplere defectum temporis, in quo violauit: in quo varij sunt, & referuntur modi dicendi. Legatur P. Suarez à num. 10.

Mihi placet in hac materia (quidquid sit de modo computandi tempus in aliis rebus) tempus suspensionis computandum esse continuè; neque censeo interrumpi per violationem: hic enim videtur communis sensus iudicis ferentis sententiam, & aliorum.

Secundò principaliter hanc suspensionem posse cessare ex voluntate superioris, à qua pendebat perseuerantia illa: nam in sententia semper includitur conditio, nisi superior, qui potest, remiserit. Vnde etiamsi suspensus sub iuramento esset obligatus ad seruandam censuram illam, maneret liber à tali obligatione, hoc ipso, quòd superior dispensasset, vel remisisset: nam iuramentum cadit supra eam obligationem, vt sit implenda, si non auferatur, vt in materia de iuramento dixi non semel.

Tertiò etiam si sit suspensio lata sine vlla temporis designatione, potest per voluntatem superioris tolli: quod certum est apud Doctores, propter dictam rationem. Et hęc de suspensione lata à iudice.

Quartò, quando suspensio est à iure, & canone, solùm ab authore canonis auferri potest ante elapsum tempus: est communis cum Glossa in caput, Accipientes, de electione in sexto: quia pendet ab eius voluntate. Vnde inferior non potest illam auferre; superior verò poterit.

Sed potest obiici à simili, nam excommunicatio ad tempus certum lata potest tolli ante illud impletum, capite, Nuper, de sententia excommun. ergo à simili. Couarrub. in quartum Decretalium, 2. parte capite 6. sequitur communem opinionem Iuristarum, qui ita philosophantur de excõmunicatione; dicit tamen nõ esse eandem rationem de suspensione; sed non assignat rationem discriminis: de quo fuse Pater Suarez sectione citata à numero 16. fortè aliquis posset assignare discrimen ex diuersa dispositione iuris positiui.

DVBIVM II.

Quomodo, & à quo tollatur suspensio, quæ fertur ob contumaciam.

ALiqui docent suspensionem à iure latam, si reseruata nõ sit, posse tolli ab ordinario, quia in caput, Nuper, de sententia excom. hoc conceditur de excommunicatione, & aliqui intelligunt habere locum in suspensione ista, vt refert P. Suarez disputatione citata sectione 2. num. 2.

Sed P. Suarez, & alij dicunt non esse eandem rationem de excommunicatione, & de hac suspensione, propter maiorem necessitatem absolutionis ab excommunicatione, & absolutionis ab hac suspensione.

Hæc enim suspensio non priuat suffragiis Ecclesię, sicut priuat excommunicatio; neque priuat receptione sacramentorum. Et hoc facilè intelligetur esse verum, quando suspensus non recessit à contumacia, neque exhibuit satisfactionem.

Restat

Restat explicandum, quid sit faciendum, si recessit à contumacia, & offert satisfactionem.

Aliquorum opinio est, in hoc euentu nõ egere absolutione hominis, sed ipso facto manere absolutum. Ita Innocentius in caput, Sicut, de cohabitatione clericorũ & mulierum, & in caput, Ex literis, de constitut. hæc enim suspensio est similis latæ vsque ad certum tempus, quia in ea videtur tacite inesse conditio, nisi recesserit à contumacia, & satisfecerit.

Secunda opinio, in hoc euentu esse necessariam absolutionem. Ita Syluest. verbo suspensio numero 8. Et mihi placet, quia non video ius aliquod, quo sit statutum hanc suspensionem tolli ipso facto, ergo requiritur absolutio, neque probatur includere à principio eam conditionalem absolutioné, quia absoluté fertur, de quo fuse, & bene philosophatur P. Suarez infra.

Deinde explicandum est, à quo debeat fieri hæc absolutio. Et dicendum est primò, si sit lata ab homine, posse ab ipso tolli, qui illam tulit, vel à suo superiore, Pater Vazquez tractatu de suspensione.

Secundò, si sit lata à iure reseruata, solùm poterit absolui ab authore, vel à superiore illius. Si verò non sit reseruata, communis opinio est tolli posse ab ordinario, vt sectione 2. in fine docuit P. Suarez. P. Vazquez supra. Vazquez.

Tandem quantum ad formam absoluendi à suspensione dicendum est, non esse assignatam certam aliquam formam verborum. Solent verò absoluentes vti his verbis. *Absoluo te à vinculo suspensionis, quam incurristi, & restituo te ad executionem tui muneris, officij, vel ordinis.* Legatur Syluester, Angelus, & Tabiena, verũ absolutio. Pater Suarez supra sectione 3. & non sunt alia necessaria, nisi ista, vel similia, quæ sufficienter explicant voluntatem absoluendi, & effectum absolutionis. Vnde prædicta verba consuetudine absolutionis, nec sunt de essentia, nec de necessitate præcepti: non est enim ius aliquod, ex quo colligatur præceptum; sed vt dixi, solùm est necessarium exprimere voluntatem absoluentis, & effectum absolutionis à peculiari censura: quod paucissimis verbis fieri potest consideratis circunstantiis.

De solemnitate accidentali, Nauarrus in summa cap. 27. num. 101. putat ante absolutionem exigendum esse à suspenso iusiurandum de satisfaciendo, aut obediendo: & citat caput, Super eo, & caput, Venerabilis, de sententia excommunicat.

Tamen in priori capite non est sermo de sola suspensione, sed coniuncta cum excommunicatione; in secundo verò est sermo de absolutione ad cautelam, & quæ poterat cadere in præiudicium tertij: in quo ratio naturalis exigit, vt cautio exhibeatur saltem iuratoria.

Hic poterant disputari alia, quæ in simili de potente absoluere disputata sunt disputatione 24. & obseruanda est doctrina ibi tradita iuxta exigentiam materiæ huius.

DISPVTATIO XLV.

Quomodo differant suspensio, & depositio.

AD Exactiorem rationem naturæ suspensionis explicandum est, quomodo differant suspensio, & depositio: necessarium autem est aliquid dicere de natura depositionis: de qua legi potest P. Auila de censuris part. 4. Auila.

DVBIVM PRIMVM.

Quomodo differant depositio, & suspensio à beneficio, & ordine.

NOmen depositionis varias habet significationes. In hac verò materia sumitur, vt significat pœnam Ecclesiasticã, qua aliquis deponitur ab officio, vel beneficio, & in hoc dubio volumus explicare, quomodo differant suspensio, & depositio à beneficio. Et dicendum est, depositionem significare priuationem beneficij, suspensionem verò fructus illius. Ita docet Pater Suarez disputatione 3. sect. 1. numero 4. qui concedit ex vi suspensionis, etiã per statũ, non priuari ipso beneficio: nã obtẽta dispẽsatione, vel absolutione, poterit illud retinere: depositio autem ex vi sua aufert ipsum beneficium pro iure & radice, P. Vazq. tractatu de suspẽsione Suarez.

in principio dixit depositionem esse per statum; suspensionem verò, vel esse ad tem pus, si totius beneficij; vel si est perpetua, non est totius, sed partis.

Sed ad exactam doctrinam naturæ depositionis potest quæri, an in depositione possit fieri dispensatio. Vt huic quæstioni satisfaciat Pater Suarez, prius dicit depositionem simpliciter sumptam esse perpetuam, & ita constituit personam inhabilem ad beneficium.

Deinde dicit, in depositione, quantum ad priuationem, nô fieri dispensationem, quia est pœna de se perpetua, & tota simul: & licèt possit restitui beneficium, tamen hoc non est propriè dispẽsare: in depositione autem dicit, quòd quantum ad inhabilitatẽ possit dispensari à Pontifice.

Circa secundam partem dicendum est, depositionem ab ordine, & suspensionem ab ordine, esse aliquid diuersum, & vt diuersæ pœnæ referuntur iniure, capite, Et si aliqui, de iudiciis, & capite 2. de pœnis in sexto: & istæ voces solent aliquando vtramque pœnam significare, vt ex aliis Doctoribus notat P. Suarez supra num. 10. *Suarez.*

Verùm secundum proprietatem peculiarem, depositio significat priuationem perpetuam & irremissibilem, non tamen suspensio. Ita Syluester verbo degradatio, Nauarrus capite 27 numero 151. & alij communiter. Vnde vt supra numero 12. dixit Pater Suarez, suspensio perpetua, & degradatio, vix possunt distingui, quia neutra priuat ordine, & vtraque priuat vsu perpetuò.

Potest verò esse difficultas, an depositio perpetua priuet hominem beneficio isto iure, & reddat inhabilem ad noua beneficia: de quo legi potest P. Suarez disp. cit. sect. 1. à num. 13. Breuiter dicendum est, depositionem ab ordine, vel ab officio hanc à iure latam non habere hunc effectum ipso iure, quia nullum est caput, ex quo id colligatur.

Suarez. Secundò addit Pater Suarez, probabile esse, per depositionem perpetuam latam ab homine, ipso iure priuari hominem beneficio. Pro qua opinione citat Syluestrum verbo degradatio. Et probari potest, quia cùm beneficium detur propter officium, priuatus officio in perpetuum videtur manere priuatus beneficio.

Sed cùm non sit aliquod caput, quod hoc statuat, considerandum est, an per hominis sententiam fiat talis priuatio; aliàs non est asserendum, etiam fieri. Et communis sensus videtur, fieri talem priuationem.

Deinde quærit P. Suarez à num. 18 quæ solemnitas requiratur in depositione, quæ ad degradationem ordinatur: & in 2. capite de pœnis in sexto, dicitur hanc depositionem debere fieri à proprio Episcopo: docet verò P. Suarez per hoc non excludi, quin fieri possit de licentia proprij ab alio, imò poterit committi sacerdoti alteri, iuxta Concilium Tridentinũ sess. 13. cap. 4 de reformatione.

Additur in citato capite 2. quòd si depositio est à solis minoribus ordinibus, sufficit proprius Episcopus; quando verò est ab ordine sacro, requiritur præsentia aliorum Episcoporum. Sed modò obseruandum est decretum Concilij Tridentini sess. 13. c. 4. Multa de depositione legi possunt apud P. Suarez sect. illa 1.

DVBIVM II.

Quomodò degradatio à suspensione, & depositione differat.

Degradatio vox est Canonici iuris, & significat pœnam quandam, qua clerici puniuntur.

Comparatur verò depositio, & degradatio, sicut sententia, & sententiæ executio, vt constat ex capite 2. de pœnis in sexto. Facilè verò intelligitur, degradationem conuenire cum depositione, & suspensione perpetua in aliquibus prædicatis. Sunt enim pœnæ Ecclesiasticæ impositæ ob peccatum graue. Speciatim verò conueniunt degradatio, & depositio verbalis, quæ ad illam ordinatur, quòd neutra fertur à iure ipso facto incurrenda. Item imponuntur eisdem criminibus, quia veluti vnam componunt integram pœnam: conueniunt etiam in eo, quod constituunt hominem infamem.

Differt verò actualis degradatio à depositione per solemnitatem: est communis doctrina, iuxta caput 2. de pœnis in sexto, & legi potest Pater Suarez supra sectione secunda. Deinde differunt, quia degra- *Suarez.*

degradatio priuat priuilegio clericali, quod non facit sola depositio. Ita colligunt Doctores ex cap 2.de poenis in 6.& inferunt Doctores degradatum non gaudere priuilegio Canonis, *si quis suadente*. Vnde si quis percuteret degradatum,non incurreret censuram illius Canonis. Item degradatus manet subiectus foro seculari post degradationem. Quando verò differat degradatio à suspensione,constat ex dictis.

Iuxta dicta potest describi, depositio est priuatio perpetua clericalis muneris per Ecclesiasticam sententiam cum debita solemnitate iuris prolatam: degradatio verò est similis sententia cum reali executione.

Suarez. Docet verò P.Suarez sectione citata, numero 9.has non esse censuras,quia non sunt sententiæ medicinales, sed vindicatiuæ tantùm pœnæ.

De causa efficienti depositionis, & degradationis,constat ex dictis esse Episcopum,cum requisitis à Concilio Tridentino sessione 13. capite 4. de reformatione.

Item constat,quis possit degradari,& deponi:quod pertinet ad causam materialem.

Item explicata est causa formalis, & modus ferendi has sententias: explicati etiam manent effectus.

Tandem de potente remittere has pœnas non est difficultas, quia iure ordinario non auferuntur, & naturæ illarum repugnat. Sed non est dubium, quin Summus Pontifex possit eas remittere.

LIBER QVINTVS.

DISPVTATIO XLVI.

De suspensionibus iure latis.

RESTAT Dicere de suspensionibus iure latis,sicut de ex communicationibus diximus suo loco.

DVBIVM PRIMVM.

De suspensionibus sex, quas clericus potest incurrere in ordinatione.

MVltæ sunt suspensiones in hac materia,quas sigillatim dicemus: & in hoc dubio explicabimus sex.

Prima dicitur contrahi ab eo,qui suscipit ordines ab Episcopo,qui renunciauit Episcopatum.Vt habetur capite 1.de ordinato ab Episcopo,qui renunciauit Episcopatum. Quod non decernit Pontifex absolutè,sed cum quibusdam conditionibus:distinguit enim Põtifex de eo,qui renunciauit Episcopatum,quantum ad locum,id est,quantum ad iurisdictionem; vel qui renunciauit quãtum ad potestatẽ, seu exercitium ordinis:& potest quis ordinari ab eo,qui solùm priori modo renũciauit, si alia adsint, vt docet P. Suarez disp.31.sect.1.num.3. Suarez.

De Episcopo,qui posteriori modo renunciauit, adhuc subdistinguit Pontifex de suscipiente minores ordines, vel sacros cum ignorantia,vel de eo,qui cum scientia.Quę verba iuxta doctrinam sæpe de excommunicatione traditã explicanda sunt.Et legi potest Pater Suarez supra.

Secunda suspensio contrahi dicitur ab eo,qui ordinatur ab alieno Episcopo sine licentia proprij. Citatur caput, Eos qui,de temporibus ordinandorum in sexto;sed ibi ponitur pœna ordinantis, non ordinati. Alia etiam capita adducuntur, quæ dubium habent sensum; & de suspensione ferenda potest exponi,& ita est dubium,an hęc suspensio sit lata, vel ferenda.

Glossa in citatum caput, Eos qui, putat solùm esse ferendam:& pro hac opinione citatur ab aliquibus vsus Curiæ

Romanę, alij contrarium sentiunt; sed quidquid sit de illo capite, hæc censura, est imposita ipso iure à Pio II. Extrauaganti, Cùm ex sacrorum, quæ est sexta illius in Bullario. Legatur Nauarrus in summa cap. 27. num. 155. & 241.

Addendum est hanc censuram non incurri, nisi propter culpam eius, qui ordinatur. Vnde posset excusari à censura ob ignorantiam inculpabilem. Secundò non incurritur in casibus, in quibus potest quis ab alieno legitimè ordinari. Sunt autem multi casus huiusmodi, de quibus legi potest Pater Suarez disput. 31. sectione 1. Suarez.

Et breuiter primus est, quādo proprius Episcopus est suspensus ob crimen ordinandi alienos, tunc enim si suspensio sit nota, ipso iure cōceditur subditis, vt possint ab altero ordinari sine licentia proprij: habetur dicto capite, Eos qui, de temporibus ordinandorum in 6.

Secundus casus est, quando quis per triennium habitat cum Episcopo aliquo, tanquam de familia eius, potest ab eo ordinari sine licentia proprij, ex concessione Trident. sess. 23. cap. 9. Sed apponit con ditionem Concilium, dummodo sic ordinato Episcopus ordinans det statim beneficiū. Hæc verò concessio non debet intelligi respectu Episcopi titularis, iuxta sessionem 14. cap. 2. de reformatione.

Tertiò solet excipi quando vnus Episcopus ordinat subditum alterius sub specie ratihabitionis, & potest sumi ex cap. vltimo 9. quęst. 2. Et ita sensit Raimundus in summa, titulo de forma cōsecrationis, & Maiolus lib. 4 de irregularitate cap. 2. num. 7. qui citat pro hac opione alios, & P. Suarez supra num. 17. dicit hanc limitationem non esse omnino reiiciēdam, quia in citato capite vltimo 9. quæst. 2. refertur factum Epiphanij, qui ordinauit in diœcesi Chrysostomi, quod non faceret, nisi ex ratihabitione illius.

Ego verò existimo, seclusa ignorantia, ex sola ratihabitione non posse ordinare alium Episcopum, neque conferre ordinem non sibi subdito per solam ratihabitionem de futuro. Et primò quantum ad forum exterius iudicabitur suspensus talis ordinatus, quia verè ordinatus est ab altero sine licentia proprij, & præsertim si non constet de ratihabitione.

Proinde absolutè ille ordinatur sine licentia proprij, quia ratihabitio de futuro non est licentia de præsenti, & ita vt licitè fiat ordinatio, requiritur, vt ordinatus sit subditus ordinantis, vel quòd de licentia proprij ordinetur. Denique, quia talis opinio posset esse causa damnorū in Ecclesia, & scandali: & ideo in praxi admittenda non est. Et hanc opinionem sequuntur multi Doctores, quos refert & sequitur Salcedo in caput 26. practicæ criminalis Bernardi Diaz. Vnde & in capite, illo vltimo 9. q. 2. datur pœnitentia, & satisfactio imponenda sic ordinatis, ex quo constat ibi non omnino approbari factum Epiphanij.

Item excipiunt Doctores casum, in quo quis solum suscepit ab alieno ordines minores, & colligitur ex textu citato, quia sit mentio ordinis sacri. An verò aliquid sit de hac materia in Concilio Tridentino, constabit ex dicendis de suspensionibus latis in Concilio Tridentino.

Tertia suspensio fertur contra eum, qui ante legitimam ętatem suscipit ordinem. Est verò controuersia, an hæc suspensio colligatur ex iure antiquo, & quidquid de hoc sit, constat iam ex Extrauag. Pij II. supra citata, quam Pius V. & Sixtus V. & Clemens Octauus confirmant constitutionibus suis.

Sed difficultas est, an quis incurrat hanc censuram, si bona fide procedat. Et philosophandum est secundum generalem doctrinam de ignorantia, de qua supra disp. 5. & legi potest P. Suarez disp. 31. sect. 1. à num. 25. Nauarrus cap. 7. num. 15. Suarez.

Item solet quæri, an hæc censura comprehendat eum, qui ante legitimam ætatem consecratur Episcopus. Et breuiter respondendum est, non comprehendere, quia ibi non est sermo de Episcopatu.

Quarta suspensio fertur in eum, qui suscipit ordinem extra tempus assignatum ab Ecclesia. Est verò controuersia, an sit lata de iure antiquo, vel ferenda: & sunt cōtrariæ opiniones, quas refert P. Suarez supra n. 3. & meo iudicio, secundum ius antiquum non facilè probatur esse latam. Sed nobis satis sit hoc loco dicere in cit. Extrauaganti Pij II. latam iam esse.

Addunt aliqui, vt incurratur hæc censura, necessariam esse culpam grauem iuxta communem doctrinam sępe à nobis traditam.

Quin-

Quinta fertur in eum, qui ficto titulo ordinatur: colligitur ex capite, *neminem*, & capite, *Sanctorum*, septima distinctione. Et aliis omissis sciendum est, Sixtum V. motu proprio, qui incipit Sanctum, & salutare, hanc pœnam imponere omnibus, qui sine sufficienti titulo beneficij, vel patrimonij, se faciat ordinari.

Circa hoc solet esse speciale dubiũ, an qui habuit à proprio Episcopo dimissorias literas ob titulũ patrimonij donati, si ante ordinationẽ faciat renunciationem eius donationis, incurrat hanc suspensionem.

Nauarrus speciali tractatu de hac re dicit hanc suspensionẽ non incurrere, quia renũciatio nõ est valida, & ita prior donatio manet, & verus titulus.

Sed P. Suarez supra num. 37. contrariũ putat securius: quia licèt talis renunciatio non sit valida, tamen sufficiens videtur, vt literæ dimissoriæ impetratę ab Episcopo sint subreptitiæ. Verùm hæc ratio probat ex alio capite, posse incurri suspensionem, nempe ex defectu literarũ dimissoriarum: sed quantum est ex defectu tituli, vera videtur sententia Nauarri.

Deinde quæri potest, an incurratur suspẽsio ipso iure, si post susceptum ordinem fiat renunciatio rei donatę. De hac materia specialiter Concilium Tridentinum sessione 21. cap. 2. prohibuit alienationes rei donatæ ad ordines suscipiendos, sine licencia Episcopi, donec habeat ordinatus alia bona, ex quibus viuere possit: & sine dubio violatio huius præcepti ex obiecto peccatum est graue: Sed non video suspẽsionem impositam esse propter tale peccatum.

Sciendum verò est, prædictum decretum Concilij Tridentini confirmatũ esse à Pio V. qui extẽdit illud ad religiosos, qui vota solemnia nõ emiserũt, proprio motu anno 1568. qui incipit, Romanus Pontifex. Sed hunc proprium motum quantum ad religiosos nostræ Societatis post emissa tria vota simplicia biẽnio expleto reuocauit Gregorius Decimustertius in Bulla quadam, qua confirmauit nostrum institutũ. Vt notauit P. Vazquez tom. 3. in 3. part. disp. 246. cap. 6. in fine. Vazquez.

Dubium autem esse solet, an si quis ficto titulo suscepit subdiaconatũ, vel diaconatum, & postea absolutus à suspensione possit sine nouo titulo patrimonij ad superiorem gradum ordinis ascendere. Et dicẽdum est non posse, quia iura absolutè prohibent susceptionẽ ordinis sine titulo, & non tantũ subdiaconatus susceptionem, vel diaconatus.

Sexta suspensio fertur in eum, qui non seruatis interstitiis tẽporum ab Ecclesia signatis pro ordinibus suscipiendis, ordinatur: hoc autem potest variis modis contingere, quos referam, vt constet quid ius vetus, & quid nouum definiat.

Primus est, si eodem die quis suscipiat plures ordines, hoc enim prohibitum est, quod non solùm intelligitur de eodẽ die naturali, sed etiam de eodem die iuris fictione canonica, verbi gratia, prohibitum est die Sabbathi vnum ordinem suscipere, & alium die Dominico matutino tempore, etiam seruato ieiunij Sabbathi: talis enim dicitur vnus dies iuris fictione, & sumitur ex Leone Papa epistola 79. capite 1. & habetur capite, Quod à Patribus 75. dist.

Et prædicta suspensio sumitur ex capite, literas de temporibus ordinandorum, circa quod caput, dubitari solet, an ibi sit lata ipsofacto suspensio, vel imponatur ferenda. Et communis sensus videtur asserentium esse suspensionem latam: ita Nauarrus in summa cap. 25. num. 71.

Sciendum est, non solùm esse prohibitũ eodem die suscipere duos ordines minores, sed etiam prohibitum esse suscipere minores ordines, & subdiaconatum iuxta Concilium Tridentinum sessione 23. cap. 11.

Difficultas verò est de eo, qui continuatis diebus plures ordines suscipit: quod etiam est contra ordinem Ecclesiæ, quæ assignauit certa tempora pro ordinibus suscipiẽdis, & propter tale peccatũ incurritur suspensio supra explicata.

Aliud peccatum potest esse in hac materia, si quis legitimis temporibus suscipit ordines à legitimo ministro, sed non seruato interiecto tempore necessario inter vnum & alium ordinem iuxta decretum Trident. sessione 23. capit. 13. & 14. Et quamuis propter hoc peccatum lata fuerit suspensio à Sixto V. tamen illa iam est sublata.

DV-

DVBIVM II.

De aliis suspensionibus circa suscep- tionem ordinum.

ALia suspẽsio fertur in eum, qui per saltũ ordinem suscipit, id est in eũ, qui prætermisso ordine inferiori suscipit superiorem: habet enim ordines inter se ordinẽ ex institutione Christi. Sed difficultas est inter Doctores, an hæc suspensio incurratur ipso facto: & aliqui negant, quia iura exponi possunt de suspensione ferenda à iudice. Hanc opinionem sequũtur non pauci, quos refert, & sequitur Bernardus Diaz in practica criminali cap. 24.

Aliorum sententia est esse suspensionẽ latam. Ita sensit Sotus 4 dist. 25. q. 1. art. 3. Nauarrus in summa cap. 25. num. 71. & alij, quos citat, & sequitur P. Suarez disp. 31. sect. 2. à num 47. & probatur, quia capite vnico de clerico per saltum promoto dicitur, illum non posse suscipere inferiorem ordinem prætermissum sine licentia, & dispẽsatione saltem Episcopi, ergo signum est fuisse suspensum: vnde & Concilium Tridentinũ sessione 23. cap. 14. concedit Episcopis, vt possint cum promotis per saltum dispensare, si non ministrauerint: non videtur autem esse aliud, in quo sufficiat dispensare, nisi in prædicta suspẽsione: quare hęc opinio videtur probabilior.

Dubitant nonnulli, an si quis per saltum consecraretur Episcopus, incurreret hanc suspensionem. Et breuiter dicendum est non incurrere, quia in citato capite non est sermo de ordine Episcopali, sed de inferioribus ordinibus iuxta eundem sensum Doctorum; & vt dixit P. Suarez supra nu. 43. si per saltum vellet quis fieri Episcopus sine charactere sacerdotali, nihil efficeret: de quo in materia de ordine. Legatur P. Vazquez tomo 3. in 3. part. in materia de Ordine.

Suarez.

Vazquez.

Alia suspensio lata est contra eum, qui post contractum matrimonium suscipit ordinem sacrum, alio modo quàm sacri Canones permittunt. Ita Ioann. Extrauag. Antiquę, de voto, quæ clarissima est: ex qua, si attentè legatur, solui possunt fa cilia quædam, de quibus aliqui dubitant: est autem hæc suspensio formaliter à solo ordine suscepto post matrimonium cõtractum, & permanet etiam soluto, & finito matrimonio.

Alia suspensio lata est in eum, qui excommunicatus suspensus ab ordine, vel interdictus, ordinatur. Adducuntur plura iura ad probandum hanc suspensionem, ex quibus non colligitur, vt vidit P. Suarez supra num. 57. colligitur verò ex capite, Cùm illorum, de sententia excom. vbi expresse statuitur, & videtur loqui de omnibus ordinibus etiam minoribus, vt exposuit Anton. 3. p. tit. 24. cap 76. in sexto effectu, Syluester excommunicatio 3 quęst. 14.

Suarez.

Sed quæritur, an si talis cum ignorantia ordinetur, incurrat hanc suspensionem. Et sunt contrariæ opiniones, & diuersi aucto res; sed obseruanda est doctrina tradita de ignorantia supra disp. 5. Notandum verò est, aliquos velle hanc suspẽsionem incurri sine peccato, quod non est pęna: sed non satis probatur non esse pęnam.

Alia suspensio fertur in eum, qui ab Episcopo excõmunicato suscipit ordines, iuxta Doctores. Incipit primum, & secun dum de schismaticis, & colligitur explicatis capitibus, quæ habentur 9. quæstione 1.

Circa hanc suspensionem etiam quærunt aliqui, an eam incurrat qui ignoranter suscepit ordines. Et aliqui affirmant, quia censent non esse pœnam, & ita non esse requisitam culpam, & probant ex capite, Si quis 1. quęst. 1. & capite, Ab excõmunicatis 9. quęst. 1. & ita cum aliis Doctoribus sequitur P. Suarez supra nu. 62. iura enim videtur loqui etiam in casu ignorantiæ.

Suarez.

Sed contrarium sequuntur alij, quos P. Suarez refert loco allegato, & videtur probabilis opinio, quia iura non loquuntur expresse, & possunt explicari de ignorantia culpabili: si enim sit inculpabilis, omnino nõ probatur hominem incurrere hanc suspensionem.

Item dubium esse potest, si quis ordina tur per metum cadentem inconstantẽ virum. Et affirmãt aliqui talem metum excusare à censura. Ita Nauarrus cap. 27. nu. 24. & alij.

Contrarium sequitur Pater Suarez numero 63 ex eo quòd docuerit cum aliis hanc suspensionem non esse pœnam. Sed mihi magis placet sententia Nauarri, quo posito

posito cessant quędam alia, quæ tractari solent circa hanc censuram. Legatur supra P. Suarez.

Suarez.

De alia suspensione circa susceptionẽ ordinum à coniugato agit P. Tho. Sanchez lib. 7. de matrimonio disputatione 49. à num. 9.

Hic disputant aliqui, an istæ suspensiones possint imponi ob peccata externa, per accidens tamen occulta. Sed quæstio est generalis de lege pœnali, de qua authores in materia de legibus: & legi potest P. Suarez supra à num. 67. & certum debet esse, Ecclesiã posse has pœnas imponere ob peccata occulta per accidens, quia verè ex natura sua possunt cognosci ab Ecclesia.

DVBIVM III.

An sit suspensio lata ipso iure, propter vsum ordinis cum violatione censuræ interdicti.

IN Hac materia prima suspensio dicitur lata ipso iure in clericos, qui solemniter vtuntur ordine in loco interdicto. Ita Syluester verbo interdictum 3. numero 6. Angelus interdictum 7. num. 7. & alij, & dicit esse suspensionem ab officio & beneficio Colligitur verò ab his Doctoribus, ex capite, Lata, de excessibus Prælatorum. Sed vt bene vidit P. Suarez supra sect. 2. ex hoc textu non colligitur suspensio lata, sed ferenda, vt legenti constabit.

Suarez.

Item citari solet caput, Postulastis, de clerico excommunicato ministrante, sed ibi supponitur excommunicatio, & dicuntur clerici seculares violatores interdicti, spoliandi beneficiis, non verò fertur suspensio ipso iure.

Deinde citari solet caput, Is qui, de sententia excomm. in sexto. Sed ibi irregularitas imponitur, non suspensio, quæ est censura, & differt ab irregularitate.

Adducitur caput, Episcoporum, de priuilegiis, in sexto: sed ibi non est sermo de solis clericis, sed etiam de laicis: & ita non est sermo de censura, de qua modò agimus.

Adducitur caput, Quia in diuersitate, de concess. præbendarum. Sed ibi solùm est sermo de Episcopo suspenso.

Secundus alius casus est, in quo dicitur lata suspensio, quando clericus celebrat coram excommunicato, vel interdicto, vel admittit illum ad diuina, vel ad sepulturam Ecclesiasticam, & adducitur caput, Episcoporum, de priuilegiis in 6. Sed ibi non fertur pœna suspensionis propria clericorum, sed potiùs quasi interdicti communis laicis.

Tertius casus assignatur de clerico, qui dat sepulturæ corpus publici vsurarij: habetur capite, Quia in omnibus, de vsuris: de quo capite aliqua dixi in materia de vsuris, agens de pęnis vsurarii.

DVBIVM IIII.

Quando incurrant clerici alias suspẽsiones ob crimen contra propriam obligationem clericorum.

PRimus casus, in quo ponitur suspensio propter peccatum contra propriam clerici obligationem, quando clericus nõ vtitur vestitu secundum formam iuris, habetur Clementina 2. de vita & honestate clericorum, & verba illius sunt clara. Maximè verò est consideranda consuetudo loci circa vestitum clericorum. Docet autem Nauarrus capite 27. numero 157. ad incurrendam hanc censuram non sufficere, si quis ex peculiari occasione semel vtatur vestibus illi prohibitis.

Secundus casus habetur capite 2. de solutionibus, vbi refertur suspensio in clericos habentes beneficium, vel curam ordinis Ecclesię, qui eam alienis debitis grauant; vel literas dant, quibus possit Ecclesia obligari. Legatur Angelus verbo suspensio 1. num. 10. & Syluester num. 6.

Tertius casus est de his, qui vacãte Sede alicuius cathedralis, regularis, aut collegiatæ, occupant bona, quæ ad prælatum defunctum pertinent, & suspendũtur ab officiis, & beneficiis. Legatur textus.

Quarta suspensio fertur Clem. 2 de magistris, vbi cancellarius, vel ille, ad quem pertinet gradum conferre, suspenditur, si cuipiam talem gradum contulerit, non prius recepto iuramento, quòd vltra certam summam ibi taxatam pecuniæ non expendat. De qua summa legi potest Couarrubias de collatione capite 3. §. 2. n. 8.

sed

Suarez. sed bene notat P.Suarez supra sectione 3. num 4. hanc constitutionem in multis Academiis non esse vsu receptam.

Quinta est contra electores Episcoporum, qui intra octo dies postquam commodè potuerint electionem factam non præsentauerint, & in hoc culpabiles extiterint, & suspenduntur per triennium à beneficiis, quæ obtinent in Ecclesia, ad quam pertinet electio, de qua agitur cap. Cupiens, de electione in 6. sed fere non est in vsu.

Sexta est de compromissario eligente indignum, suspenditur enim per trienniũ à beneficiis Ecclesiasticis, capite, Si compromissarius, de electione in sexto, vbi res optime explicatur, & textus est clarus. Legatur Angelus verbo suspensio numero 27. & Pater Suarez sectione 3. citata numero 7. Suarez.

Septima fertur contra eos qui eligunt indignos in Episcopatum, vel inferiores dignitates. Suspenduntur enim per triennium ab Ecclesiasticis beneficiis, capite, Cùm in cunctis, de electione, & res est clara.

Octaua sumitur ex Extrauaganti vnica inter communes, de postul. prælatorum, vbi qui ad Cathedralem Ecclesiam postulat eum qui 27. annum non attigit, vel qui religiosum mendicantem ad inferiorem Cathedrali Ecclesia postulat, ea vice potestate postulandi, & eligendi, & à beneficiis, quæ in illa Ecclesia habet, per triennium suspenduntur.

Nona fertur contra eum, qui in persona electi aliquod opponit, & in probatione defuit: suspenditur autem à beneficiis Ecclesiasticis per triennium, capit. 1. de electione in sexto.

Notandum est, non esse sermonem in hoc capite de electione ad quodcumque beneficium, sed de electione ad personatus, dignitates, & canonicatus.

Decima est in eum, qui ad Ecclesiasticam præbendam per abusum secularis potestatis eligitur, & tali electioni consentit. Probari solet hæc suspensio ex capite, Quisquis, de electione, vbi hæc verba habentur, Electionis cùm modo careat, & intelligibilis sit, nec absque dispẽsatione ad aliquam valeat eligi dignitatem. Sed hęc verba non suspensionem, sed priuationem, & inhabilitationem significant: & ideo Panormit. ibi eam appellat irregularitatem. Dicitur verò electio fieri per abusum secularis potestatis, si fiat ab electoribus Ecclesiasticis, quando secularis Princeps vult esse præsens illi electioni, aut aliquid simile cõtra rationem faciat, vt aliquis eligatur.

Vndecima sumitur ex capite, Exigit, de censibus in sexto, vbi omnes clerici inferiores Episcopo, qui visitant, aut sunt visitatores, & sui familiares, & non seruant cõstitutionem Innocentij IIII. in cap. Romana, eodem titulo, de non recipiendis pro visitatione, aut debita procuratione pecuniis, aut aliis muneribus, si ea quę recipiant, intra mensem duplum non restituant, suspenduntur ab officio, & beneficio, donec similem restitutionem faciant Ecclesię, à qua aliquid receperunt; neque illis valet gratia, aut remissio facta ex liberalitate creditoris.

Duodecima fertur in Extrauag. 3. de priuilegiis, & fertur in eos, qui conferunt vel recipiunt beneficia eorum, qui pro suis negotiis ad Romanam Curiam profecti sunt, vel qui in ea curia aliqua negotia exercent.

Decimatertia est de iudice Ecclesiastico, vel delegato, qui in iudicio aliquid facit cõtra iustitiã cùm grauamine alterius partis, & suspenditur per annum ab executione officij ipso iure, capite 1. de sententia & re iudicata in 6.

Alius casus sumi potest ex capite vltimo de officio delegati in sexto, vbi suspẽduntur ipso facto per annum iudices conseruatores, qui de aliis quàm de manifestis iniuriis, & violentiis scienter se intromiserunt, vel ad alia, quæ iudicialem indaginem exigunt, suam extenderunt potestatem.

DVBIVM V.

De suspensionibus, quas clerici incurrunt ob peccata aliis hominibus communia.

IN Hac materia casus potest esse de clerico publico cõcubinario.

Et est difficultas, an sit suspensus ipso iure.

Prima opinio est asserentium esse suspensum ipso iure. Pro qua sententia plures refert P. Suarez supra sect. 4. num. 4. Suarez.

sentit Nauarrus in summa cap.25.nu.75. & cap.27.num 154.& probari solet primò ex capite vltimo de cohabitatione clericorum & mulierum,& ex capite, Si qui sunt 81.disp.cap.Nullus,& cap. Præter 32 dist.& cap.vltimo 15.q.8.& cap. Sacerdos dist.50.

Sed contrariam sententiam docuit Sotus 4.dist.1.quæst.5.art.6.& dist.13.q.1. art.9.vbi fatetur iure antiquo latam fuisse talem suspensionem,sed iam cessasse, & Sotum sequutus est Medina in summa lib.1.cap.1 1.§.8.qui Doctores non assignant ius nouum, per quod fuerit antiquum abrogatum,sed per non vsum putant cessasse. Et P.Suarez disp.31.sect.4. à num.10.hanc sententiā docet,ait enim num.1.quòd licèt probabile sit in iure antiquo fuisse latam talem suspēsionem, tamen ex vsu & consuetudine satis constare nō incurri eam suspensionem propter tale crimen.Secundò probat ex Concilio Tridentino sess.25.cap.14.de reformatione,vbi hoc videtur supponi. Dicit enim hos clericos puniendos suspensione, si opus fuerit,iuxta sacros Canones, ergo supponit iuxta eos non esse ipso iure suspensos.Deinde à num.12.docte ostēdit etiam ex iure antiquo,non satis colligi hanc suspensionem latam. Legatur ibi.

Quomodò sit intelligenda suspensio secundum opinionem asserentium latam esse,bene explicat Toletus lib.1.summæ cap.48.

De crimine sodomiæ difficultas est,an sit iure antiquo lata suspensio in clericos propter illud,& sunt variæ sententiæ; & verior est non esse latam talem suspensionem.Legatur Pater Suarez supra numero 20.

Sed Pius Quintus sua constitutione 70 magnam pœnam imposuit clericis propter hoc crimen,nempe priuationem priuilegij clericalis cuiuscumque officij, & dignitatis, & beneficij Ecclesiastici, & loquitur de eo qui exercet tale peccatū. Vnde non sufficit ad eam pœnam semel, aut iterum semel commisisse.

Item loquitur de clericis secularibus, aut regularibus.

Suarez. Notat verò P. Suarez disp.31.sect.4. num.21.ad incurrendum hanc pœnam non sufficere quamcumque pollutionem cum alio,sed necessarium esse actum sodomiæ consummatum per copulam.Hæc est enim simpliciter sodomia;& de illa debet intelligi lex pœnalis.

Item multi viri docti putant,quantum ad religiosos,nō esse vsu receptum,vt iudex secularis de illis iudicet: circa quam legem plura possunt disputari,quę pertinent ad materiam de legibus in communi.

Alia suspensio imponitur ob crimen simoniæ,de qua dixi in materia de simonia,& legi potest P. Suarez disp.31. de censuris sect.4.à num.29.

DVBIVM VI.

Quæ suspensiones sint ipso iure latæ contra Episcopos.

VNa suspensio imponitur Episcopo ob collationem simoniacam, de qua in materia de simonia diximus, & P. Suarez disp.31.de censuris sect.4.

Alia imponitur ob collationem ordinis, quando ordinatus manet suspensus,capite, Eos qui,de temporibus ordinum,& incurritur ob collationem cuiuscumque ordinis. Legatur Pater Suarez sect.5.

Alia suspensio solet imponi ob defectus aliquos in officio pastorali, & referuntur varij casus. Vnus solet referri à summistis ex cap. vltimo dist.18.vbi pręcipitur Episcopo, vt cùm celebret prouinciale Concilium, post sex menses connocet totam diœcesim,vt ei manifestentur quæ in Concilio statuta fuerint: sed ibi non imponitur pęna suspēsionis; neque est iam in vsu.

Secundus casus sumitur ex capite, Prouida,de electione in sexto,vbi suspenditur Episcopus,qui non seruat constitutionem quandā Concilij Lugdunensis, quæ habetur capite,Quoniam,eodem titulo vbi prohibentur Episcopi,& Archiepiscopi,ne in causis pertinentibus ad electionem Episcoporum postquam ad Sedem Apostolicam appellatum fuerit,se intromittant,nisi priùs facta diligentia, ac partes voluntariè ab appellatione discesserint absque fraude,vel grauitate tali negotio interueniente , & imponitur suspensio ab Episcopo confirmante , & consecrante,& suspensio non incurritur, donec

donec ad confirmationem procedatur.

Alius casus sumitur ex capite, Hac cõsult. de rebus Ecclesiæ non alienandis in sexto, vbi suspenduntur Prælati Ecclesiarum, qui bona immobilia Ecclesiarum sibi commissarum laicis subiiciunt, sine cõsensu capituli, & speciali licentia Sedis Apostolicæ, nisi modo, & in casibus à iure permissis. Circa quam suspensionem solent dubitari facilia nonnulla, quę per se se sunt manifesta.

Alia sumitur ex capite, Præsenti, de officio ordinarij in sexto, vbi suspenduntur Episcopi cum aliis inferioribus prælatis, qui sibi vsurpāt sine iusto titulo bona dignitatum, personatuum, Prioratuum quarumcumque Ecclesiarum vacantium, & ad ipsorum curam seu prouisionem pertinentium. Sed quantum attinet ad Episcopos, non fertur contra eos censura suspensionis, sed interdicti, de aliis verò supra diximus.

Alia suspensio sumitur ex Extrauag. secunda Pauli Secundi, in Bullario Romano, vbi suspenditur Episcopus, Commissarius, vel delegatus in causa alienationis rerū Ecclesiasticarum, si per gratiam, honorē, & in detrimentū Ecclesiæ vtatur potestate sibi commissa: de qua constitutione diximus supra agentes de excommunicationibus Papæ reseruatis. Alias duas refert Pater Suarez disputatione 31. sect. 5. num. 12. Suarez.

Deinde dicendum est de suspensionibus latis in Episcopos ob alias causas, & debita: & vna sumitur ex cap. 1. de vsuris in sexto, vbi Patriarchæ, Episcopi, & Archiepiscopi ipso facto suspendūtur, si suas domos locent, vel alio titulo concedant ad exercendum fœnus vsurarū alienigenis, vel aliis non oriundis de terris ipsorum, vel etiamsi eos in suis terris permittāt: quæ censura clara est, de qua dixi in materia de vsuris, & legi potest P. Suarez supra num. 13.

Alia suspensio sumitur ex Clementina prima de hæreticis, vbi suspenduntur per trienium Episcopi, & superiores, si gratię, vel odij, vel lucri causa contra iustitiā omittant procedere contra quęcumque, vel posuerint impedimentum ex officio Inquisitionis; Inquisitoribus autem ob idem crimen non imponitur ibi suspēsio, sed excommunicatio, vt legenti patebit: de qua diximus supra.

Alia suspensio sumi videtur ex Clementina secunda de pœnis, vbi Prælati Ecclesiastici per triennium suspenduntur à perceptione fructuum suarum Ecclesiarum, qui procurant, vt clerici capiantur à dominis temporalibus, vt beneficia renunciēt, vel vt citati ad Apostolicam sedem, à iure, vel ab homine, nec ad ipsam veniant: vbi secundum probabiliorem opinionem comprehenduntur Episcopi. Facilia quædam legi possunt apud P. Suarez sectione citata.

Alia suspensio sumitur Extrauagante prima de electione inter communes, vbi Episcopi, Abbates, vel Prelati religionū, qui ab Apostolica Sede confirmationem recipiunt, aut ab ea promouentur si absque literis authenticis eiusdem administrationem suarum Ecclesiarum recipiāt, ab administratione fructuū earūdem Ecclesiarum suspenduntur: & licèt Pontifex in eo loco non vtatur nomine suspensionis; tamen reuera suspensionem imponit.

De his verò suspensionibus, quæ incurrunt capitula Ecclesiarum, ex dictis potest constare, & indicauit P. Suarez sect. 5. in fine. Suarez.

DVBIVM VII.

De suspensionibus specialiter latis ipso iure contra religiosos.

PRima sumitur ex capite vltimo de apostatis, & fertur in religiosos apostatas, qui in apostasia perseuerantes suscipiunt ordinem.

Circa quam notandum est primò, hanc suspēsionem solum incurri ob susceptionē maioris ordinis iuxta cōmunem sensum Doctorum, quos citat, & sequitur P. Suarez sect. 5.

Secundò notandum est, hanc suspensionem impedire vsus ordinis suscepti, & vsum alterius ordinis priùs recepti, & ascensum ad superiorem.

Disputant verò nonnulli, an incurrat hanc suspensionem, qui absque facultate vlla fugit ab vna religione ad aliam, in qua iuxta indulta, & priuilegia nō potest professionem emittere.

Huius autem quæstionis solutio pendet ex eo, an iste sit verè apostata: & affirmat

mat meritò P. Suarez supra sectione citata num. 4. quia ille verè deserit statum religionis.

Item solet dubitari, an apostata, qui redit ad suam religionem, & absoluitur ab eo crimine, & ab aliis censuris, egeat speciali dispensatione, vt possit ordinem recipere. Et dicendum est non egere tali dispensatione, quia hæc suspensio imposita est illi, qui in statu apostasiæ recepit ordinem sacrum.

Secunda suspensio habetur capite, Non solum, & capite, Constitutionem, de regularibus in sexto. Et in priori loco religiosi ordinum Prædicatorum, & Mendicantium suspenduntur à receptione quorumlibet ad professionem, si aliquem ante completum probationis annū ad professionem recipiant: in altero verò capite extenditur pene ad omnes ordines Mendicantes.

Dubitant verò nonnulli, an feratur hæc suspensio in capitulum, vel in personas habentes potestatem ad dandam professionem: & verba textus ad personas diriguntur; nec fit mentio capituli: & ita longè probabilius est, & mihi fere certum, suspensionem hanc ferri contra personas.

Illud posset vocari in quæstionem, an hæc cōstitutio comprehendat modò omnes Mendicantes, etiam quæ non erant tempore constitutionis huius. Et respondet P. Suarez sect. 6. n. 7. affirmatiuè, quia lex hæc est perpetua, & obligat nō solùm eos, qui erant quando illa lata est: Sed alios futuros suo tēpore. An verò possit haberelocū in Societate Iesu, pendet ex aliis dicēdis in materia de professione religionis: & aliquid indicauit P. Suarez loco proximè citato. Suarez.

Tertia suspensio contra religiosos, habetur Clem. prima de rebus Ecclesiast. non alienandis, vbi religiosus præsidens alicui monasterio, prioratui, Ecclesiæ, seu administrationi, concedens alicui ad vitam, vel ad certū tēpus redditus, aut possessionis eiusdem religionis sine sufficienti necessitate, aut vtilitate & consensu superioris ab officio ipsofacto suspēditur: explicatur autem in eodem textu non extendi hanc suspensionem ad locationem, seu venditionem fructuum, quæ ad breue tempus fit.

Difficultas est, an suspensio ab officio sit intelligenda solùm ab officio, de quo ibi est sermo; vel ab omni officio. P. Suarez, supra num 8. dicit intelligendum esse ab omni officio, quia absque limitatione ponitur, & non est aliquid, ex quo colligatur restrictio.

Sed non desunt qui existimant hanc legem pœnalem restringendam ad officium, de quo ibi est sermo.

Quarta sumitur ex Clementina prima de decimis, vbi religiosi, qui sibi iniustè vsurpant decimas, vel defraudantes Ecclesias in hoc aliquo modo, si intra duos menses non satisfecerint, suspendūtur ab officio, & beneficio, donec restituant.

Quod si non habeant officia, aut beneficia, excōmunicantur ipsofacto, donec satisfaciant.

Constat verò ex textu, hanc pœnam nō imponi simpliciter, sed sub conditione, nisi intra duos menses satisfecerint.

Quinta sumitur ex Clementina prima de statu monachorum, vbi religiosus non vtens habitu, & vestitu iuxta formam ibi præscriptam, si Abbas, vel Prior non habens Abbatem fuerit, à collatione beneficiorum per annum suspēditur, si inferior habeat aliquam administrationem, illa priuatur per annum: si verò nullam habeat, fit inhabilis ad illam, & ad beneficiū intra annum recipiendum. Et eadem suspensio extenditur ad similem religiosum, qui venationi, aut aucupationi clamorosæ, vel aliàs cum canibus, aut auibus ex proposito interfuerit.

Notandum est solùm esse ibi sermonem de monachis nigris Sancti Benedicti, vt ibi notauit Glossa: verba alia sunt manifesta.

Sexta sumitur ex Clementina prima de priuilegiis, vbi fertur sententia suspensionis absolutè in prælatos religionum, qui de his, qui occasione quorumdam excessuum suorum religiosorū ad eos quoquomodo peruenerint Ecclesiis, aut personis Ecclesiasticis citatis intra mensem, postquam requisiti fuerint, non satisfecerint.

Notandum est autem, ad incurrendam hanc censuram primò esse necessarium, vt prælati aliquid acceperint, siue pro monasterio, siue pro personis priuatis: quia textus absolutè loquitur. Secundò, vt id quod accipitur, illis detur occasione excessuum ibi prohibitorum suis religiosis, qua les sunt, vt cùm intersint testamentis con-

dendis, à restitutionibus faciendis Ecclesiæ testantes retrahant. Item, ne legata debita, vel malè ablata, incerta sibi, aut alijs singularibus sui Ordinis consentientibus, in aliorum præiudicium fieri, aut erogari procurent, & alia, quæ ibi numerantur. Tertiò, vt isti prælati, ad quos talia bona peruenerint, requirantur. Quartò, vt post hanc requisitionem intra mensem non satisfaciant.

Tandem sciendum est, hanc suspensionem in solos prælatos ferri, non in singulos religiosos, vt falsò aliqui putarunt, & ex textu facilè possunt refutari.

Septima sumitur ex Clemētinā, cupiētes de pœnis, vbi præcipitur religiosis, qui confessiones audiunt, vel populo concionantur, vt si à rectoribus Ecclesiarum, vel eorum Vicariis requirantur certis diebus ibi assignatis, dum concionantur, populum admoneant, vt soluant decimas, & pœnitentes ad idem exhortentur: quod si concionatores religiosi scienter omiserint hoc populo persuadere, quidam putant suspendi; sed reuera non suspenduntur, sed præcipitur suis superioribus, vt eos puniant. Sed qui in audiendis confessionibus scienter persuaserint confitentibus ad non soluendas decimas, ab officio prædicationis ipso facto suspenduntur, donec eisdem pœnitentibus contrarium suaserint, si commodè potuerint.

Notandum est non fuisse suspēsos ab officio confessionis, vt poss nt in confessione pœnitētes oblata occasione persuadere solutionem decimarum.

Ad incurrendam verò hanc suspensionem necessarium est, vt sint isti religiosi requisiti. Item vt scienter hoc facere ommittant: rursus, quòd circa confessiones hanc diligentiam omittant.

Aliæ possunt adduci, quæ sunt communes sacerdotibus secularibus, & religiosis, vt notauit P. Suarez supra in fine, & ex dictis intellectæ, & explicatæ manent.

DVBIVM VLTIMVM.

De suspensionibus quæ habetur in Concilio Tridentino.

PRima habetur sessione 6. cap. 5. vbi Episcopus etiam cuiuslibet priuilegij prætextu in alterius diœcesi pontificalia exercens sine expressa ordinarij licētia, aut cum prædicta licentia exercens in alias personas ordinario nō subiectas, ab exercitio Pontificalium ipso iure est suspensus.

Item ordinati ab Episcopo in aliena diœcesi exercente pontificalia sine expressa licētia ordinarij, vel si nō sunt subiecti ordinario, ipso iure ab ordinario exā communicante sunt suspensi.

Notat verò Toletus primo libro sum. cap. 50. per pontificalia non intelligi ea, quæ ad iurisdictionem pertinent, verbi gratia, ferre excōmunicationem; sed quæ ad ordinem Episcopalem, & ipsius consecrationem pertinēt, ordinentur et à quæ ad iurisdictionem pertinent, non possit in aliā diœcesim exercere; tamen in eo cap. non fit mentio de his.

Secundò notat hoc ipsum iure antiquo fuisse statutum 7. quæst. 1. capite, Episcopus, vbi maior pœna iniungitur, nempe vt sic ordinati deponantur, & Episcopus etiam à celebratione missarum per annum cesset.

Addit Toletus licere Episcopo ordinare proprios subditos in aliena diœcesi, si habeat licentiā ordinandi subditos ordinarij illius diœcesis.

Secunda habetur sessio. 7. cap. 10. cuius hæc sunt verba.

Non liceat capitulis Ecclesiarum Sede vacante infra annum à die vacationis ordinandi licētiam, aut literas dimissorias, seu *Reuerendas*, vt aliqui vocant, tam ex iuris communis dispositione, quàm etiā cuiusuis priuilegij, aut consuetudinis vigore, nisi alicui beneficij Ecclesiastici recepti siue recipiendi occasione arctatus non fuerit concedere: si secus fiat, capitulum cōtraueniens Ecclesiastico subiaceat interdicto: & sic ordinati si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo priuilegio clericali præsertim in criminalibus gaudeant: in maioribus verò ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Prælati sint ipso iure suspensi. Hæc Concilium, & in vltimis verbis fertur suspensio.

Notā iure communi licuisse capitulis licentiā dare, capite, Cùm nullus, de temporord in sexto, & lapso anno vacationis habebit modo vim.

Tertia habetur sessione 14. capite 1. de

reformatione contra Episcopos titulares. Verba Concilij sunt: Nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, etiamsi in loco nullius diœcesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cuiusuis ordinis resideant, aut moram traxerint vigore cuiusuis priuilegij sibi de promouendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis, continuæ commensalitatis suæ, absque sui proprij prælati expresso consensu, aut literis dimissoriis, ad aliquos sacros, vel minores ordines, vel primam tonsuram promouere, seu ordinare valeat; contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter verò promotus ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo prælato visum fuerit, ipso iure sint suspensi. Quæ verba satis sunt manifesta, neque videntur egere expositione. De quo loco legatur Pater Vazquez tomo 3. in 3. partem dispu. 243. capite 5. numero 43. vsque ad 46. inclusiuè.

Vazquez.

Quarta fertur sessione 23. capite 8. vbi dicitur: Vnusquisque à proprio Episcopo ordinetur; quòd si quis ab alio promoueri petat, nullatenus ei etiam cuiusuis generalis, aut specialis rescripti, vel priuilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas, & mores ordinarij sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans à collatione ordinum per annum, ordinatus à susceptorum ordinum executione, quandiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus. In quo sensu faciliè intelligitur causa suspensionis, & suspensio ipsa; & notat Toletus per hoc decretum non excludi ordinationem primæ tonsuræ, ex declaratione Cardinalium Congregationis Concilij.

Quinta habetur sessione 23. capit. 10. vbi Abbates, & alij quicumque, quamuis exempti, ipso iure ab officio suspenduntur, & beneficio per annum, si literas dimissorias aliquibus clericis secularibus concedant, vt ab aliis ordinentur, etiamsi tales clerici ad suam pertineant iurisdictionem, si eorum ordinatio pertineat ad Episcopū, intra cuius diœcesis finem Abbates, vel exempti fuerint.

Notat Toletus, hoc non procedere de regularibus, qui sunt subditi talibus Abbatibus, aut exemptis, his enim possunt concedere dimissorias, nam textus de secularibus loquitur. Secundò notat per exemptos intelligi aliquos, qui non sunt superiores Abbatibus.

Item eadem pœna punitur contra collegia, aut capitula etiam Cathedralia concedentia similes dimissorias clericis secularibus: quod debet intelligi, nisi fit post elapsum annum sedis vacantis iuxta supra dicta.

Item qui literas dimissorias à quibusuis in iurisdictione Episcopi loco capituli, sede vacāte succedentibus obtinerēt, sunt ipso iure suspēsi ab executione ordinum, si sint maiores, & suspensio permanet ad beneplacitum sui prælati. Circa hoc caput legatur P. Vazquez tomo 3. in 3. part. disput. 243. cap. 5. num. 52. vbi aduertit in Hispania consuetudine obtentum esse, vt equites sancti Iacobi, & sancti Ioanois subditis suis concedant has literas dimissorias.

Vazquez.

Sexta habetur sessione 24. capite 1. de matrimonio, illis verbis: Quòd si quis parochus, vel alius sacerdos, siue regularis, siue secularis sit, etiamsi id sibi ex priuilegio, aut immemorabili consuetudine licere contendat alterius parochi sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tandiu suspensus maneat, quandiu ab ordinario ipsius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio conferenda erat, absoluatur.

Septima habetur sessione 25. capite 17. vbi tenetur præfecta monasterij per mensem ante professionem alicuius certiorem facere Episcopum, aliàs beneficio est suspensa tandiu, quandiu videatur Episcopo.

Octaua habetur sessione 25. capite 14. decreto 2. de reformatione contra clericos concubinarios, qui admoniti à Synodo prouinciali non abstinuerint, ipso facto sunt suspensi.

LIBER SEXTVS.

DISPVTATIO XLVII.

De interdicto in communi.

POST Disputationē de excōmunicatione, & suspensione restat dicēdū de interdicto, quod est tertia cēsura. De hac materia legendi sunt Summistæ, verbo interdictum, Antonin. 3. part. titul. 27. per totum, P. Henriquez lib. 13. à cap. 41. Couarrub. in caput, Alma mater part. 2. per totam Nauarrus in summa cap. 27. à num. 164. Pater Auila de censuris 5. parte, P. Suarez de censuris à dist. 32. P. Valentia in 3. p. S. Thomę disp. 7. quæst. 18 & alij peculiaribus tractatibus de hac re nonnulli Scholastici in 4. vel ad dist. 18. vel ad dist. 22.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit interdictum.

NOmen interdicti à verbo, Interdico originem ducit. Interdicere verò varios habet significatus; aliquando significat prohibere, qui significatus latus, Iuristis est familiaris: aliquando significat dicere ius inter aliquos. Deinde speciali ratione in iure ciuili sumitur pro pęna, qua aliquis priuatur vsu aliquo, ff. de interdictis, & relegatis: sed iure Canonico significat pœnam quandam Ecclesiasticam, cuius naturam & effectus volumus explicare in præsenti tractatu.

Solet autem diffiniri hoc modo. Interdictum est censura Ecclesiastica, qua homo à perceptione quorundam sacramentorum, & diuinis officiis, & Ecclesiastica sepultura separatur. Sumitur ex capite, Non est vobis, de sponsalibus, & capite, Quod in se, de pęnis, & remissionibus, ex quibus colliguntur aliqui effectus huius censuræ. Ita Sotus 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. à qua non multum differt definitio, quam assignat P. Auila p. 5 dist. 1. in principio, Henriquez lib 13. cap. 41. *Auila.*

Verùm hæc verba in excōmunicationē quadrant, si considerentur quæ de excommunicatione diximus. Item non videtur ea definitio conuenire interdicto, quod abstrahit à personali, & locali, & ideo alij Doctores auferunt ab ea definitione particulam, Homo. Ita Nauarrus in summa cap. 27. n. 164. in aliis verò particulis ferè non differt à Soto.

Couarrub. in caput, Alma mater, part. 2. § 1. num 2 docuit interdictum esse suspensionem diuinorum officiorum, sacramentorumque passiuam, & actiuam administrationem respectu alicuius loci, aut personarum factam Ecclesiasticam, & prohibet sepulturam.

Sed hæc definitio, & ęquiuocè vtitur nomine suspensionis pro prohibitione, & comprehendit species, & non solùm rationem communem interdicti, quam quęrimus.

Alia diffinitio huius censuræ ab aliis assignatur, quod hæc prohibitio non fertur directè ad personas, sed ad locum, vt in eo non fiant sacra.

Sed hoc non est verum de omni interdicto, vt constabit ex dicendis.

P. Suarez disput. citat. sectione 1. Interdictum est censura Ecclesiastica prohibens fidelibus vsum quarundam rerum diuinarum, vt fidelibus, idem quatenus talis est. Explicat verò hanc definitionem, quia in ea abstrahitur à locali, & personali; item abstrahitur ab vsu actiuo, & passiuo Additur vt fidelibus, vt distinguatur à suspensione, quæ non respicit hanc rationem. Item dicitur vt talis est, vt differat ab excommunicatione, quia excommunicatio priuat vsu sacramentorum, non formaliter, vt vsus rei sacræ, sed vt est communicatio cum aliis fidelibus. Est etiam alia differentia inter excommunicationem, & interdictum, quòd excommunicatio non solùm priuat communicatione in sacris, sed etiam in humanis. Et in hunc sensum non esset difficile definitionem Soti, & aliorum explicare. *Suarez.*

DV-

DVBIVM II.

Quotuplex sit interdictum.

VVlgata partitione diuiditur interdictum in locale, & personale: quæ diuisio sumitur ex cap. Præsenti, cap. Si sententia, & cap. Si vnitas, de sententia excom.

Locale dicitur, quod directè fertur in locum: quia in eo prohibetur fieri diuina officia. Dicendum ergo locale, non quia sit pœna loci, qui non est capax pœnæ, sed quia directè feratur in locum, licet alias sit pœna, quæ ad personas dirigitur: personale verò directè dirigitur ad personas, & non determinatur ad certum locum primariè, & per se.

Aliqui assignant tertium membrum, nempe interdictum, quod simul est locale, & personale. Legatur Syluester, & Angelus verbo interdictum, & Nauarrus capite 27. num. 166. Sed hoc non est distinctum à duobus prioribus simul, sed collectio illorum. Solet etiam & ferri interdictum ambulatorium, de quo fit mentio in cap. Non est vobis, de spōsalibus, c. Dilectis filiis, de appellatione; & est quando simpliciter interdicitur persona pro quocumque loco: vnde includit plura interdicta localia sucessiuè.

Secunda diuisio est, quando diuiditur interdictum in generale, & speciale; vel vniuersale, & singulare: & sumitur hæc diuisio ex capite, Præsenti, de sententia excommunicationis in sexto, in quo capite fit mentio expressa interdicti generalis, & ita insinuatur aliud membrum; sed vtrúque ponitur capite, Cùm in paribus, de verborum significatione, & dicitur generale, quod includit quasi quædam loca partialia, vt si interdicatur regnum, aut ciuitas: speciale, quo specialis locus interdicitur, nempe hæc Ecclesia, vel illa.

Dubitant verò aliqui, an quando interdicitur vna parochia ciuitatis, vbi sunt plures, sit interdictum generale, vel speciale. Pater Suarez sectione secunda, refert contrarias opiniones, & ipse rem bene explicat: si enim nomine parochię intelligatur solùm Ecclesia, erit speciale: si verò comprehendat totum ambitum, in quo habitant parochiani, erit aliquo modo generale, vt constat. In priuilegiis verò, quibus conceditur, vt interdictis liceat hoc vel illud, maximè consideranda sunt verba, ad iudicandum, an sit sermo de interdicto generali; vel particulari.

Sed quęri potest, an sit generale, quando interdicitur ciuitas, vna vel altera Ecclesia excepta, an sit generale, vel particulare.

Aliqui indicant generale requirere, vt nullus locus excipiatur, dum dicunt generale totum comprehendere, Syluest. verbo interdictum quęst. 3.

Sed P. Suarez sectione 2. citata num. 9. putat esse generale, & probat ex communi Doctorum, qui asserunt particulare interdictum requirere, vt particularis locus interdicatur: quod in hoc euentu non fit, ergo non est particulare: ergo generale. Itemque hoc interdictum continet plura particularia loca, ergo est generale.

Item dubium est, an sit generale, quando in aliqua ciuitate non interdicitur tota ciuitas, sed plures, vel omnes Ecclesiæ. Aliqui indicant esse generale, quia plura loca interdicuntur. Sed contrarium docet Syluester cum aliis quæstione tertia citata. Pater Suarez, qui citat alios, quia per se non interdicitur vnus aliquis locus plura continens; qua non tam videtur vnum particulare, quàm plura particularia.

Tertia diuisio est, quæ diuiditur in generale, & particulare ex parte personarum; & generale respicit aliquod corpus politicum collectum vt sic; particulare verò respicit personam singularem, siue sit vna, siue plures, si respiciat vnamquamque, vt singularem.

Est autem difficultas, an quando in aliqua ciuitate interdicitur vna aliqua communitas, verbi gratia, Complu- ti si interdicatur Vniuersitas, sit generale, vel particulare. Syluester interdictum primo in fine, significat esse particulare.

Sed P. Suarez supra sect. 2. num. 12. dicit esse generale, quia fertur non in personam priuatè vnam, vel plures, vt singulares sunt, sed in vnum corpus politicum. Suarez.

Sed dices per interdictum latum in collegium manent omnes collegii personæ interdictæ: ergo manet vt singularis:

ergo est particulare. In hac difficultate concedendum est, manere personas singulares interdictas. Communitas enim, vt sic, non videtur capax pœnæ, nisi in membris, & ita concedit P. Suarez supra: nihilominus dicendum est, non esse particulare, quia illę personæ interdicitur omnes, vt componunt vnum corpus politicum, & vt partes illius formaliter.

Suarez.

Ad exactiorem cognitionem naturæ interdicti personalis proponunt Doctores aliquas quæstiones, & dubia. Vnum est, an qui habet domicilia duo, alterum in loco interdicto, alterum in loco non interdicto censeatur ipse interdictus.

Calderinus tractatu de interdicto affirmat istum, manere interdictum.

Sed contrarium docuit Syluest. interdictum 2. numero 13. quia non est maior ratio, ob quam sentiat onus vnius populi, quàm libertatem alterius. Et hanc partem amplectitur Pater Suarez supra numero 16. cum ea limitatione, vt quandiu habitet in populo interdicto, ferat onus interdicti: quod videtur vere probabile, & ad mentem legislatorum.

Suarez.

Aliud dubium est, an quando interdicitur communitas aliqua religiosa, comprehendantur nouitij, & quidam laici. Sed in hoc consideranda sunt verba sententię, & aliæ circunstantiæ.

Aliæ diuisiones dicentur dubio sequenti.

DVBIVM III.

An quando interdicitur locus aliquis generalis, comprehendantur omnia loca particularia illius.

IN Pręsenti quæstione affirmãdum est, interdicto loco generali comprehendi loca particularia, quę sub illo continentur: est communis sensus Doctorum, & ex proprietate verborum deducitur.

Aliqualis verò difficultas est in explicando quæ loca particularia debeant intelligi comprehendi sub illo loco generali.

Respondet Pater Suarez supra à numero 21. Primò considerandum esse ius, an ex eo aliquid possit colligi.

Alterum est, considerandam esse verborum proprietatem secundum magis communem vsum.

Et rem explicant aliquibus dubiis, verbi gratia, si interdicatur diœcesis tota, vel ciuitas, vbi est Ecclesia Cathedralis. Quęstio est, an sit intelligenda ipsa Ecclesia Cathedralis, vt interdicta.

Aliqui affirmant, & alij negant. Mihi verò videtur considerandum esse verborum sensum: & si sit generalis comprehẽdens omnes Ecclesias, non est causa, ob quam excipiamus Cathedralem, cùm nõ sit hoc iure declaratum.

Aliud dubium est de ciuitate, quæ muris est cincta, an quando talis ciuitas interdicitur, loca extra muros censeantur interdicta. Et respõdent Doctores comprehendi ea loca, quæ dicuntur continentia, & ita proxima, vt vnam ciuitatem componant cum ea parte, quę est intra muros: quod moraliter considerandum est iuxta communem sensum, & proportione seruata loquendum est de interdicto particulari, quando interdicitur aliquod templum: considerãda enim sunt loca illi annexa per modum vnius ex communi sensu.

Alia difficultas est, an si in aliqua ciuitate, quæ interdicitur ab Episcopo, contineatur Ecclesia illi Episcopo non subiecta, comprehendatur sub interdicto generali. Quæstionis causa ex vna parte est, quòd non sit subiecta illi, à quo fertur interdictum; ex altera parte videtur interdicta per connexionem cum aliis partibus eius ciuitatis. Et eam partem amplectitur Pater Suarez supra numero 26. & vsus id ostendit in Ecclesiis religiosorum.

Addit P. Suarez, per speciale interdictũ non posse interdici eam Ecclesiam, nisi à superiore, quia alius Episcopus nõ habet directam potestatem in illam.

Suarez.

Alia dubiola solent disputari, quorum solutio pendet ex consideratione proprietatis verborum, & aliis circunstantiis sententiæ.

Illud posset disputari hoc loco, an interdictum personale, & locale, semper coniungantur: de quo legatur Pater Suarez supra à num. 31. qui docet primò interdictũ generale locale nõ inferre interdictum

dictum personale generale, neque è contrario. Est communis doctrina, & sumitur ex cap. Si sententia, de sententia excommunicationis: & ratio est, quia per interdictum personale directè prohibentur ipsæ personæ vbique.

E contrario, quando interdicũtur personæ alicuius loci, non ex eo manent loca simpliciter interdicta respectu aliarum personarũ: ergo. Quod fusiùs explicat supra P. Suarez.

Secundò dicendum est, interdictum personale particulare non infert interdictum locale particulare, quia prohibitio personarum non infert locum aliquem simpliciter esse prohibitum.

Tertiò dicẽdum est, interdictum particulare locale infert personale particulare: nam locus particularis non interdicitur nisi ob culpam alicuius personæ, & hæc simpliciter manet interdicta, ita vt neque in eo loco, neque alibi possit diuinis interesse, vt docuit supra P. Suarez, & fauet caput, Si sententia, de sententia excommunicationis. Suarez.

Quartò dicendum est, interdictum generale locale semper inferre interdictũ particulare personale: si enim particulare locale infert particulare personale ob dictam rationem, multò magis interdictum generale locale, cui expressiùs fauet caput citatum, Si sententia, de sententia excommunicationis.

Tandem interdictum generale personale non continet virtute locale particulare, quia ex vi interdictę personæ nullus locus manet interdictus, vt supra dicebam.

Placet adducere breuiter alias diuisiones interdicti, quæ solent assignari.

Vna est, quę diuiditur in totale, & partiale. Totale dicitur, quod absolutè fertur, quantum ad omnes effectus. Partiale, quod fertur solùm, quantum ad aliquem effectum. Legatur Nauarrus in summa capite 27. numero 170. P. Suarez disputat. 32 in fine.

Alia diuisio est interdicti, aliud à iure, aliud ab homine. Item solet dici aliud, quod fertur propter contumaciam.

Aliud propter commissum delictum in puram pœnam.

DISPVTATIO XLVIII.

De primo effectu interdicti, quæ est priuatio sacramentorum.

DVBIVM PRIMVM.

Quorum sacramentorum vsus per interdictum prohibeatur.

Sciendum est capite, Si sententia, de sententia excommunicationis, dici personas interdictas non debere recipere sacramenta: quod intelligendum est, nisi in casibus à iure expressis, vt explicatur in capite, Alma mater, de sententia excommunicationis.

Et de baptismo, si loquamur de interdicto personali, nullus ante baptismum est capax interdicti personalis, quia nondum est subditus Ecclesiæ; potuit tamen Ecclesia præcipere subditis suis, ne tali loco, vel simpliciter ne administrarent hoc sacramentum; quod tamen non facit; vt fuse ostendit P. Suarez disputatione 33. sectione 1. Vnde & à numero 30. docet per interdictum particulare locale non prohiberi in eo loco vsum huius sacramenti: quod intelligit pro casu necessitatis. Suarez.

Item non causatur interdictum hoc maius per interdictum personale, quando vrget necessitas.

Difficultas verò est, an per se sit prohibitum ex vi interdicti personalis. Et quòd non sit prohibitum ex vi interdicti personalis, putat probabile P. Suarez, quando est generale, & quis non dedit causam illi interdicto; tunc enim non vrget causa, ob quam censeatur interdictus, quantum ad hunc effectum. Suarez.

Sed contrarium est tutius in praxi, quia licèt ille sit innocens; tamen verè manet interdictus per interdictum generale.

Deinde de confirmatione non esse prohibitum, docuit P. Suarez supra cum communi opinione capite, Responso, de sententia excom. & capit. Quoniam, eodem titulo in sexto. Vnde & poterit dari cum

sua solemnitate, & debet, cùm non sit prohibitum hoc sacramentum: quod intelligitur de interdicto locali.

Difficultas est, an idem sit de interdicto personali. Et dicendum est primò, per interdictum generale personale nullum excludi à receptione huius sacramenti, nisi qui causam dedit interdicto: & probatur ex capite, Quoniam, de sententia excom.

Suarez. Eadem difficultas manet, an iste possit administrare hoc sacramentum: & P. Suarez respondet sub distinctione: nam si est interdictus generali interdicto personali, cui non dedit causam, poterit; secus si vel particulari interdicto personali interdictus est, vel generali, cui dedit causã, cui generaliter prohibetur administrare diuina, cap. Si ciuitas cit.

Deinde de sacramento Pœnitentiæ certum est posse recipi ab omnibus tempore interdicti, si alia adsint necessaria, iuxta caput, Alma mater, quod intelligitur de interdicto locali, particulari, & de personali generali, quando illi quis non dedit causam. Adducutur tamen duæ limitationes. Vna est, ne sint excommunicati. Quod P. Suarez vult esse intelligendum, vt non detur absolutio àb excommunicatione in foro externo, cum solemnitate; vel quod loquitur de absolutione, quando est reseruata excommunicatio.

Altera limitatio est, vt non detur illis, ob quarum culpam latum est interdictum.

Difficultas posset esse, an quando locus aliquis est interdictus, possit in eo administrari hoc sacramentum.

Et si interdictum sit generale, non videtur dubium; hoc enim videtur concedi in capite, Alma mater, aliàs necessarium esset extra locum, & terram illam, ire ad recipiendum hoc sacramentum.

Si verò interdictum sit particulare, diuersæ sunt opiniones; sed videtur dicendum posse recipi, quia non est textus, qui oppositũ dicat, vel receptionem prohibeat.

De administratione actiua potest esse quæstio: & mihi placet quod docuit Pater Suarez: primò, non prohiberi per generale interdictum loci, neque particulare, cui aliquis non dedit causam. Secundò, tamen si dedit causam, prohibitus est administrare hoc sacramentum, propter generalem prohibitionem, vt supra dicebam. De aliis sacramentis dicam dubiis sequentibus.

DVBIVM II.

An tempore interdicti sit licitus vsus Eucharistiæ.

POssumus ante omnia loqui de receptione illius, vt cùm quis est in articulo mortis, & certum est posse illud recipere tempore interdicti localis, siue generalis, siue particularis: de personali verò, cui persona non dedit causam, potest recipere sententiam absolutionis, absque vlla satisfactione: vt bene docet P. Suarez sect. 1. num. 22. Suarez.

Secus quando dedit causam, tunc enim ante absolutionem debet fieri satisfactio.

Deinde de actiua administratione huius sacramenti dicendum est posse administrare Sacerdotem tempore interdicti localis, siue generalis, siue particularis, quia non impedit personas, nisi in ordine ad locum.

Si verò interdictum sit generale, vel particulare personale, cui non dedit sacerdos causam, poterit ministrare hoc sacramentum: secus si dedit causam, tunc enim comprehenditur generali prohibitione ministrandi diuina.

De hac doctrina quæritur, An administrare debeat parochus, quando est personaliter interdictus, quia dedit causam interdicto, & subditus eget hoc viatico.

Et dicendum est primò, non posse per se illud conferre, si est alius, cui posset illud committere, sicut in sacramento Confessionis.

Sed quid dicendum, quando non esset alius sacerdos. Respondetur, in hoc casu posse per seipsum ministrare propter necessitatem alterius. An verò posset id diacono committere, si non esset sacerdos alius, cui committeretur. P. Suarez supra n. 26. negat quia iam non est in vsu, vt diaconus hoc sacramentum administret.

Tandem docet Pater Suarez, & alii in deferendo publicè hoc sacramentum

ad

ad infirmos seruandam esse solemnitatē, quę est in vsu, & quod talis solemnitas nō est prohibita: restat vt dicamus de communi vsu eius extra articulum mortis.

Et dicendum est, ex iure communi prohibitum esse tempore interdicti. Vnde quando interdictum est generale loci, nec recipi, nec dari potest in toto illo loco: & idem est de interdicto particulari loci respectu eius loci, iuxta caput, Alma mater.

Sed excipiuntur personæ habentes priuilegia, vt sunt communiter religiosi, & qui habent Bullam Cruciatę.

Disputant verò Doctores, an iure communi excipiantur aliquæ personæ.

Prima opinio est asserentium, cùm Ecclesia per generalem censuram est interdicta, posse clericos qui, possunt diuinis assistere, etiam sumere Eucharistiam, ita Syluester verbo interdictum 5. numero 9. cuius non adducit Syluester firmum aliquod fundamentum. Aliqui recētiores probant, quia hoc ipso quòd illis cōceditur, vt possint interesse Missę, videtur concedi, vt possint sumere Eucharistiam.

Sed contrarium sentiunt multi, vt colligitur ex Couarrub. in capite, Alma mater, part. 2. §. 5 numero 6. Nauarro capite 27. num. 178. & ex aliis multis, quia concessio audiendi Missam, & assistendi diuinis officiis, non significat functionem eius: ergo licèt ea concedatur in capite, Alma mater, non conceditur hoc secundum.

Suarez. Et P. Suarez primam opinionem complectitur, vt probabilem num. 35. propter rationem factam. Sed mihi secunda apparet probabilior, vt firmum fundamentum, quia reuera magis firma est.

Sciendum autem est, Patrem Suarez numero 36. existimasse vt probabilem, in diebus festis, in quibus, capite, Alma mater, conceditur, vt tempore interdicti possint omnes audire Missas, posse intelligi, vt etiam possint sumere Eucharistiam, propter rationem factam, nempe quòd qui assistunt Missæ participes fiunt sacrificij, & communionis, quia caput, Alma mater, dicit, participationem permittimus diuinorum: quamuis tandem dicat contrariam opinionem facilè posse defendi, & in praxi seruandam esse Ecclesiæ consuetudinem.

Mihi sanè placet communis opinio, quā docuit Ant. 3. p. tit. 26. cap. 4. Syluest. interdictum 5. quæstione 2. Sotus 4. distinct. 22. quæstione 3. artic. 1. post quartam conclusionem, & alij, eo quòd solùm conceditur assistentia, vt possint audire diuina officia, iuxta communem sensum.

Solùm aduertam, opinionem illam, quā P. Suarez videtur appellare probabilem, indicatam esse probabilem à multis doctissimis viris in Hispania, præsertim in Academiis Cōplutensi & Salmanticensi de hac re interrogatis, quorum ego responsa & vidi, & legi. Erant autem plus quam quaginta viri primarij, seculares, & religiosi ex omnibus religionibus, qui sensui Patris Suarez subscripserant cōtra pauciores quosdam & numero, & doctrina inferioris Academiæ cuiusdam in Regno Aragonensi. Suarez

Ex dictis soluitur aliud dubium, nempe an tempore interdicti, si occurrat præceptum sumendi Eucharistiam, vt in Paschate Resurrectionis, possit sumi. Dicendum est enim secundum communem sententiam à nobis traditam, non posse. Licèt Pater Suarez dicat posse: & consequens est ratiocinatio; sed non est verum quod assumitur.

DVBIVM III.

Quid sit in hoc dicendum de matrimonio, & de ordine.

IN Sacramento Matrimonij possumus distinguere, & considerare, vel sponsalicium contractum de contrahendo matrimonio, vel ipsum contractum matrimonij per verba de præsenti; vel benedictionem, & solemnitatem Ecclesiasticam, quæ fit in templo, & Missa.

Circa primum certum est, sponsalia esse valida, & licitè fieri posse, quia non sunt prohibita tempore interdicti.

Secundò communiter Doctores sentiunt, benedictionem nuptialem esse prohibitam tempore interdicti, vt docuit Pater Suarez supra numero 47. quamuis Couarrub. 2. parte §. 2. numero 7. contrarium dicat, sine idoneo fundamento, quia illa benedictio reuera pertinet ad officia Diuina, quæ sunt prohibita.

Tertiò certum est contractum matrimonij tempore interdicti posse esse validum, si seruentur requisita à Concilio Tridentino; quia interdictum non haufert, quod sit necessarium ad essentiam huius contractus.

Solùm est difficultas, an sit licitum matrimonium contrahere tempore interdicti.

Multi putant, hoc esse licitum. Syluester verbo interdictum 5. numero 9. cum aliis Doctoribus, & sequitur Couarrub. supra numero 7. Nauarrus capite 27. numero 179.

Aliqui probant, quia inter infideles potest licite contrahi: ergo inter fideles. Alij, quia licèt sit sacramentum, tamen est contractus, & ita non videtur simpliciter prohibitus. Vnde & matrimonium quouis tempore contrahi posse dicitur in cap. Appellamus, de feriis.

Sed probabilius est hoc non esse licitum ob prohibitionem generalem, quia prohibetur vsus sacramentorum, capite, Responso, de sententia excommun. & capite, Alma mater. Quam sententiam sequitur Pater Suarez sectione 1. citata in fine, & fuse explicat. Quod facilè intelligitur in interdicto personali; personæ enim interdictæ separantur ab vsu sacramentorum. De interdicto autem locali idem videtur dicendum, quòd non liceat in eo loco contrahere matrimonium; quia non apparet causa permittendi illud.

Suarez.

De sacramento Ordinis, primò est certum apud authores non posse laicum suscipere sacramentum ordinis tempore interdicti ob prohibitionem generalem, quæ habetur capite, Responsio & capite, Alma mater, de sententia excommunicationis.

Circa alias personas, quæ iam habent aliquem ordinem, est diuersitas opinionum.

Aliqui dicunt eum, qui habet ordinem inferiorem, posse, non obstante interdicto, suscipere superiorem. Ita sensit Innocent. in cap. Non est vobis, de sponsalibus.

Sed contrariam sententiam sequitur Panormitanus in caput, Non est vobis citato. Paludanus 4. distinctione 18. quæstione 8. numero 29. Couarrub. in caput, Alma mater, part. 2. § 3. numero 104.

Et communiter Summistæ, & mihi placet, quia reuera est generalis prohibitio, vt supra diximus. Legatur Pater Suarez sectione illa 1 à numero 44. & hoc intelligendum est de omnibus ordinibus, etiam minoribus, secundum opinionem asserentium esse sacramentum: si verò nõ dicantur sacramenta esse, dicendum est esse prohibitam susceptionem, & collationem eorum, tempore interdicti, sicut collationem primę tonsuræ, quia comprehenduntur sub diuinis officiis, sicut de prima tonsura philosophatur P. Suarez supra num. 45. Suar.

Tandem de sacramento extremæ vnctionis est expressa prohibitio, capite, Quod in te, de pœnitentiis, & remissionibus, & intelligunt Doctores non posse dari in articulo mortis, quia tunc erat dandum, ergo prohibitio respicit illud tempus.

Secundò dicunt nullo modo esse conferendum, vt non distinguamus de sacramento, quantum ad substantiam, & quantum ad solemnitatem. Addunt tertiò hoc esse intelligendum de omnibus personis.

Vnde non est audiendus Poludanus, qui 4. distinctione 18. quæstione 8. numero 8 dixit, clericis, & religiosis posse dari hoc sacramentum tempore interdicti.

Tandem notandum est in capite, *Quod in te*, sermonem expresse fieri de interdicto generali loci, & seruandum est de particulari, seruata proportione, & de interdicto personali, siue generali, siue particulari.

DVBIVM IIII.

Quod peccatum sit violare interdictum in materia Sacramentorum.

POnimus violationū hanc esse peccatū, quia loquimur in casu, in quo fit contra prohibitionem Ecclesiæ, vnde ex se erit peccatum, licet possit aliquādo excusari propter causam aliquam. Quæstio ergo manet de grauitate huius peccati.

Deinde dicendum est, peccatum hoc ex genere suo esse mortale sacrilegium; quia materia est grauis ex genere, & ponimus esse prohibitionem.

Neque sunt audiēdi qui putant esse distinctionem inter personas seculares, & Ecclesiasticas, quia posita prohibitione, & materia graui, respectu cuiuslibet erit graue peccatum, per se loquendo, & posita materia leui respectu nullius potest esse mortale secundum se, seclusa extrinseca circunstantia, vt in omnibus aliis peccatis constat.

Et iuxta hanc doctrinam in interdicto personali peccatum mortale erit recipere Sacramentum quodlibet, quia sunt cōtra præceptum in materia graui: quod puto verum etiam in receptione Sacramenti matrimonij, quia hæc etiā versatur circa materiam grauem.

Addendum est etiam benedictionem nuptialem esse materiam satis grauem, quod in ministro Ecclesiæ facilè apparet; sed etiam in ipsis contrahentibus erit grauis violatio, eo quòd illa actio satis videatur grauis, & apta ad peccatum mortiferum. Et ex his in similibus philosophādum est, vt bene Pater Suarez disp. cit. sect. 2.

Restat explicandum, quam pœnam incurrat violans interdictum in materia sacramentorum: Legatur P. Suarez supra sectione 3.

Et primò dicendum est, clericis violantibus interdictum esse impositam pœnā irregularitatis, præter illas pœnas, quas incurrunt qui violant celebrando.

Suarez. Hæc est certa doctrina, de qua fuse P. Suarez vbi proximè: & ponendum est esse violationem, quæ sit peccatum mortale, quomodocumque violetur interdictū, hoc enim est necessarium ad tam grauem pœnam. P. Suarez supra varios modos refert violandi interdictum.

Secundò dicendum, violantibus interdictum in vsu sacramentorum, vel sacramenti, qui non requirit vt ministrum aliquem habentem ordinem, non est impositā pœna, quia in iure non est aliqua imposita pœna. Ita Pater Suarez supra numero 11. & explicatur in Sacramento matrimonij, in quo, vt diximus in materia de matrimonio, ipsi contrahentes sunt ministri essentialiter requisiti, parochus post Concilium Tridentinum requiritur, vt testis peculiaris ab Ecclesia designatus, sine quo erit matrimonium nullum.

DISPVTATIO XLIX.

De alio effectu interdicti, qui est prohibitio diuinorum officiorum.

DVBIVM PRIMVM.

Quomodo Missæ sacrificium per interdictum generale prohibeatur.

SCiendum est (quidquid sit de iure antiquo) in capite, Alma mater, statutum esse, vt singulis diebus in Ecclesiis, & monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur diuinā officia, sicut prius summissa voce, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & campanis non pulsatis: quæ sunt verba capitis. Et primo nomine Ecclesiæ intelliguntur Ecclesię principales. Item hospitalia, in quibus ex approbatione Episcopi solet dici sacrum, vt notauit Couarrubias 2. parte §. 4. nomine monasteriorum omnes domos religiosorum, etiam feminarum: hic est enim significatus eius nominis.

De priuatis oratoriis est difficultas, de qua P. Suarez disputat. 34. sect. 1. putat dicendum posse dici sacrum in illis, quia dicere potest aliquis in eo textu nominatas esse Ecclesias, & monasteria tamquam loca, in quibus frequentiùs fit sacrum, nō quia Suarez.

quia excludere voluerit omnia, vel quia comprehendat nomine Ecclesiæ: sed priorem expositionem putat verisimiliorem.

Mihi verò magis placet in his oratoriis nō posse fieri sacrum tempore interdicti, quia non conceditur talis facultas in prędicto capite, & aliàs prohibitio est vniuersalis.

Item notandū, est eam permissionē celebrandi Missam non restringi ad vnum solū, sed ad omnes Sacerdotes, vt Doctores intelligunt, & habet vsus.

Restat vt explicemus conditiones, quæ requiruntur in capite, Ad faciendum sacrum.

Prima conditio est vt dicatur summissa voce, per quam solum excluditur Missa solemnis.

Secunda, vt ianuæ sint clausæ: quod de omnibus intelligendum est, si sint plures in Ecclesia. Quęri verò solet de porta, qua itur ad claustrum, de qua bene P. Suarez docet, quòd si ita sit contiguum, vt per solam Ecclesiam ad illud intretur, satis esse Ecclesiæ portas clausas esse; secus si claustrum habeat singularem portam, per quam ad illud intretur sine ingressu in Ecclesiam. Suarez.

Item quęritur, quid dicendū sit de porta capellæ existentis in Ecclesia, an sufficiat clausas esse Ecclesiæ portas; vel è cōtrario, an satis sit capellæ portā esse clausam. Et in primo euentu mihi videtur satisfieri legi, & fini illius: in secundo, mihi videtur satis esse portam capellę esse clausam, quando hoc sufficit, vt moraliter extra illam Missa non posit audiri, aut videri.

Alia cōditio est, vt non pulsentur campanę: quæ primariè de pulsatione campanę, qua vocari solent fideles ad Missam, intelligitur: sed vsus etiam obtinuit, vt dum celebratur sacrum non pulsentur cāpanæ, quę aliàs pulsari solent intra Ecclesiam, dum dicitur sacrum.

Alia particula est, vt excludantur excōmunicati, & interdicti: & excommunicati quidem semper sunt excludendi, vt diximus in materia de excommunicatione.

Interdicti verò, specialiter hoc tēpore, sunt excludendi, & comprehenduntur nō solùm qui personaliter sunt interdicti, sed qui aliquando fuerint causa interdicti, iuxta caput, *Licet*, de priuilegiis.

Est autem difficultas, an debeāt excludi omnes clerici, qui interdicti aut excōmunicati non sunt.

Citantur aliqui iuristæ, qui senserunt nō esse alios excludendos, quia Pontifex solùm dixit esse excludendos excōmunicatos, & interdictos.

Verùm contraria sententia cōmuniter est recepta, & probari potest authoritate, & consuetudine.

Et probatur primò ex capite, Licet, de priuilegiis in sexto, vbi Bonifacius hoc videtur declarare, qui fuit author capituli, *Alma mater*: ait enim:

Licèt vobis concessum existat, vt interdicti tempore ianuis clausis, voce submissa diuina celebrare positis, ad ea tamen aliquos, etiamsi aliunde venerint, nisi super hoc priuilegiati existāt, recipere nulla ratione debetis. Et quamuis aliqui velint fugere vim huius textus, tamen vsus & sensus Ecclesiæ confirmat satis communiorem sententiam, quæ primò confirmatur ex Clementina tertia de sententia excom. Legatur P. Suarez disp. 34. sect. 1.

Iuxta hanc ergo communem sententiam non solùm excommunicati, & interdicti, sed etiam alij non habentes priuilegium, sunt excludendi ab Ecclesia tempore interdicti, quando dicitur Missa.

Speciatim dubitāt aliqui, an sint etiam excludendi infantes nondum habentes vsum rationis. Et Nauarrus cap. 27. num. 157. Corduba in sum. quæst 60. affirmant esse excludendos, quia lex vniuersalis est.

Sed Couar. 2 part. §. 4. num. 5. docet nō esse excludendos eos, qui nullū habent rationis vsum, quia diuina officia non prohibentur nisi vt audienda, & celebranda: quod non fit sine vsu rationis; & docuit Pater Suarez loco citato num. 34. & mihi placet. Suarez.

Tandem breuiter sciendum est, quibus festiuitatibus suspendatur interdictum in caput, Alma mater, assignantur quatuor festiuitates, Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis, de quibus multa dicunt nonnulli. Legatur P. Suarez supra, qui putat nomine eorum festorum solùm intelligi primū Suarez.

diem,

diem, licèt aliqui alij ab eo relati contrarium sentiant: & obseruanda est consuetudo.

DVBIVM II.

Quomodo sacrificium Missæ per alia interdicta prohibeatur.

DVbio præcedenti egimus de modo, quo prohibeatur sacrificiũ Missę per interdictum generale loci.

Oportet verò explicare, quomodo prohibeatur per alia interdicta.

Et de interdicto speciali loci, si in eo Eucharistia seruetur, nõ prohibetur Missa priuata cum debitis circunstantiis, & ad renouandam Eucharistiam: quod semel in hebdomada licere declarauit caput, Permittimus, de sententia excomm. & Doctores intelligunt de interdicto etiam speciali. Cætera verò quæ in capite, Alma mater, conceduntur, solùm intelliguntur de interdicto generali, de quo ibi est sermo, vt notauit Nauarrus infra capite 27. num. 173. P. Suarez cum aliis disp. cit. sect. 2.

De interdicto personali certũ est personas omnes, tam generatim, quàm specia-tim interdictas prohibitas esse celebrare, vel ministrare, vel assistere sacrificio Missæ, quæ celebretur, siue in loco interdicto, siue non interdicto; neque in hoc aliquid factum est iure nouo, nisi vnũ, quod infra notabo capite, Si ciuitas, de sententia excommun. in sexto, & capite 3. & 4. de clerico excommunicato ministrante.

Dubitant autẽ aliqui, an personę non interdictæ sit prohibitũ audire Missam Sacerdotis interdicti.

Et dicunt aliqui, si non sit ille nominatim denunciatus, licitum esse Missam illius audire. Si verò sit denunciatus nominatim, aliquorum opinio est non esse licitũ Missam eius audire. Probãt primò, quia non licet audire Missam Sacerdotis suspensi, vt videtur sumi ex cap. vltimo de cohabitatione clericorum ac mulierum: tertiò, quia non licet audire Missam in loco interdicto: ergo neque à persona interdicta.

Aliorum verò sententia est, esse illicitũ inducere talem Sacerdotem ad dicẽdum, vel ei cooperari; non tamen solùm eius Missam audire. Prior pars est manifesta, quia non licet inducere ad actum peccati. Posterior probatur, quia in sola auditione Missæ non est vlla spes cooperationis considerato iure naturali; nullum autem est ius positiuum, quo prohibeatur talis auditio Missę. Ita sensit Pater Suarez sectione 2. numero 5. & mihi probatur hæc doctrina, ex qua facile est soluere argumenta contrariæ opinionis.

Ad primum respondetur esse diuersam rationem, quia excommunicatio prohibet communicationem cum excõmunicato, & audire Missam illius, esset cõmunicare cum illo.

Ad secundum respondet etiam P. Suarez, ex vi solius suspensionis nõ esse illicitum audire Missam suspensi.

Ad tertium respondetur non esse eamdem rationem de interdicto locali, & personali: nam locale prohibet directè non celebrare, neque interesse diuinis officiis, vt talibus; personali verò directè prohibetur, ne persona celebret.

Dubitari etiam solet, an possint personę non interdictę celebrare diuina officia coram interdictis. Et dicendum est hoc non esse licitum; quia licèt considerato solo iure naturali non esset cooperatio in ea præsentia, tamen est iuris positiui prohibitio de excludendis interdictis, capite, Permittimus, de sententia excõmunicationis in 6.

Sed quid faciendum est, si persona interdicta nolit exire ab Ecclesia, de quo legatur P. Suarez sect. 2. cit. art 7. qui varias refert opiniones, & conueniunt Doctores posse talem personam interdictã, per vim expelli: quod si non possit expelli, aliqui docent potiùs esse ommittendam Missam, quàm faciendam: quòd si sit incepta, non esse finiendam, nisi consecratio, vel saltem Canon sit inceptus: sicut in simili de excommunicatione dicebamus disp. 11. dubio 1. ex doctrina P. Vazquez tractatu de excommunicatione dubio 8. & ex aliis Doctoribus ita philosophatur de interdicto Anchar. Clement. 2. de sent. excom in 6.

Suarez. *Vazquez.*

Aliorum opinio est, non esse talẽ obligationem ommittendi Missam in prædicto euentu. Hac opinione vtuntur multi Iurisperiti, & prosequitur Nauarrus in

sum.

sam de oratione cap. 16. num. 60. vbi loquitur de interdicto locali, de personali verò nihil dixit. Et probari potest, quia licèt ius loquatur de excommunicato pro hoc euentu, tamen non videtur loqui de interdicto; neque est eadé ratio de vtroq; quia excómunicatio prohibet actum, vt est quędam cómunicatio, non tamen interdictum.

Suarez. P. Suarez loco allegato n. 9. respondet sub distinctione: Et primò si sermo fit de interdicto locali, putat veram esse senté-tiam Ancharrani, quia in hoc casu videtur loqui & probatur, quia in tali loco nó potest celebrari sacrum nisi iuxta caput, Alma mater, in quo dicitur interdictos excludendos esse: quod amplius explicat

Suarez. P. Suarez.

Secundo docet quando locus non est interdictus, sed tantum persona est interdicta, & expelli non potest, probabile videri non esse ob eam causam omittendam Missam, quia non est pro hoc euentu peculiaris prohibitio iuris positiui, quia iura, quæ decernunt excludendos esse interdictos, tractant de locali interdictione que apparet ratio, quæ nos cogat opposi-tum affirmare.

Et explicari ampliùs potest, quia in tali euentu nó est moralis cooperatio cum persona interdicta, quia potiùs est contra voluntatem facientis sacrum, vnde consideratò solo iure naturali, non est aliquid, ratione cuius celebratio sit inhonesta, & contra rationem.

Et opinio P. Suarez satis est probabilis: notandum tamen est, posse esse moralem cooperationem, si voluntariè permitteretur interdictus audire Missam. Item posset esse obligatio omittendi Missam ante inceptum Canonem ob scandalum.

DVBIVM III.

Quæ alia diuina officia prohibentur per interdictum.

Certum est, alia diuina officia præter sacrificium Missæ, esse prohibita per interdictum, capite, Si ciuitas, cap. Si senté-tia, de sententia excómunicationis, in sexto, & aliis locis in 6.

Deinde sciendum est, in iuribus, quæ de hac materia tractant, nomine diuinorú includi sacrificium Missæ, & Sacramenta, & alia diuina Officia; sed Sacramenta, & sacrificium peculiares habet prohibitiones, & solùm de aliis diuinis officiis nunc agimus, & volumus explicare, quænam sint illa. Legatur Pater Suarez supra sectione 3. Suarez.

Quorundam sententia est, omnia officia sacra, quæ in Missali, & Breuiario Romano continentur, comprehendi nomine diuinorum officiorum in hac materia: nã illa reuera sunt officia diuina, & prohibitio generalis est. Ita sensit Syluester interdictum 5. quæstione 3. Angelus num. 4. quamuis reuera non dicat totum, quod in Breuiario & Missali continetur, sed quod in Breuiario & Missali continetur.

Sed hęc sentétia non videtur exactè ré explicare: nam in Breuiario, & Missali aliqua sunt, quęnon prohibentur, vt benedictio mensæ: & extra Breuiarium, & Missale sunt aliqua quę prohibētur, vt in Pontificali, & Manuali.

Aliorum opinio est, qui hæc diuina officia reducunt ad duo capita, scilicet ad horas Canonicas, & sacramentalia. Sub priori membro comprehendunt omnia officia, etiam paruum Beatæ Mariæ, & officium defunctorum, & Litanias, & Psalmos Pœnitentiales: sub altero autem comprehendunt omnes cęremonias, quę pertinent ad Sacramentorum solemnitatem, aut proportionem materię illorú, & solemnes benedictiones Ecclesiæ, aut aquę.

Pro explicatione notandum est, Officium diuinum Ecclesiasticum dici, quod ab Ecclesia designatur pro suis ministris, & inuoluunt orationem ad Deum, vel Dei laudem, ita vt ex se sit actus externus religionis; secus verò si fiant ab aliquo priuata authoritate, quamuis vsurpet orationes Ecclesiæ: in hoc enim casu non sunt propriè officia Ecclesiastica, licèt possint diuina Officia dici.

Hac distinctione præmissa, P. Saurez disputatione citata sect. 3. docet per interdictum prohiberi diuina officia, vt Ecclesiastica, non tamen dicuntur priuata authoritate, vt à laico possunt dici. Et quidé quòd nó prohibeatur diuina officia, vt dicta priuata authoritate, videtur communis sensus.

Ex hac doctrina infertur prohiberi per interdictum officium, quod in Ecclesia dicitur tali modo, vt non possit hoc dici nisi à ministro ad id deputato. Ita sensit Syluest. Angelus, & alij Doctores in hac materia. P. Suarez supra: non est autem difficile cognoscere hunc modum ex circunstantiis ipsius actionis, & personarum.

Deinde ex prædictis infertur non prohiberi alia quædam diuina officia, quæ neq; sunt alicui ordini annexa, neque ex modo dicendi peculiari pertinent ad officium Ecclesiæ, verbi gratia, benedictio mensæ non est prohibita tempore interdicti. Item non est prohibitum recitare orationes, quas Ecclesia assignat pro itinere agendo: horæ verò Canonicæ cùm publica solemnitate censentur officium Ecclesiasticum, etiamsi non sint necessariò habentes connexionem alicui ordini Ecclesiastico, vt bene notauit P. Suarez: & idem dicerem ego de litaniis, si publicè dicantur à clero.

Restat explicare, quænam diuinorum officiorum celebratio concedatur in iure tempore interdicti generalis loci.

Et vt constat, iure antiquo omnis fere celebratio erat prohibita, vt constat ex iuribus citatis, & ex his quæ citat P. Suarez disp. 34. sect. 3. num. 2. Suarez.

Sciendum autem est capite, Quòd in te, de pœnit. & remiss. concessum fuisse clericis etiam secularibus, vt in communibus Ecclesiis possint bini & bini legere horas Canonicas, excõmunicatis & interdictis exclusis, & voce demissa, vt exterius non possint audiri: per quę diuina officia intelligunt Doctores horas Canonicas, de quo facilia quædam alia possunt intelligi apud P. Suarez supra à num. 10. Intelligetur prohibitio antiqua, nisi aliud habeatur ex priuilegio, vt habetur capite citato. Quod in te, de pęnitētiis & remissionibus. Suarez.

Sed iure nouo in capite, Alma mater, conceditur, vt diuina officia singulis diebus in Ecclesiis, & monasteriis sub conditionibus, cum quibus ibi conceditur celebratio Missę, vbi non præcipitur, vt dicantur diuina officia, sed quod possunt dici sicut prius: permittuntur autem modo omnia diuina officia illa, quæ aliis erant prohibita, vt bene P. Suarez supra num. 16.

DVBIVM IIII.

Quomodo intelligatur cōcessio diuinorum officiorum supra dicta.

Ad Maiorem explicationem eorum, quæ diximus, sciendum est etiam cōcedi solemnem celebrationem officiorũ diuinorum in quatuor diebus solemnibus, quibus supra diximus concedi celebrationem Missę, quod de diuinis officiis extenditur etiã ad festiuitatē, & celebrationem corporis Domini.

Sic restant aliquot difficultates explicãdę. Vna est, quando, & quomodo cōputetur tempus pro his diuinis officiis celebrandis: & non est difficultas de ipso die festo, hoc enim certũ est posse in illo dic horas illius diei celebrare.

Quæstio ergo esse potest de primis vesperis, quę in vigilia dicuntur ante diē ipsum festum, & sacrum.

Et dicendum est hoc tempus incipere à tempore vesperarum, quæ sunt primæ illius festi. Ita Couarrub. 2. p. § 5. num. 8. Nauarrus cap. 27. num. 184. Sotus 4. dist. 22. quæst. 3. art. 4. P. Suarez supra, & Doctores communiter: quia hęc festa quantum ad officia diuina incipiunt à primis vesperis diei antecedentis, vt constat; neque oportet in hoc probando immorari. Suarez.

Sed difficultas est, qua hora diei festi finiatur hęc concessio: in qua Glossa in caput, Alma mater, dicit finiri finitis vesperis, neque completorium posse dici solemniter. Quam opinionem sequuntur alij, quos refert Couarrubias. Et ratio esse potest, quia tunc videtur finiri dies festus, quantum ad hęc officia: quia completorium non solet dici solemniter in choro: & capite secundo de festis dicitur Dominicum diem terminari ad vesperas.

Sed contrarium docent communiter Doctores, & mihi videtur verissimũ, posse completorium dici solemniter: nam etiam hæc hora includitur in diuinis officiis illius diei, vt constat: ergo non est causa, ob quam dicamus suspensionem interdicti non fieri pro hac hora, siquidem fit concessio pro diuinis officiis illius diei. Et autem quæstio inter aliquos, an suspensio interdicti protrahatur post completorium,

torum, & communis sententia est nõ protrahi, quia pro his diuinis officiis facta est ea concessio: & quamuis absolutè pro toto die festo videatur suspensum interdictũ; tamen in re graui P. Suarez supra numero 24. sect. 3. non recedit reuera à cõmuni sensu Doctorum. Suarez.

Addendum, per concessionem diuinorum Officiorum intelligi omnia officia diuina, quæ aliàs erant prohibita, vt communiter dicunt authores, Couarrubias 2. parte § 4. num. 6. Nauarrus cap. 27. num. 185. P. Suarez supra, & alij: hoc enim probat, & verborum proprietas, & intentio concedentis.

Item de benedictione nuptiali specialiter disputat P. Suarez, an possint fieri in diebus prædictis, & resoluit ex vi interdicti posse dari, quia etiam quoad illã censetur ablatum, ex alio tamen capite posse esse prohibitum, quia certo tempore anni est prohibita.

Restat dicere de prohibitione diuinorum Officiorum in aliis interdictis.

Et quidem de interdicto speciali locali iure antiquo esse prohibitum & facere, & audire omnia diuina Officia, constat ex iuribus supra citatis: aduertit autem P. Suarez sectione illa tertia in fine, quantum ad hoc nihil esse immutatum per caput, Alma mater: legatur Couarrubias §. 5. num. 2. & idem dicendum est de quolibet interdicto personali.

DVBIVM V.

Quomodò peccent Ecclesiastici violantes interdictum.

IN Hac quæstione dicendum est ex genere suo violationem interdicti ab his personis celebrando, vel dicendo Officia diuina contra prohibitionem, esse mortale. Ita Caietanus in summa verbo, interdictum, Nauarrus cap. 27. num. 187. & cõmuniter alij: & ratio est manifesta, quia materia ex natura sua est grauis: ergo supposita prohibitione violatio erit grauis. Quæ ratio in omni interdicto vim habet.

Vt verò res speciatim explicetur, dubitari potest primò, an sit peccatum mortale exercere actum aliquem ordinis minoris. Sotus 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. in explicatione quintæ conclusionis videtur hoc limitare ad actum ordinis sacri, vt citatur ab aliquibus. Sed reuera non loquitur de culpa, sed de irregularitate.

Et esse graue peccatum supponit Syluest. interdictum 5. quæst. 3. & 4. & manifestè ita sentit P. Suarez sectione 4. num. 9. quia materia est sacra, & munus annexum alicui ordini, licèt minori: ergo non est causa, ob quam negemus esse grauem, & supposita violatione erit mortale. Suarez.

Potest etiam vocari in quæstionem, an canere in choro officium diuinum, vel notabilem eius partem, sit sufficiens materia peccati mortalis tempore interdicti. Et mihi videtur grauis violatio: nam materia est grauis, ex quãtitate, & qualitate, & prohibita est, ergo. Speciatim autem P. Suarez supra docet videri peccatum mortale, si quis dicat orationes diuini Officij præmisso, Dominus vobiscum: quia licèt quantitas sit parua, tamen est actus ordinis sacri proprius, & qualitate magna: ergo si fiat in choro contra prohibitionem, erit graue peccatum. Ego tamẽ non video idoneum fundamentum ad hoc asserendum.

Addit P. Suarez etiam fore peccatum graue benedicere aquam cum aspersione salis, & benedictionem Episcopalem solemniter datam, quia sunt actus ordini sacro annexi, & licèt breues videantur; tamen magni momenti sunt. Sed non auderem asserere esse peccatum graue tales actus, quia & quantitate sunt parui, & non apparet ex alio capite insignis eius grauitas. Et iuxta doctrinam istam facile est in similibus philosophari. Suarez.

Deinde sciendum est, Doctores aliquos affirmare esse graue peccatũ dicere Missam tempore interdicti ommissa vna circunstantia ex requisitis in capite, Alma mater, verbi gratia, facere sacrum apertis ianuis: quod videtur colligi ex Couarr. §. 4. numero 6. versiculo 14. Sylnest. interdictum 5. quest. 5. in principio. Tabiena num. 2. Arnald. nu. 4. & fauet Clementina prima de sententia excommunicationis, vbi trãsgressio interdicti videtur iudicari grauis, quia ianuis quibusdã obseratis Missa diceretur: & ratio esse potest, quia in ordine ab obseruandam pœnam interdicti ea circunstantia grauis videtur: & ita sentit P. Suarez.

Explicari verò potest, quia violationis materia non censetur sola circunstantia, sed totum officium dictum sine ulla circunstantia, ac proinde materia est grauis; & ideo addit P. Suarez, vt peccatum sit graue, debere dici totum officium, vel magnam eius partem cum defectu eius circunstantiæ.

Nihilominus existimare possem aliquis non esse mortale defectu talis circunstantiæ, quia si secundum se circustantia sola non est grauis; neque videtur grauis totũ officium cum illo defectu celebrare, modus enim indebitus celebrandi officium ex circunstantia indebita videtur colligendus.

Et oppositum non probatur ex citata Clementina: quia ibi non est sermo de solo defectu eiusdem circunstantiæ, sed alijs etiam, quæ faciebant religiosi, & non sine scandalo. In hoc ergo casu non dubito, quin fuerit graue peccatum violatio interdicti: ex hoc tamen non colligitur omissionem circunstantiæ vnius, vel alterius præcise absque scandalo, vel cõtemptu, neque ex intentione tribuendi aliis occasionem audiendi diuina Officia tempore interdicti, fore mortalẽ, quamuis ob periculũ scandali semper magna prouidentia sit agendum.

Ex dictis autem fit, clericos exercentes actum proprium sui ordinis tempore interdicti, & violantes interdictum incurrere irregularitates, & alias inhabilitates in iure espreslas; hoc est certum apud Doctores, de quibus penis agunt Doctores in materia de irregularitate, & legi potest P. Suarez disp. illa 34. sect. 4. à num. 24.

Suarez.

DVBIVM VI.

Quomodo peccent laici violantes interdictum.

Referuntur aliqui indicantes violationem interdicti à laico factã non esse peccatum mortale, sed non refero illos, eoquòd obscure loquuntur.

Et dicendum est primò, laicum violantem interdictũ personale, siue sit generale, siue speciale, facere graue peccatum ex genere. Ita P. Suarez supra sect. 5. cum aliis Doctoribus. Et ratio est, quia materia est grauis ex se, & supponitur prohibitio: ergo nihil deest, vt sit peccatum mortiferum. Secundò potest explicari à simili, nam violare excommunicationem est graue peccatum in laico, quia obligatur; & ita quando materia est grauis, peccatum est graue: ergo à simili in hac materia de interdicto.

Secundò dicendum est, laicos grauiter peccare violando interdictum locale, siue speciale, siue generale. Ita Syluester interdicto 6. quæst. 7. P. Suarez supra cum aliis Doctoribus, & probari potest argumentis factis pro prima conclusione. Legatur P. Suarez supra.

Tertiò dicendum est propter hanc violationem interdicti factam à laico nullã pœnam illum incurrere ipso facto, quia in iure talis non est imposita. Ita P. Suarez conclusione 3. quod intelligit ob solam transgressionem: nam si laicus speciali aliquo modo concurrat ad celebrationẽ contra interdictum, vel speciali pertinacia illud violet, sunt aliqui casus, in iure, in quibus ob eam causam specialem incurrit laicus censuram, iuxta Clemen. 2. de sententia excommun. vbi excommunicantur ipso facto laici, qui cogunt aliquem celebrare diuina officia in loco interdicto, vel prohibitos publice vocant, vt diuinis officiis intersint; vel qui prohibent ne egrediantur à templo interdicti admoniti à celebrante.

Vnde laicus non fit irregularis immediate propter violationem interdicti, vt notauit Couarrubias in cap. Alma mater part. 2. §. 1. num. 3.

DISPVTATIO L.

De priuatione sepulturæ Ecclesiasticæ, & ingressus in Ecclesiam.

DVBIVM PRIMVM.

An interdictum generale loci priuet omnes in eo loco Ecclesiastica sepultura.

ISTE Effectus interdicti expressus est in iure, ita vt interdictum generale priuet

priuet omnes Ecclesiastica sepultura, nisi habeant priuilegium, capite, Quod in te, de pœnitentiis, & remissionibus, & Clementina prima de sepulturis. Et quid sit Ecclesiastica sepultura potest intelligi ex his, quę diximus disputatione vndecima dubio tertio. Hoc verò loco specialiter notandum est, hominem non priuari sepultura, nisi in loco interdicto, non tamen in omni alio loco, in quo differt á priuatione sepulturæ per excommunicationem, quod oritur ex differentia vtriusque censuræ.

Circa illud de habentibus priuilegium sciendum est, in capite, Quòd in te, de pœnit. & remis. excipi clericos ab hoc onere, dummodo ipsi non dederint causam interdicto, vel non sint aliàs personaliter interdicti: & requiritur, vt gaudeant hoc priuilegio, quòd nō violauerint interdictum: hoc autem intelligit P. Suarez disp. 35. sect. 1. num. 4. de violatione interdicti, quæ potest oriri à clerico, vt clericus est, nam de clericis, vt tales sunt, est sermo in prędicto capite. Assignantur etiam certę conditiones: vna est, vt sepultura detur in cęmeterio: & ideo aliqui putant non posse clericos sepeliri intra Ecclesiam: quod non placet P. Suarez supra, eoquòd locus ille non satis conueniens videtur statui, & dignitati clericorum: sed revera caput vehementer inducit priorem sensum, aliàs vt quid explicaret locum cœmeterij? Secunda conditio est, vt fiat sine pulsatione campanarū. Tertia, vt fiat cessantibus omnibus solemnitatibus, quod de solēnitatibus Ecclesiasticis intelligunt meritò Doctores.

Quarta, vt fiat cum silentio: circa quam est dubium, an non solum prohibeatur cātus, sed etiam officij defunctorum in sepeliendo recitatio. Solum P. Suarez supra n. 7. distinctione vtitur: nam vel sermo est ex vi capitis citati, vel ex vi capitis, Alma mater, distinguit etiam de recitatione intra Eclesiam.

Et docet ex vi capitis, Quod in te, de pœnit. & remis. prohiberi non solum cantum, sed etiam recitationem illā, quia hoc significat verbum, Sub silentio.

Sed ex concessione capitis, Alma mater, potest dici Missa, & Officium pro clerico sepeliendo, seruatis circunstantiis.

Addit, per viam non posse dici Psalmos consuetos, quia hoc est prohibitum capite, Quod in te, & per caput, Alma mater, non est reuocatū: quia concessiones capitis, Alma mater, non possunt seruari nisi intra Ecclesiam.

Disputari autem solet, quis possit cōcedere priuilegium circa suspensionem interdicti, & quomodo sit intelligendū? De quo Pater Suarez supra à numero 12. Sed hoc pendet ex generalibus principiis.

Addendum est, violationem interdicti quantum ad hunc effectum esse grauem, quia materia de se est grauis, & est prohibitio: vnde Clementina prima de sepulturis imponitur excommunicatio ipsa his, qui tempore interdicti aliquem sepeliūt in Ecclesia. Præter hanc verò pœnam non inuenio aliam ipso iure latam ob talem culpam.

Secundum dubium restat explicandum, quomodò interdictum speciale loci priuet sepultura, eo loco. Et dicendum est iura citata loqui non solùm de generali, sed etiam de speciali: & in capite, Si ciuitas, de sententia excommun. in sexto fit specialis mentio interdicti loci specialis: vnde quę de generali diximus, seruata proportione locum habent in speciali: solùm manet dubium de priuilegio clericorum, de quo Pater Suarez supra sectione 2.

Prima opinio est asserentium non esse intelligendum de hoc interdicto, quia solùm loquitur textus de interdicto generali.

Alij docent etiam habere locū in interdicto specialis loci, quia eadem est ratio seruata loci proportione.

Tertia opinio refertur aliquorum, qui distinctione vtuntur, conceduntque clericis eius Ecclesiæ specialiter interdictæ posse in ea sepeliri, non tamen clericos alterius Ecclesiæ. Hanc opinionem sequitur Couarrub. pār. 2 § 2. num 7. & Syluest. interdictū q. vltima, quia in hoc euentu non est causa, ob quam dicamus non posse sepeliri in sua Ecclesia.

Aliam distinctionem adducit P. Suarez, docet enim, interdictum speciale posse contingere duobus modis: vnò, si vna tantùm Ecclesia sit interdicta, & aliæ in eadem ciuitate non interdictę: altero, quando vna est Ecclesia tantū in ciuitate, & illa est specialiter interdicta. In priori casu dicit

dicit nullum clericum posse sepeliri in Ecclesia interdicta, quia caput citatum loquitur de interdicto generali, & non est causa ob quam explicetur de speciali, secus in altero casu, quando interdictum speciale est quasi generale: & idem esset si omnes Ecclesiæ ciuitatis essent specialiter interdictę. Et hęc distinctio mihi maximè probatur, quòd sit maximè consentanea iuris dispositioni.

Deinde explicandum est, an personale interdictum priuet Ecclesiastica sepultura.

Si de interdicto personali speciali sit sermo, certum est priuare Ecclesiastica sepultura, Clem. 1. de sepulturis, & capite, Episcoporum, de priuilegiis in sexto.

Deinde aliqui dicunt, hoc ius habere locum in interdicto personali generali, argumento textus capitis, Si sententia; de sententia excomm. in sexto, eoquod ibi interdictum generale dicatur ligare singulas personas.

Alij verò contrarium sentiunt, quia non videtur expressus iste effectus in iure.

Sed alij docent, post Concilium Constantiense posse personam interdictam, si non sit nominatim interdicta, sepeliri in loco sacro. Sed ex Concilio solùm potest colligi, fideles posse illum sepelire absque eo quod faciant contra positiuam Ecclesiæ prohibitionem; tamen interdictę personæ non vult Concilium aliquem fauorem facere, sicut de excommunicato sæpe diximus in materia de excommunicatione.

Meum iudicium est, de iure antiquo nõ esse dubium propter caput Episcoporum citatum.

Secundò de iure nouo capitis Alma mater, solùm colligitur quod dixi, & ideo in praxi existimo operandum esse secũdum tutiorem partem.

DVBIVM III.

An interdictum priuet ingressu in Ecclesiam.

PEr interdictum locale non impeditur ingressus in Ecclesiam, secundum cõmunem sensum. Solùm enim prohibetur talis ingressus ad celebrandum sacrum, vel audienda diuina officia.

Deinde quidam putant esse quandam pœnam veluti suspensionis, iuxta cap. 15. de sententia excommunicationis, & capite vltimo, de officio ordin. in sexto; sed laxe sumitur ibi nomen suspensionis, non pro censura, quatenus suspenditur ab officio, vel beneficio.

Dicendum verò, est esse quoddam interdictum, quod est censura priuans aliqua participatione diuinorum, non in omni loco, sed in Ecclesia, in quo differt ab aliis interdictis personalibus, vt constat ex capite, Is cui: vnde qui est interdictus hoc interdicto, non potest celebrare in Ecclesia, vel audire diuina officia. Legatur P. Suarez supra sectione 4. Suarez.

Quæri autem potest, an sic interdictus possit existere extra Ecclesiam, & audire diuina officia, quæ in Ecclesia sunt. Et dicendum est non posse, quia prohibitio præcipuè eò tendit, vt ille non audiat diuina officia: contra quam prohibitionem faceret audiens, etiamsi extra Ecclesiã existeret quod supponit Syluester interdictum 6. quæst. 6. sed obseruanda est consuetudo.

Difficultas etiam est de hoc interdicto, an in cœmeterio possit Missam, aut alia diuina officia celebrare, vel audire. Aliqui affirmant, & citant Glossam in caput, Is cui, de sententia excom. in sexto; sed Glossa id non dicit: potest verò hæc pars probari, quia cœmeterium per se, & propriè non est Ecclesia.

Alij simpliciter negant id esse licitum, eoquòd moraliter cœmeterium comprehendatur nomine Ecclesiæ.

Alij verò solùm loquuntur de cœmeterio non contiguo, de quo affirmant moraliter non facere vnum locum cum Ecclesia: & hoc admittit P. Suarez numero 12. qui addit numero 13. hominem sic interdictum non posse sepeliri in cœmeterio etiam non contiguo, quia licèt non sit contiguum, tamen per se & primariò est institutum ad sepelienda corpora, quæ pertinent ad eam Ecclesiam, vt explicat num. 15. Suarez.

Deinde numero 16. docet absolutè ex vi huius interdicti non prohiberi hominem ab ingressu in cœmeterium, neque à celebratione in illo, pro quo citat alios Doctores, & ratio est supra facta.

Aliorum sententia est contraria, quam sequitur Syluester interdictum 5. quæst. 6. & alij, & mihi videtur magis consentanea iuris dispositioni: hoc enim significat, vt dicebam, verba illa, Priuatur ab ingressu Ecclesiæ.

DISPVTATIO LI.

De causa, ob quam fertur interdictum.

IN Materia de excommunicatione, & suspensione post disputationem de effectibus illarum censurarum institutus est sermo de causa, ob quam feratur: & eodem modo hoc loco disputandum est de causa, ob quam potest ferri interdictum.

DVBIVM PRIMVM.

An interdictum posit ferri ob solum peccatum mortale.

PRius dicendum est de interdicto personali, deinde de locali.

Et dicendum est, interdictum personale speciale non potest ferri in aliquem, nisi ob peccatum mortale, quando interdictum priuat rebus magni momenti. Hæc est communis sententia, quia pœna grauis non imponitur nisi ob culpam grauem. Et ita in materia docent authores loquentes de interdicto personali speciali: & in hoc casu loquitur de interdicto Vazquez. personali P. Vazquez 1. 2. disput. 158. capite 5. num. 50.

Addendum est, necessariam esse culpam propriam personæ, quæ interdicitur, quia est pœna propria illius, & ita requirit Suarez. propriam culpam.

Sciendum deinde est P. Suarez disput. 36 sect. 3. conclus. 1. admittere posse esse aliquid interdictum ita limitatum, quantum ad effectum, & breue tempus, vt posit sufficere culpa venialis: quod potest explicari à simili de minori excommunicatione, sed hoc non est in vsu.

Vlterius de interdicto generali personali dicendum est secundò, esse necessariam grauem culpam propter rationem factam.

Docet autem P. Suarez non esse necessarium, vt omnes qui interdicuntur, peccauerint, sed sufficere si magna pars eius communitatis, vel caput ipsum peccauerit, & peccatum tale fuerit, vt posit iustè ferri tale interdictum. In quo euentu interdictum respectu illorum, qui non peccauerunt, non erit pœna, sed ob communionem patientur illud detrimentum. Suarez.

Tertiò principaliter dicendum est, interdictum locale generale requirere causam magis grauem. Ita Doctores communiter, Couarrub. in caput, Alma mater, parte 2 §. 1. numero 14 Nauarrus capite 27. numero 16. & alij. Et ratio est quia est grauissima pœna, & ita docent authores non sufficere quodlibet peccatū mortale, sed necessarium esse grauissimum aliquod, & pertinens ad damnum boni communis. Et quòd hoc interdictum posit ferri sine culpa propriissima cuiuslibet illius loci, certum est, & vsus ostendit, & sufficit peccatū superioris eius loci, quod peculiarem habeat malitiam contra bonum aliquod.

Ita verò existimo esse necessariam grauem culpam ad grauem pœnam, vt sicut de excommunicatione dicebam, sic nulla sententia sine idonea causa.

Addendum est hoc peccatum debere esse actum externum, vt de aliis censuris diximus, quòd Ecclesia non potest punire actum pure internum.

Et ex doctrina tradita de excommunicatione certum est, quoties censura requirit actum peccati mortalis, si violatio ex aliquo capite tantùm sit venialis, excusabitur homo à censura.

DVBIVM II.

An posit interdictum ferri ob quodlibet peccatum mortale.

CIrca interdictum personale speciale, quod propriam culpam requirit, posset esse difficultas, an requirat peccatū contumaciæ, de quo in simili de suspensione nonnihil diximus: legantur Doctores ibi citati.

Secūdò de interdicto generali personali con-

constat non requiri in quolibet graue peccatum. Addendũ verò est, non quodlibet peccatum mortale ad hoc sufficere, propterea quod est multum detrimentum, vel pęna, quæ requirit grauissimum peccatũ, quod sit sufficiens causa plures homines puniendi, quando omnes sunt pęna digni, vel saltem, vt patiantur aliqui tam graue detrimentum.

Deinde de interdicto generali loci etiam est certum non sufficere quodlibet peccatum mortale, sed requiri grauissimum, vt pęna in omnes personas illius loci lata sit iusta.

Speciatim verò disputant aliqui, an sufficiat peccatum pastoris spiritualis, verbi gratia, Episcopi.

Negantes referuntur aliqui, nisi Episcopus sit dominus temporalis loci; sed hæc nec iure, nec ratione probatur, & ideo cõ- Suarez. muniter Doctores contrarium sentiunt: quod sequitur P. Suarez supra num.7. & vsus satis ostendit.

Sed difficultas est, an propter debitum temporale soluẽdum possit imponi: quãdo Episcopus, vel Princeps peccat non soluendo.

Et authores docent de licencia Summi Pontificis ferri posse, quia peccatum potest esse valde graue, & contra bonum aliquod commune.

Secundò affirmant non posse ferri sine licentia Pontificis, iuxta caput, *Prouide*, de sententia excommun. An verò hæc decisio habeat locum etiam in interdicto locali particulari, quæstionem habet, & diuersæ sunt opiniones; sed caput reuera loquitur de interdicto generali, neque est causa, ob quam etiam de particu- Suarez. lari exponatur. Legatur P. Suarez supra num.8.

Dubitant verò aliqui quomodo possit iudex ferre interdictum generale loci propter peccatum vnius vel aliquorum, quando sunt plures innocentes: de quo legi potest P. Suarez supra à num.11. Ego verò supra dixi, respectu innocentis pœnam non esse, licèt per accidens patiatur aliquod detrimentum in priuatione boni spiritualis ob iustam causam puniendi alios.

Hic posset disputari de his, quæ excusant ab illa pœna, vt ignorantia: sed obseruanda sunt quæ de censuris in genere diximus.

DISPVTATIO LII.

De causa sufficienti, seu de eo, qui potest ferre hanc censuram.

DVBIVM PRIMVM.

Quis possit ferre censuram interdicti.

Ponendum est hanc cẽsuram posse ferri à iure, & ab homine, vt per se constat, & vsus ostendit.

Deinde dicendum est, eum posse communiter hanc sententiam ferre, qui potest excommunicare & suspendere. Est communis sententia Doctorum. Legatur Couarrub. 2. part. §.2. num.6. Nauarrus cap. 27. num, 168.

Ponimus verò hanc potestatem esse in Ecclesia, sicut diximus de potestate excommunicandi, & ferendi sententiam suspensionis, & dicimus potestatem ferendi hanc censuram esse in eo, qui potest ferre sententiam excommunicationis.

Prædicta verò doctrina limitanda est, quia vt notauit cum aliis P. Suarez disp. 36. sect.1. non est in vsu, vt superiores religionum habeant potestatem ferendi sententiam interdicti.

Addendum est, interdictum à iure non posse ferri nisi ab eo qui habet potestatem condendi canonicum ius, & ad illud sub censuris obligare: quod pendet ex principiis generalibus de potestate condendi leges Ecclesiasticas.

Item est certum duobus modis posse hominem habere potestatem ferendi interdictum, nempe iure ordinario, vel per delegationem.

Est verò potestas ordinaria in Episcopis, & aliis Prælatis superioribus ipsis Episcopis, cap. Episcoporum, de priuilegiis in sexto. Vnde & hanc potestatem habet Pontifex: habet etiam Concilium generale, & multi alij, qui participant iurisdictionem Episcopalem, vel qui eam habent delegatam.

Solet verò quæri, an habeat hanc potestatem capitulum Cathedralium Ecclesiarum, quando sedes non vacat. Et sumitur ratio dubitandi ex capite,

pite, Cùm inter, de consuetudine, vbi id videtur supponi.

Sed communis sententia est, capitulum non habere hanc potestatem iure ordinario. Ita sentiunt Iurisperiti in caput, De his quæ fiunt à maiori parte capituli non viuente Episcopo, capitulum non habet ordinariam iurisdictionem fori contentiosi.

Secundò docent Doctores ex consuetudine, vel priuilegio aliquo habere capitulum hanc iurisdictionem, & sic explicatur caput citatum *Cum inter*.

Illud etiam vocatur in quæstionem, an Episcopus posit interdictum ferre sine consensu capituli. Aliqui negant, ob caput secûlum de excessibus prælatorum: sed illud caput non loquitur de communi interdicto, sed de interdicto lato in clericos. Deinde, vt benè notat P. Suarez, per consuetudinem abrogatum est illud decretum. Suarez.

De potestate verò delegata & ex commissione, non occurrit aliquid speciale dicendum.

DVBIVM II.

Quæ forma sit seruanda in ferendo interdicto.

QVæstio posset esse, & de essentiali forma, & de accidentali. Circa primum obseruanda sunt quæ diximus in simili, de excommunicatione, & suspensione.

Constat autem esse necessaria aliqua verba, & quæ habent sufficientem significationem ad explicandum animum volentis punire, & non quandocumque, sed ad significandam certam censuram, & peculiare interdictum.

Præter hæc autem verba, nulla alia, nec certa verborum forma est essentialiter requisita.

Solet verò quæri, an sit necessarium vti hoc verbo *Interdico*.

Multi affirmant, quos sequitur Maiolus libro 3. de irregularitate, capite 20. numero 10. qui vult asignare differentiam inter interdictum personale, & reliqua.

Sed hæc non satis intelligitur, neque constat ex iure aliquo positiuo, vel ratione: & certe neque in hac censura, neque in aliis est necessarium hoc verbum, satis est, si explicetur sensus prædictus, vt bene Pater Suarez disputatione citata sectione vltima. Et quo tempore duret, ex dictis in simili de suspensione iudicâdum est. Circa formam accidentalem tria possunt considerari. Vnum, quod antecedit sententiam: alterum ipsa sententia: aliud, quod sententiam subsequatur. Suarez.

De primo P. Suarez dicit esse monitionem necessariam, quando fertur per modum censuræ, sicut retuli ex mente eius in materia de suspensione: putat enim censuram proprie sumptam requirere contumaciam, ac proinde necessaria est aliqua monitio; secus si vt pura pœna feratur.

Solemnitas comitans dicitur illa, quæ in sententia ferenda seruanda est, iuxta caput primum, de sententia excommun. in sexto, cuius decisio in hac censura locû habet, & ad eam pertinent ea, quæ requirit iuris ordo, licèt quædâ sint necessaria, vt sit valida sententia, quædam vt sit iusta. Solemnitas subsequens dicitur denunciatio, & manifestatio sententiæ, vt agnoscatur ab eo, in quem fertur.

DISPVTATIO LIII.

De his, in quos potest ferri interdictum.

DVBIVM PRIMVM.

Quis posit interdici ratione interdicti localis.

SECVNDVM Doctrinam traditam constat, locum generalem, seu specialem, posse interdici ab habente potestatem, & causa necessaria subsistenti. Et potest quæri de vniuersa Ecclesia, an posit interdici: & certum est, viuente Pontifice Romano, nullum præter ipsum posse interdicere totamEcclesiam, neque Concilium generale viuente Pontifice, solus enim Pontifex habet iurisdictionem in totâ Ecclesiâ. Dixi

viuente

viuente Pontifice, quia sede vacante Cõcilium generale ante congregatum habet iurisdictionem in totam Ecclesiam, de quo alibi.

De summo verò Pontifice certum est primò posse inducere interdictum in vniuersas Ecclesiæ partes diuisiuè, id est, in quamlibet sigillatim, quia habet iurisdictionem in omnes illas: ergo subsistenti causa poterit ferre sententiam interdicti.

De Ecclesia verò simul, & partibus collectiuè sumptis, quantum est ex parte protestantis Pontificis, & ex capacitate loci non repugnat: moraliter enim non occurret causa legitima, vt bene docuit P. Suarez disp. 36. sect. 2.

Suarez.

De Episcopo solet quæri, quantum locum possit interdicere. Et dicendum est posse Episcopum totam diœcesim suæ iurisdictioni subiectam interdicere, non solùm diuisiuè, quia potest qualibet eius partem interdicti sententia ligare, sed omnes partes collectiuè: & poterit occurrere sufficiens causa ad talem sententiam ferendam.

Interrogant verò aliqui, an Episcopus possit aliquem locum extra suam diœcesim interdicere, & non quæritur de iurisdictione delegata, si illi à superiore delegaretur; sed de ordinaria. Et absolutè dicendum est non posse, quia in locum, in quem non habet iurisdictionem, non potest ferre sententiam.

Suarez.

Addit Pater Suarez supra sectione 2. ex iure habere quod possit loci sibi contigui aliquid interdicere, quantum necessarium sit ad seruandum interdictum propriæ diœcesis, iuxta caput, Si ciuitas, de sententia excommunicationis in sexto.

Sed dices, Episcopus potest interdicere subditum existentem extra diœcesim: ergo & locum.

Respondetur esse manifestum discrimen: nam si potest subditum interdicere, est propter iurisdictionem, quam tamen in locum non habet extra propriam diœcesim.

Dices, subditum alterius potest Episcopus interdicere, si in sua diœcesi delinquat: ergo à simili.

Respondetur esse differentiam, quia ille ratione delicti fit subditus eius Episcopi, in cuius diœcesi deliquit, & ita nunquam fert sententiam sine iurisdictione.

Deinde explicare oportet, an possint interdici loca non sacra, neque vsibus diuinis deputata: & si sermo sit de interdicto generali, non est dubium, quia omnia interdicuntur, vt in eis non possint diuina celebrari. Quæstio ergo est de interdicto particulari, quia per istud interdictum non solet interdici nisi templum aliquod, vel Ecclesia. Ex altera verò parte non apparet causa, ob quam non posit interdici: & ita esse fatetur P. Suarez, si potestatem consideremus, licèt moraliter non fiat, sicut per accidens fiet in interdicto generali.

DVBIVM II.

Quæ personæ possint interdici interdicto personali.

IN Hac materia communis sensus est, quantum est ex parte capacitatis personæ, si cetera adsint, omnes illos posse interdici, qui possunt excommunicari. Ita Nauarrus cap. 27. num. 163. Syluester interdictum tertiò in principio, & alij communiter: quia istæ personæ subiectæ sunt alicui: ergo sicut in illos potest superior ferre sententiam excommunicationis causa subsistenti, ita & sententiam aliam concurrentibus rebus necessariis: quod ita intelligendum est, vt subditus à solo suo superiori possit interdici, sicut & excommunicari, quia ad sententiam requiritur iurisdictio.

Sed sunt nonnulla notoria: vnum est, Episcopos non posse interdici per generalem legem, per quam interdicuntur omnes, hoc enim statutum est capite, Quia periculosum, de sent. excommunicationis in sexto.

Secundum est, non solùm particulares personas posse interdici, sed etiã communitates: in quo hæc censura differt ab excommunicatione, & suspensione, quæ est sententia cõmunis, & sumitur ex capite, Si sententia, de sententia excom. in sexto. Quomodo verò per accidens liget omnes personas eius communitatis, ex supra dictis constat.

Quæri verò potest, an generali ratione possint etiā interdici infantes, seu perpetuò amētes. Loquor de generali, nam interdicto personali, & in particulari, certum est non posse, quia non fertur nisi ob peccatum proprium, cuius istæ personæ non sunt capaces: interdictum verò generale potest ligare aliquando aliquem sine culpa propria, ergo & infantes, seu amentes, licèt non possint peccare.

Nauarrus propter hanc rationem, capite 27. num. 168. docet hos infantes comprehendi in interdicto generali personali.

Suarez. Sed P. Suarez sectione 2. citata numero 7. docet has personas non comprehendi in interdicto personali generali. Probat, quia hæc pœna est moralis quædam priuatio diuinorum: peccatū, verò supponit in persona capacitatem, quæ non est in infantibus seu amentibus: & idem docuerat Syluester interdictum 2. particula 17. & Couarrub. in caput, Alma mater 2. part. §.4. num. 5. & Corduba in summa quæstione 60.

Speciale verò dubium est, an saltem isti infantes priuentur Ecclesiastica sepultura propter interdictum generale, personale. Et quæstionis causa est, quia propter interdictum generale locale priuatur sepultura, ergo priuari potest per interdictum generale personale.

Sed Pater Suarez supra numero 8. sentit non comprehendi hos infantes interdicto generali personali, quantum ad effectum hunc priuationis sepulturæ. Et probari potest, quia cùm non comprehendantur quantum ad alios effectus, non est causa, ob quam dicamus comprehendi quantum ad illum. Est verò discrimen inter interdictum locale, & personale, quòd illud simpliciter afficit locum, & ita in eo nullus potest sepeliri: at verò personale assumit personas, quòd si illas non afficiat, non priuabuntur sepultura in eo loco.

Sed occurrit difficultas, quid dicendum sit de infante, qui initio interdicti non habebat vsum rationis: & tamen ante quam finiretur interdicti tempus, peruenit ad vsum rationis, nunquid tunc incipiat ligari interdicti sententia.

Refertur communis opinio asserentium, statim ab instanti vsus rationis incipere eam sententiam ligare puerum. Ita Glossa in caput, Sic sententia, de sententia excommunicationis in sexto. Panormitanus in capite, Quoniam, de officio Ordinarij: & idem dicunt aliqui de eo, qui durante interdicto fit de nouo pars eius communitatis, vt notauit Syluester interdictum 2. numero 9. Et ratio pro his omnibus est, & explicari potest, quia ex eo momento obligantur legibus eius communitatis: & idem dicunt aliqui de interdicto loci, si locus fuit alicuius partis additio, ita vt sit vnus locus.

Tandem dubitari posset, an interdicto generali personali posset aliquis seipsum interdicere: quod non habet speciem dubij in interdicto speciali, quia nullus potest seipsum censura ligare, vt sæpe diximus, quia in seipso non habet iurisdictionem: in interdicto verò generali ratio dubitandi est, quia quasi secundariè, & per accidens fertur in aliquas personas, tamquam partes eius communitatis.

Verùm rectè P. Suarez supra in fine docet hoc etiam modo neminem posse ligare seipsum, quia reuerà ad hoc etiam est necessaria iurisdictio in eum, qui ligandus est censura, debet enim esse subditus. Suarez.

DISPVTATIO LIIII.

De relaxatione interdicti.

DVBIVM PRIMVM.

An semper sit necessaria relaxatio, vel absolutio interdicti, vt illud cesset.

IN Hac materia ponendum est interdictum positum, vt puram pœnam delicti præteriti absque vlla conditione, quæ pendeat ex voluntate interdicti, non posse auferri, nisi ex voluntate superioris, relaxantis, quia est pœna, & non limitata ad certum tempus: ergo sola voluntate superioris potest finiri.

Se-

Secundò, quando est pura pęna pro tempore determinato, non est necessaria absolutio, sed solo temporis illius spatio elapso cessabit, iuxta voluntatem ferentis illud, vt per se constat, & docuit P. Syluester interdictum 3. quæst. 9. P. Suarez disputat. 38. sectione 1. & alij communiter.

Difficultas verò est, quando interdictum fertur sub conditione tacita, vel expressa, donec satisfaciat, quia fertur ad auferendam contumaciam. In hoc euentu quęrimus, an purificata conditione sit necessaria absolutio, vel relaxatio.

Suarez. P. Suarez num 5. putat necessariam esse absolutionem: & probari solet priùs, quia contraria sententia non habet firmum fundamentum, & textus qui eam inducunt, loquuntur de interdicto, vt est pura pœna.

Secundò probant à simili de excommunicatione, de qua P. Suarez idem sensit, & argumentum est à simili, & probat antecedens, ex capite, Cùm desideras, & ex capite à nobis el primero, & capite, Cùm in dubiis, de sententia excommmun. & ex capite, Cùm ab Ecclesſ. de officio Ordinarij.

Tertiò ratione, quia aliàs in hoc interdicto nũquam esset necessaria relaxatio, vel absolutio, quia tale interdictum fere semper fertur pro determinato tempore, quia semper videtur implicitam conditionem habere.

Sed contrariam sententiam sequuntur non parui Doctores, Couarrubias in caput, Alma mater, 1. part. §. 11. nu. 8. Syluest. interdictum 3. quæst. 9. Abbas in capite, Non est vobis, de sponsalibus, & alij quos retuli disp. 24 dub. 1. vbi nos de excommunicatione diximus, & idem dicendum est. Et ex dictis ibi facilè poterũt solui quæ allata sunt pro opinione P. Suarez, *Suarez.* neque opus est repetere doctrinam ibi à nobis traditam: & P. Vazquez in tractatu de interdicto eodem modo philosophatur de sententia illius, & de excommunicatione.

Iuxta hanc secundam sententiam, & de excommunicatione legi potest, tractatus de excommunicat. dubio 8.

DVBIVM II.

An interdictum cesset per mutationem loci.

Dvbium hoc solet tractari à Doctoribus in tribus casibus, & primus est de interdicto locali: quia tale interdictum fertur in loco, & destructo subiecto euanescit accidens illius. Ex altera verò parte non videtur possibilis destructio loci tanta, vt ex illa cessare possit interdictum.

Aliqui docent primò esse distinguendum inter interdictum locale generale, & interdictum particulare: nam generale per se fertur in solam aliquam ciuitatem, vel prouinciam. Secundariò verò in particularia loca. Vnde locus, in quem fertur hoc interdictum non potest, moraliter loquendo, mutari, tum quia non potest ita destrui, quin maneat terra sub iurisdictione eius.

Solùm ergo potest dubitari in casu, in quo per aliquam alienationem amitteret iurisdictionem is, qui tulit interdictum.

Sed refertur communis opinio asserentium in hoc casu non tolli interdictum per solam alienationem. Ita Syluester interdictum secundo, numero 3. Caietanus titulo de interdicto: & probant, quia illud interdictum est onus loci, & P. Suarez addit disp. 38. sectione 1. numero 11. *Suarez.* posse talem modum tollendi interdictum cedere in damnum & contemptum Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ iustitiæ, & ideo neque esse in vsu, neque admittendum.

Et falluntur qui dicunt, non fieri interdictum locum de nouo acquisitum à domino, ex eo solùm, quòd sit eius domini, nisi, vt notauit Syluester, interdictum latum fuerit circa omnem locum eius domini iure possessum, siue etiam possidendum.

Item dubium proportionabiliter potest disputari, de parte loci generaliter interdicti, quando ita separatur ab illis, vt non maneat pars eius loci, & idem iudicium est, iuxta dicta: & eodem modo philosophatur P. Suarez loco allegato, & eadẽ proportione seruata

 phi-

Suare. Philosophatur P.Suarez de interdicto locali speciali: & tandem numero 14. docet interdictum deambulatorium finiri absque noua relaxatione per mutationem personæ; per hoc enim interdictum, interdicitur locus, in quo persona talis actu existit: ergo si separatur ab illo, hoc ipso manet ille locus sine interdicto, & alius nouus interdicitur, iuxta voluntatem ferentis sententiam.

Iuxta dicta ergo dicendum est, primò per alienationem non auferri interdictū. Secundò per destructionem aliquam, vel mutationem aliquam generaliter interdicti, non cessare interdictum. Tertiò per acquisitionem de nouo alicuius loci non fieri illum interdictum.

Alia difficultas est de interdicto personali generali.

Suarez. De qua P.Suarez numero 15. docet, quòd si omnes personæ illius communitatis, verbi gratia, collegij alicuius, de finant esse partes talis collegij, definet interdictum sola destructione subiecti, quia non manent illæ personæ, vt partes eius totius formaliter: & idem docet de qualibet persona illius Collegij, quando sola separatur ab eo capite, & deserit præbendam, quia illa persona non erat interdicta, nisi vt pars eius communitatis.

Et eadem ratione si quis denuo fiat collega collegij interdicti, statim participat rationem illius: quæ est communis senten tia Iurisperitorum in caput, Si sententia, de sententia excommunicationis, & Summistæ communiter. Ita sentiunt verbo interdictum, Syluester verbo interdictum 2.numero 10.11.& 12.qui alios refert Couarrubias libro 2. variar. cap.8. num.10.

Sed addunt citati Doctores, exceptionem, nisi is qui separatur à cōmunitate, talis fit, vt dederit causam interdicto. Iste enim est per se interdictus, quasi interdicto personali.

Suarez. Sed quærit P.Suarez, quid dicendum sit, si populus fuit interdictus propter peccatum domini, & definat esse illius domini, an hoc ipso liberetur ab interdicto.

Et respondet non liberari, quia licet subiectio domini fuerit conditio ad ferendam censuram, non tamen fuit quasi forma, & ideo eget absolutione, vel relaxatione, quia interdictus fuit primariè talis populus, qui tamen formaliter manet.

DVBIVM III.

Quomodo cesset interdictum personale particulare.

Difficultas potest esse quando interdictus personali interdicto particulari moritur, an per mortem eius cesset interdictum illud. De quo P.Suarez supra à num. 20.& difficultas intelligitur, quādo ille verè cum contritione, & sanctitate mortuus est ante quàm absolueretur ab interdicto. Suarez.

Prima sententia refertur aliquorum asserentium, ipso facto cessare interdictum, neque esse necessariam absolutionem & probant ex capite, Is cui, de sententia ex com.in sexto, vbi de eo, cui est Ecclesiæ ingressus interdictus, dicitur quòd non debet in Ecclesia sepeliri, nisi egerit pœnitentiam: ergo indicat caput posse sepeliri, si pœnituerit, absque alia absolutione, vel relaxatione ab interdicto.

Quantum verò attinet ad alios effectus, per mortem destructum est interdictum, quia corpus mortuum non est capax diuinorum officiorum. Et ita sensit Couarrubias in caput, Alma mater 2.par. §.1.num.3.

Alij verò Doctores dicunt necessariam esse relaxationem interdicti, quantum ad alios: illi enim sunt qui possunt tribuere defuncto Ecclesiasticam sepulturam. Ita sentiunt Ioannes Andreas, & Ancharranus in citat.caput, Is cui, de sententia ex com.in 6.P.Suarez sect.1. citat.in fine. Suarez.

Et probari potest, quia sola defuncti pœnitentia non auferebat prohibitionem ab aliis, qui non poterant corpus defuncti interdicti sepelire in loco sacro: & hoc mihi est probabilius, & obseruanda sunt quæ diximus disp.23 dub.1.explicātes an defunctus possit absolui, vel excommunicari.

Caput verò citatum pro prima opinione non confirmat illam, solùm significat, quòd si defunctus dedit ante mortem signa pœnitentiæ, poterit auferri prohibitio, qua alii tenebantur illum non sepelire in loco Ecclesiæ.

Addit

Addit P.Sotus illud esse specialiter expressum in eo capite, quia aliquando solent iura priuare aliquem sepultura propter aliquod crimen, etiamsi pœnitentia præcedat ante mortem, vt patet, capite 2 de raptoribus, de quo hic non disputo.

DVBIVM IIII.

Qui possunt relaxare interdictum.

DIcendum est autem, posse relaxare illud, qui illud tulit, aut superior eius, vel ex commissione iuxta dicta in simili de potente absoluere ab excommunicatione, vel suspensione. Legatur Syluester interdictum 3 num 16 Sotus 4 dist. 22. q. 3. art. 4. concl. 3. & Iurisperiti in caput, Si sententia, & caput, Si ciuitas, de sententia excommun. in sexto. Hæc verò doctrina intelligitur de interdicto ab homine lato.

Si verò sit interdictum latum à iure, distinguunt aliqui: si enim sit latum in puram pœnam, dicunt hoc regulariter ferri ad certum tempus, quo elapso finitur, vt docuit Nauarrus in simili de suspensione capite 27 num. 162. & idem dicit Pater Suarez disputatione illa 28. sectione 3. de interdicto simpliciter lato in paruam pœnam.

De eo verò quod fertur ob contumaciā, etsi feratur cum reseruatione, non poterit relaxari, nisi vel auferatur, vel à suo superiore, aliove ex licentia ipsius.

Alio modo fertur sine reseruatione; & tunc est difficultas, an possit auferri ab inferiori & rursus distinguunt aliqui de interdicto locali, & personali; & si sit locale generale, vel particulare, non videtur posse tolli, nisi ab Episcopo illius loci, vel qui in eo loco habet iurisdictionē quasi Episcopalem, quia isti sunt superiores in eo loco.

Suarez. Addit P.Suarez hoc esse verum, etiamsi interdictum sit latum à summo Pontifice; si tamen non est ab eo reseruatum, iuxta caput, Nuper, de sententia excommun. vbi dicitur. Quod legislator nō reseruauit, ordinariis iudicibus concessisse videtur: & idem docet de interdicto generali personali, ob easdem rationes. Legantur Iurisperiti, quos citat P.Suarez numero 6. in fine.

Restat dicendum de interdicto personali speciali: certum etiam est posse tolli ab Episcopo. Quæstio autē potest esse, an possit à quolibet proprio Sacerdote, qui potest absoluere à mortalibus. Et aliquorum opinio videtur solum Episcopū posse hoc interdictum relaxare: & probari potest, nā respectu illius personę grauius est hoc interdictum, quā interdictum generale; & tamen à generali solus Episcopus potest absoluere.

Pro contraria parte videtur caput, Nuper de sententia excommun. vbi absolutio ab excommunicatione non reseruata censetur concessa non solum Episcopo, sed etiam proprio Sacerdoti: ergo idem erit de absolutione ab interdicto personali particulari: nam hæ duæ censuræ quātum ad hoc æquiparantur, iuxta Glossam in caput, Præsenti, de sententia excommun. in sexto: & hoc putat probabilius P.Suarez supra sectione 2. numero 9 & ratio contrariæ opinionis non vrget, quia est diuersę naturę interdictum generale, & particulare. Suarez.

Sed potest obiici contra rationem secundæ sententiæ, esse diuersam rationem excommunicationis, & interdicti: nam excommunicatio impedit absolutionem sacramentalem: & ideo quando non est reseruata, cōmittitur illi absolutio à censura; at verò interdictum non impedit receptionem Sacramenti pœnitentiæ, maxime post caput, Alma mater: vnde non videtur necessarium, vt sacerdos possit ab interdicto absoluere. Verùm hoc facilè resatur, quia interdictum particulare personale impedit receptionem Sacramentorum.

DVBIVM VLTIMVM.

Quæ forma sit reseruata in relaxatione interdicti.

SCiendum est, quantum attinet ad substantiam huius relaxationis nulla esse verba determinata per ius; sed illa sunt necessaria, & sufficiūt, quæ significant voluntatem relaxandi tale interdictum in habente potestatem. Quomodo verò, vel quando, & quis possit per alia signa relaxare

xare censuram hanc, potest intelligi ex dictis in simili de excommunicatione: legaturSyluester. interdictum 3. quæst. 9. Accidentalis etiam solemnitas nulla est assignata in iure pro hac relaxatione facienda. Aduertit verò Syluest. interdictum 3 quęst. 8. in fine, & 9 in principio, relaxationem hanc faciendam esse cum iuramento, & probat ex capite, Alma mater, in quo nihil inuenio de hac re: & ideò existimo tale iuramentum non esse necessarium, vt etiam docuit P. Suarez supra sectione 3.

Disputatur verò à Doctoribus, an possit interdictum ad cautelam relaxari. In qua quæst. certum est interdictum generale loci non posse relaxari ad cautelam, quia ita dispositum est capite, Præsenti, de sententia excommun. in sexto. Legatur Couarrub. in capur, Alma mater 2. p. §. 2. num. 5. Syluest. interdictum: sed tale interdictum absolutione relaxandum est præmissa priùs cautione iuxta formam capitis, Cui cōtingit, de officio delegati, & capitis, Soler, de sententia excommun. in sexto, vt notauit decisio Rotæ in antiquis 77. & 436. & Nauarrus in caput, Cū contingat, de rescriptis: quod obseruabat Vazquez. tractatu de interdicto P. Vazquez.

Prædicta verò cautio exhibenda est à principali causa interdicti, vt ratio postulat, & notauit Syluester interdictum tertiò, quęstione vltima. De aliis verò interdictis fuse disputāt aliqui, an possint relaxari ad cautelam. Sed P. Vazquez breuiter docuit posse relaxari, idque colligi à Doctoribus ex eo, quòd in citato capite solū est sermo de interdicto generali loci. Circa alia verò interdicta nihil tale est in iure statutum.

Tandem disputari potest, an interdictum possit per appellationem suspendi. Et certū est interdictum esse nullum post legitimam appellationem latum, vt definitur capite, Ad hæc, & vltimo de appellationibus, & capite, Is cui, de sententia excommun. in sexto. Difficultas est de appellatione post latam excommunicationem iustam, & Panormitanus in caput, dilectis, de appellationibus inducit suspendi censuram.

Sed communis sententia Doctorum est, non suspendi. Ita Couarrub. illo 2. num. 1. Syluester interdictum 3. § octauo, & nos supra disp. 3. dubio vltimo cum communi doctrina, quam sequutus est vt certam P. Vazquez tractatu de interdicto §. vltimo, & P. Suarez pluribus in locis: legatur disputat. 3. de censuris sect. 8. & disp. 38. sectione vltima num. 5. Et in hoc vltimo loco disputant, an possit interdictum suspendi ab eo, qui illud tulit. Vazquez.

Panormitanus in caput, Ad hæc, & vltimo de appellationibus, docet non posse suspendi ab eo etiam, qui illud tulit: pro qua opinione aliis citat Syluester.

Sed contrariam sententiam sequuntur communiter Doctores. Ita Couarrub. §. illo 2. num 4. Syluester interdictum 3. §. 8. P. Vazquez, & P. Suarez supra: quia cū Vazquez. talis sententia pendeat ex voluntate iudicis, qui illam tulit, nō apparet causa, ob quam non possit ab eo suspendi. De interdicto tamen lato in personam, & particulari, Syluester docuit, quòd non potest Episcopus dispensare, vel illud suspendere, vt interdictus possit celebrare, sed solus Summus Pontifex.

Sed contrarium docuit Couarrub. affirmans etiam interdictum posse ab Episcopo, qui illud tulit, suspendi: quod intelligit Couarrubias, & P. Vazquez, etiamsi persona perseueret in crimine, potest enim alia causa subsistere.

Difficultas est, an possit suspendi interdictum quantum ad certum actum, nepe vt ille celebret; ita tamen vt alia, quę pro hibita sunt, non faciat.

Aliqui affirmant hoc posse fieri ex voluntate iudicis: citatur Nauarrus cap. 27. num. 165. Couarrubias etiam loco citato affirmare videtur: licet enim Episcopus non possit disponere, vt in loco interdicto celebretur, tamen potest facere suspensionem interdicti in eo loco.

Sed sunt qui doceant non posse fieri talem suspensionem.

P. Vazquez docet videri hoc non posse fieri ab Episcopo, quia non potest dispensare in his, quæ sunt de iure communi: excommunicatio autem suos habet effectus ex institutione Pōtificis: ergo maiorem excommunicationem non potest Episcopus facere, vt habeat vnum effectum, & non alium: addit tamen propter vsum quotidianum dicendum esse hoc fuisse concessum peculiariter huic censuræ & ideo cōmuniter Doctores concedunt id posse fieri, vt concessit P. Suarez supra sect. 3. num. 5.

LI

LIBER SEPTIMVS.

DISPVTATIO LV.

De interdictis in specie à iure latis.

DE HAC Materia agit P. Suarez disp. 37.

DVBIVM PRIMVM.

Quæ, & quot interdicta sint ipso iure lata in Bulla Cœnæ, in Decreto, in Decretalibus, in Sexto.



HÆC Interdicta referam iuxta ordinem seruatum in referendis excommunicationibus.

Primò ergo afferri potest interdictū ex Bulla Cœnæ, vbi in ea clausula interdicūtur vniuersitates, collegia, & capitula quæ ad futurum Cōcilium appellāt à sententiis Summi Pontificis, vbi in alias personas fertur excōmunicatio, de qua diximus supra.

Deinde in Decreto habetur interdictū capite, Si quis deinceps 7. q. 15. in eum qui Episcopatum, vel Abbatiam, vel quā cumque inferiorem Ecclesiasticam dignitatem de manu laicæ personę suscipit, & non refertur absolutè, sed cum restrictione temporis sub illa conditione: *Quousque locum resipiscendo non deseruerit*, & eadem pœna extenditur ad ipsum laicum qui confert dignitatem Ecclesiasticam.

Aliud fert capite, si qui sunt 81. dist. quo interdicūtur omnes clerici in sacris constituti, qui in crimine fornicationis iacētt quod iam non videtur esse in vsu.

Aliud interdictum fertur *In decretalibus* capite, Sacro, de sententia excommunicationis, vbi per mensem interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, qui excommunicatus sententiam profert in aliquem, nisi competenti admonitione præmissa, & personis præsentibus, per quas possit admonitio præberi: quæ pœna satis est manifesta.

Deinde in Sexto plura feruntur interdicta, vnum habetur capite 1. de sententia excommunicationis in sexto, vbi Ecclesiasticus iudex, qui in ferendis censuris non seruat formam ibi praescriptam, per vnum mensem ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis Officiis interdicitur. Circa quem textum notandum est primò illud, si quis iudicem huius constitutionis temerarius violator existat, ad hoc enim requiritur certa scientia.

Secundò notandum est, quòd licèt hæc censura feratur per verbum Suspendi, tamen non est suspensionis censura, sed interdicti, quia ex effectu, & materia hoc colligitur, vt notauit P. Suarez disput. 37. sect. 1. num. 2. qui etiam docet non includi Episcopum, quia non fit eius mentio ex pressa iuxta caput, Quia periculosum, de sent. excom. in 6. Suarez.

Aliud habetur capite, Præsenti, de officio ordinarij in sexto, contra Episcopos, & eorum superiores, qui vsurpant bona Ecclesiarum, aut beneficiorum vacantiū, vel fructus eorum ad ipsorum vtilitatem pertinentes, vel ad eos, qui in talibus beneficiis succedunt: est autem hoc interdictum simpliciter ab ingressu Ecclesiæ, quousque restitutionem fecerint de prędictis: de quo textu quatenus contra inferiores habet pęnam suspensionis, diximus supra.

Aliud fertur capite, Episcoporum, de priuilegiis in sexto, vbi interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ omnes, quātumuis exempti cuiuscumque ordinis, aut dignitatis, qui violant interdictum locale ab homine, vel à iure latū scienter celebrando, vel faciendo celebrare diuina in ciuitatibus, castris, villis, seu locis aliis interdictis, nisi quatenus eis à iure cōceditur: de quo legatur Couarrub. in capite, Alma mater p. 1. §. 6. num. 9.

Aliud interdictum ab ingressu Ecclesiæ fertur contra Episcopos, & superiores Prælatos, qui ob procurationem sibi ratio-

ratione visitationis debitum recipiunt aliquod contra constitutionem Innocēt. Quarti, capite, Romana, de censibus in sexto, ferturque hoc interdictum in capite, Exigit, eodem titulo, & lib. & non fertur absolutè, sed sub ea conditione, si intra mensem duplum eius quod acceperint non restituant: & ibidem extenditur illud interdictum ad omnes de familia visitatoris, qui per se, vel alios aliquid recipiunt ab his qui visitandi sunt, præter id quod est illis concessum.

Aliud interdictum generale personarum fertur cap. 1. de vsuris in sexto contra collegia, & vniuersitates vsurariis alienigenis habitationem concedentes.

Aliud fertur capite vnico, de iniuriis in sexto, contra vniuersitates concedentes, vel extendentes repressalias contra clericos, vel ipsorum bona, nisi intra mensem eas restituant.

Aliud habetur capite, Quamquam, de censibus in sexto, vbi fertur excommunicatio supra relata contra exigentes tributa à personis Ecclesiasticis, & subditur: Si autem collegium, vniuersitas, ciuitas, vel castri, vel alterius loci (hoc fecerit) ipso facto incurrit pœnam interdicti.

Vbi Calderinus dicit, hanc pœnam nō esse cōsuetudine receptam; Syluester autem verbo interdictum num. 4. dicit communem esse contrariam sententiam. P. Suarez supra sectione citata numero 14. in fine dicit, sibi non constare de consuetudine, & illam esse consulendam.

Aliud sumi potest ex capite, Felicis, de pœnis in sexto latum contra hos, qui Cardinales Ecclesiæ Romanæ hostiliter insequūtur: est litera textus clara. De excommunicatione verò lata contra prędictas personas supra diximus: legatur P. Suarez supra à nu 17.

Aliud interdictum fertur in capite, Vbi periculum, de electione in sexto, vbi præscribitur modus eligendi Pontificem in ciuitate aliqua, in qua cum sua curia residebat, & precipitur dominis, rectoribus, & aliis officialibus eius ciuitatis, vt ille omnino faciāt obseruare: & grauissimæ pęnæ imponuntur eis, qui contra fecerint: & postea subiicitur: Ciuitas verò prędicta nō solùm sit interdicto supposita, sed & dignitate Pontificali priuata: qui textus clarus est.

Aliud fertur cap. 1. de vsuris in sexto, vbi præcipitur, vt nullus admittat vsurarios alienigenās ad habitandum, & exercendum vsuras in suis terris; & postquam imposita est pœna non obseruantibus hoc præceptum, subiungitur: Quarū si per mensem animo indurato sustinuerint, terrę ipsorum, quandiu in eis ipsi vsurarij commorentur, Ecclesiastico subiaceant interdicto.

Aliud fertur cap. 1. de sepulturis in sexto, vbi religiosi, & alij clerici grauissimè prohibentur, ne inducant alios ad iurandum, vel promittendum de eligenda sepultura in suis Ecclesiis; & nihilominus si eos repellant, ad restituenda corpora, si petantur, & ad restituenda omnia emolumenta intra decem dies obligātur. Et subiungitur: Quam restitutionem, nisi fecerint, Ecclesiæ, & cœmeteria earumdem ex tunc eoipso sunt, & tandiu maneant Ecclesiastico suppositæ interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prędictorum.

Circa quem textum dubitant aliqui, an sit facienda restitutio ante iudicis sententiam. Et dicēdum est faciendam esse, quia lex facit eos incapaces eorum emolumentorum, quo facto ex natura rei est obligatio restituendi, vnde, & de corpore dicitur restituendum esse, si petatur; & ad hoc non est necessaria sententia, sed petitio. De aliis verò emolumētis nō ponitur talis conditio, quia ex natura rei sequitur post datum corpus.

DVBIVM II.

De aliis interdictis, quæ habentur in iure.

PRimum habetur Clementina prima de pęnis, contra eos, qui personam cuiuscumque Pontificis corporali iniuria afficere audent, in quos fertur anathema, & subiūgitur: Terra quoque ipsius, vsque ad condignam satisfactionem eiusdem, necnon locus, aut loca, in quibus captus Episcopus detinebatur, quando detentio ipsa in eisdē durauerit, Ecclesiastico subiaceant interdicto. De qua materia diximus agentes de excommun.

Aliud

Aliud fertur in Extrauag. vnica, ne sede vacāte aliquid innouetur, & fertur cōtra Episcopos, & superiores, qui contra prescriptum illius decreti aliqua bona beneficiorum vacantium vsurpauerunt, si intra mensem ea cum effectu non restituant illis, ad quos pertinent. Notantur illa verba, A Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ nouerit se suspensum: in quibus prior pars continet verā censuram suspensionis, posterior verum interdictum, vt notauit P. Suarez supra.

Aliud habetur in Extrauaganti Sacerdos, de præbendis inter communes, & fertur cōtra omnes vniuersitates, quę ex certa scientia præsumpserint resistere statutis ibi à Pontifice circa diuisionem Episcopatus Tolosani.

Simile interdictum generale personarum fertur in Extrauag. vnica ne sede vacante aliquid innouetur, contra capitula, vel vniuersitates, quòd non obseruent cōstitutionem Ioannis 22.

Aliud habetur in Extrauag. Super gentes, de consuetudine: latum est cōtra eos, qui prætextu eiusdem consuetudinis legatos Pontificis terras aliquas ingredi non permittunt. Multa alia solent ferri à summistis, quę verè interdicta non sunt, vt notauit P. Suarez supra num. 27.

Aliud habetur in Concilio Tridentino capite, De censura, vbi capitulis Ecclesiarum præcipitur, ne sede vacante intra annum vacationis literas dimissorias ad ordines suscipiendos alicui concedant, qui non sit occasione beneficij Ecclesiastici recepti, vel recipiendi, & subiungitur: Si secus sint, capitulum Ecclesiastico subiaceat interdicto.

Hic possumus referre aliquod interdictum latum à Pio Quarto in Bulla confirmationis Concilij Tridentini in Prælatos cōmentaria edentes in Concilium Tridentinum.

Tandem in hac materia disputant aliqui, an interdicta iure lata obligent ante iudicis denunciationem.

Quod potest disputari, vel de iure antiquo, vel ex decreto Concilij Constantiensis, Extrauagāti, Ad euitanda, de qua supra in materia de excommunicatione, de qua P. Suarez disput. 37. sectione 2. Maiolus lib. 3. de irregularitate capite 3. in fine.

Et de iure antiquo ante Concilium Cōstantiense constitutum est apud Doctores statim obligare.

Post Concilium verò Const. dicendum est interdictum personale obligare statim personam, quia Concilium noluit ei fauere, sicut neque excommunicato. Secundò dicendum est, hoc interdictum non statim obligare alios, vt teneantur vitare interdictum, sicut in simili de excommunicatione explicatum est: & idē est si interdictum sit generale, personale tamen.

Tertiò dicendum est, interdictum generale locale non obligare antequam denuncietur.

Tandem dicendum est, post denunciationem nominatim personæ obligare etiam alios interdictum personale particulare; de personali verò generali dubium est quæ denunciatio requiratur: & dicendum est sufficere, si communitas, quæ interdictum contraxit, nominatim denuncietur: aliud enim sępe erit moraliter val de difficile, vt sessione cit. num. 3. dixit P. Suarez. Suarez.

DISPVTATIO LVI.

De cessatione à diuinis.

Post disputationem, & tractatum de interdicto disputant Doctores de cessatione à diuinis, quæ est illi similis, de qua agit P. Suarez tomo de censuris à disputatione 38. P. Auila tractatu de censuris, part. 6. P. Henriquez lib. 13. à capite 52. summistæ verbo cessatio à diuinis, Couarrubias in caput Alma mater 2. part. §. 2. à num. 1. & §. 4. à num. 7. Sotus 4. dist. 22. q. 3. art. 2. Medina in summa lib. 1. cap. 11. §. 14. vbi refert quandam resolutionē quorumdam Salmanticensis Academiæ datā anno. 1556. & distributam per decem capitula, Nauarrus capite 27. à numero 188. Suarez. Auila. Enriquez.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit cessatio à diuinis.

Quantum ad nomen attinet, cessatio à diuinis dicitur ex eo, quod tempore quo hæc pœna permanet, ministri Ecclesiæ cessant à diuinorum Officiorum, & sacra-

Sacramentorum administratione, & ideo hæc cessatio solet dici suspensio quædam organorum Ecclesiasticorum, in quibus verbis nescio an lateat allusio ad illud Psalm. 35. *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra*, in significationem afflictionis: cessatio autem hæc est effectus pœnæ vtriusque, consistit in obligatione, qua obligantur ministri ad cessandum à diuinis publice, vt diximus.

Videndum verò est, an hęc pœna sit censura. Aliqui indicant esse censuram, Couar. sub 2. p. relect. §. 2. in principio, Sotus distinctione 22. quæstione. 3. articulo 1. & probari potest, quia est pœna Ecclesiastica, quæ priuat functionibus spiritualibus, & fertur propter contumaciam.

Molina. P. Molina tractatu tertio de iustitia disputatione 80. in principio numerat cessationem à diuinis, vt censuram distinctam à tribus aliis; sed non addit rationem aliquam.

Aliorum sententia est, cessationem à diuinis esse censuram, sed nō differre ab interdicto, quod refert Pater Henriquez cap. illo 52. in comm. litera H. Et citatur Clementina prima de sententia excommun. *Enriquez.*

Aliorum opinio est non esse censuram vllo modo, neque distinctam à tribus enumeratis, neque inclusam sub interdicto. Ita Nauarrus in summa cap. 27. num. 164. 188 probat, quia cessatio solum est omissio officiorū, iuxta Panormitanū in caput, Dilectus, de appellationibus numero 18. quæ ratio difficilis est, vt infra ostendemus.

Suarez. P. Suarez disp. 38. sect. 1 docet num. 4. sibi esse moraliter certum cessationē non esse censuram distinctam ab his tribus, de quibus egimus, & probat ex capite, Quęrenti, de verborum signicatione, de quo diximus disputatione 1. & ita concludit, quòd si cessatio est censura, nō potest esse distincta ab aliqua ex tribus, & quia facile intelligitur non esse excommunicationem, vel suspensionem, solum restat videndum, an contineatur sub interdicto.

Quòd vt explicet, notat cessationem à diuinis nunquam ferri directè, & absolutè in personas, sed in loca ex communi sensu Doctorum, vnde ex vi cessationis non prohibentur personæ vbique celebrare diuina Officia, sed in certo loco.

Secundò notat cessationem loci diuidi in generalem, & particularem: de generali loquitur Clementina prima de verborum significatione; de speciali videtur esse sermo capite, Dilectus, de appellationibus.

Discrimen verò inter has cessationes aliqui assignant, vt dicant cessationem generalem esse interdictum, ac proinde censuram particularem verè non esse interdictum, neque censuram. Quę distinctio non videtur habere fundamentum in iure.

Alij verò aliud discrimen assignant, nempe, quòd interdictum loci ita afficit locū, vt qui in illo celebrauerit contra ius, fiat irregularis: at verò cessatio non habet hunc effectum: nam licèt quis peccet celebrando in loco, vbi est cessatio à diuinis, tamen non incurrit irregularitatem.

Sed hęc distinctio etiam non videtur efficaciter probari: nam licèt concedamus non esse irregularitatem expressam contra celebrantem in loco, vbi est cessatio; sub hoc nomine tamen est expressa sub nomine loci interdicti, ita vt sit irregularis, sicut qui celebrat in loco interdicto.

Ex his fusius ab illo explicatis cōcludit P. Suarez num. 12. difficile esse aliquid in hac quęstione affirmare firma ratione, aut argumento; nihilominus docet cessationem non includi sub interdicto. Probat primo ex Clementina prima de sent. excommun. secundò probat ex coniectura, qua vtitur Nauarrus, quia cùm concedatur priuilegium, vt audiatur Missa tempore interdicti, non intelligitur concessum ad audiendam illam tempore cessationis à diuinis, ex communi omnium intelligentia. Item quia priuilegium ad ponendam cessationem à diuinis nō extenditur ad ferendum interdictum.

Ex his refert P. Suarez num. 13. vt verum posse probabiliter defendi prædictū discrimen de irregularitate, ex quo vlterius fit distingui cessationem, & interdictum ex effectu, nempe quia violans interdictum fit irregularis, non tamē violans cessationem à diuinis.

Tandem concludit non esse censuram, vel quia non est formaliter pęna, vel quia non afficit subditum, ita vt immediatè

priuet

priuet bono aliquo spirituali. Hæc omnia retuli ex mente P.Suarez, quæ ille fusiùs explicat.

Alij verò docent, cessationem à diuinis esse quandam desistentiam à diuinis officiis, & ab administratione quorumdam sacramentorum in locum decretum, ex quo P.Henriquez cap.52. num.1. & cap.54. in fine, & P.Auila supra dubio 1. & alij colligunt non esse censuram, quia censura directè, & per se fertur in pœnam delinquentis. Cessatio verò, si non aliud admisceatur, non magis afficit delinquentes, quàm non delinquentes.

Enriquez. Auila.

Res certè est satis dubia: & primò mihi placet in iure tantum esse tres censuras admittendas, vt diximus disput.1. de censuris in genere.

Secundò, in re dubia mihi placet, cessationem à diuinis non comprehendi sub interdicto, propter communiorem sensum Doctorum: & vsus fauet, quia cùm in Bullis, aut Iubileis conceditur facultas auferendi censuram, communiter non censetur concedi ad absoluendum à cessatione.

Ex dictis facilè intelligitur quotuplex sit cessatio à diuinis, communiter enim solùm diuiditur in particularem, & generalem: quæ diuisio à quibusdam explicatur modo supra relato. Frequentiùs verò Doctores appellant generalem, quæ est in loco vniuersali; & particularem, quæ est in loco particulari. Legatur Nauarrus in summa cap.27. num 188. Syluest. & alij Summistæ verbo cessatio, Pater Auila supra disp.2.

Auila.

DVBIVM II.

De effectu cessationis, qui est priuatio diuinorum officiorum.

Priuatio diuinorum officiorum, quæ est effectus cessationis, generalis est omnium, vt Doctores explicant, & Ecclesiæ vsus ostendit satis.

Sed notare oportet, hoc esse intelligendum de celebratione diuinorum officiorum publicè in Ecclesia, non verò de celebratione priuata, etiamsi in Ecclesia priuatim tantùm dicantur.

Secundò sciendum est, non solùm prohiberi ne ministri Ecclesiastici dicant publicè hæc officia, sed etiam ne laici illa audiant, vel illis assistant.

Vnde licèt aliquis Sacerdos ex priuilegio possit missam celebrare tempore interdicti, laicus non posset illam audire, si non haberet priuilegium.

Dubitant authores, an hæc generalis prohibitio habeat aliquam limitationem in iure: & quia non inuenitur facta sub nomine cessationis, dubitari potest, an limitationes, quæ factæ sunt circa interdictum generale, vel iure aliquo, cap. Quod in te, de pœnit. & remission. vel iure nouo, cap. Alma mater, habeant locum in cessatione à diuinis.

Quorumdam opinio est, concessionē capitis. Quod in te, habuisse locum ex tunc in cessatione à diuinis, ita vt non obstante cessatione possint clerici in conuentualibus Ecclesiis bini & bini horas Canonicas submissa voce recitare ianuis clausis, exclusis interdictis, campanis nō pulsatis. Indicat Sotus 4. distin.22. quæstione 3. art.1. post quartam conclusionē, Couarrub. in caput, Alma mater 2. parte §.4. num.7. versiculo, Hinc patet, vbi docet concessionem illam, cap. Quod in te, extendi ad cessationem à diuinis, quod non probat vlla ratione, & aliqui idem putāt de concessione capitis, Alma mater.

Sed Couarrubias supra affirmat, secundùm rigorem iuris veriorem esse contrariam sententiam de concessione capitis, Alma mater, sed non apparet causa, ob quam diuerso modo loquatur de concessione iuris antiqui, & iuris noui.

Aliorum sententia est in iure nullā limitationem factam esse circa cessationem à diuinis. Ita sentit consensus multorum vtriusque iuris Doctorum, & aliquorum Theologorum Salmanticæ anno 1556. cuius supra mentionem fecimus, & sequitur P.Suarez supra sect.2. num.7. Et probat ex vsu Ecclesiæ, plus enim cessatur à diuinis tempore cessationis, quàm tempore interdicti, neque limitationes capitis, Alma mater, seruātur tempore cessationis à diuinis; & tamen si essent licitæ, non fuissent omissæ, nec ministri Ecclesiæ tantum fauorem contempsissent.

Docet P. Suarez tra ctat. de cessatione ma nuscripto.

Item, quia iura expressè loquuntur de interdicto, non de cessatione à diuinis, neque est textus, ex quo colligatur idem esse seruandum in cessatione.

Et explicatur amplius, quod si hoc posset fieri tempore cessationis, quod fit tem pore interdicti, superflua videretur cessatio addita interdicto. Rursus, si canonici tẽpore cessationis possent officia recitare in choro, non esset obligatio restitutionis, quæ præcipitur in capite, Si canonici, de officio Ordinarij, in sexto. Sed hæc vltima probatio, vt vidit P. Vazquez tractatu citato, parum efficit, quia illud caput factum est ante constitutionem capitis, Alma mater, & Doctores primæ sententiæ possent dicere iam illud fuisse abrogatum per caput Alma mater.

Vazquez.

Neque pro contraria sententia est firmum fundamentum, & ratio ad probandum, cõcessionem interdicti, vel iure nouo, vel iure antiquo extẽdi ad cessationẽ à diuinis: & hanc opinionem sequitur P. Auila supra dubio 3. qui alios Doctores citat pro ea, Pater Henriquez capit. 53. numero 2.

Auila. *Enriquez.*

Ex quo intelliges secundum phrasim iuris non comprehendi cessationem sub nomine interdicti, vt dicebam dubio 1.

Et eodem modo putat P. Suarez philosophandum de aliis priuilegiis concessis tempore interdicti, quod non intelligentur concessa pro tempore cessationis. Ita sensit numero 11. & P. Auila cum aliis Doctoribus supra dubio 4. concl. 1.

Suarez.

DVBIVM III.

An in cessatione à diuinis habeat locum priuilegium capitis, Alma mater, pro interdicto in quatuor festiuitatibus.

SCiendum est in cap. Alma mater, præcipi, vt in quatuor festiuitatibus officia diuina solemniter celebrentur, nempe in Natiuitate, &c. De quibus supra diximus.

Aliquorum opinio est affirmantium illud priuilegium habere locum in cessatione à diuinis, quia in cap. Alma mater, fit concessio illius priuilegij, quasi in fauorem illorum festorum, & ita referuntur sensisse Doctores Salmanticenses supra relatæ Congregationis, & fuisse obseruatum Salmanticæ anno 1584. & sequitur Couarrubias in caput Alma mater 2. parte 1. §. 5. numero 3.

Aliorum est sententia, limitationem eam, & concessionem non habere locum in cessatione à diuinis, quia caput solum loquitur de tempore interdicti, & nihil dicit de tempore cessationis: & vt antea dicebamus, quæ de interdicto dicuntur, non intelliguntur de cessatione, neque argumentum contrariæ sententiæ vim habet, & verba sunt intelligenda circa subiectam materiam. Et hanc partem putat veram P. Vazquez tractatu de cessatione à diuinis manuscripto, & P. Suarez disp. citat. sect. 2 num 13. qui addit, quod si consuetudo contraria sit alicubi introducta propter primam opinionem, & auctoritatem aliquorum Doctorum, posset probabiliter sustineri.

Restat explicandum vnum aut alterum dubium, nempe an clerici bini possint recitare priuatim officium extra Ecclesiam tempore cessationis, vbi ab aliis audiri non possunt. Referuntur aliqui Salmanticẽses existimantes id non esse licitum, & fortè mouentur, quia tempore cessationis prohibita est non solum recitatio, sed etiam auditio: ergo licet possint clerici priuatim recitare, non tamen alij audire, atque adeo neque isti clerici recitare, quando possunt à laicis audiri: & licet quilibet possit recitare, sed non potest alium audire. Secundò, quia licet quilibet Sacerdos possit priuatim recitare, non tamen cum alio, quia talis recitatio non est omnino priuata, sed aliquo modo publica. Et hanc opinionem dicit P. Suarez num. 14 esse probabilem.

Addit tamen contrariam esse securam, & in praxi seruari posse, & mihi hæc est longè probabilior, quia totum illud est priuatum officium, & prohibitio solùm est de recitatione officij, vt fieri solet solemniter in Ecclesia. Quã sententiã plures recentiores sequuntur, P. Henriquez cap. 53 num. 2 in fine. *Enriquez.*

Sed difficultas manet, an possit aliquis laicus audire clericum priuatum recitantem. P. Suarez loco allegato in probatione primæ opinionis hoc tangit, & in disputatione dubij principalis ibi nihil de hoc dixit: & videtur hoc esse licitum, neque esse prohibitum. Solùm est enim prohibita auditio officij eo modo, quo est prohibita recitatio, nempe officij publici, & solemniter recitati.

Aliud

Aliud dubium esse potest, an tempore cessationis sint omnia officia diuina prohibita: de quo fuse P. Suarez: & vt summatim referam quae ille docet, si sermo sit de facto, semper est totalis cessatio omnium officiorum; de possibili verò non videtur repugnare potestati Pontificis posse prohibere vnū, aut alterum officium tantum, & non omnia: cū enim possit prohibere omnia, facilè intelligitur posse vnum neque enim aliquod, ex quo necessarium sit omnia simul semper prohibere.

Item quaeritur, an tempore cessationis possint pulsari campanae? Et Doctores sub distinctione loquuntur, & duo sunt obseruanda: vnum est, non posse pulsari, vt signum ad diuinum officium; hoc enim prohibitum est hoc ipso quòd prohibentur diuina officia. Alterum est, posse pulsari ad eas res, quae non numerantur inter diuina officia, vt ad significandam concionem futuram ad salutationem Angelicam recitandam. Legatur P. Suarez supra num. 17. P. Auila supra disputatione 1 dub 8 & Henriquez cap 53 num. 5. docet non esse in vsu pulsari noctu campanas ad salutationem Angelicam, & seruandum esse vsum Ecclesiae matricis.

Auila. Henriquez.

DVBIVM IIII.

De priuatione Sacramentorum.

CErtum est, priuationem Sacramentorum esse eff. ctum cessationis à diuinis, & difficultas est an sit in hoc aliqua limitatio, aut exceptio.

Certum est apud Doctores excipiendum esse Sacramentum Baptismi paruulorum, & Sacramentum poenitentiae morientium, iuxta caput, Nō est vobis, de spōsalibus: ea b sunt manifesta, Nulla diuina officia, praeter Baptismum paruulorum, & poenitentiae morientium celebretis, vel permittatis aliquatenus celebrari.

Addit P. Suarez etiam in articulo mortis esse licitum ministrare Sacramentum Eucharistiae: probat, quia est necessaria Eucharistia iure diuino: & quia in capite, Quod in te, le penit. & remiss. declaratum est, quoties in iure statuitur, vt morientibus poenitentia non negetur, intelligendum esse non prohiberi viaticum. Suarez.

Ex quo colligit P. Suarez num. 19. hoc tempore illum vsum Missae esse permissum, qui necessarius est ad ministrandum viaticum morientibus: quod ibi latius explicat, & legi potest P. Auila disp. 1 dub. 4. conclusione 2 qui alios citat.

Sed potest dubitari, an possit tempore cessationis baptismus adultis ministrari. Quaestionis causa est, quòd in capite, Non est vobis citato, solum fit mentio baptismi paruulorum.

Nihilominus multi putant esse licitum tale Sacramentum conferre adultis: ita sensit Panormitanus in citatum caput, P. Suarez supra num. 22. P. Auila supra disp. 1. dubio 9. & alij communiter: & mihi placet ob necessitatem huius Sacramenti, & periculum vitae: & si adsit periculum praesens, dubium non videtur, nā ita est hoc Sacramentum necessarium in eo articulo, sicut poenitentia baptizato existenti in eo articulo cum conscientia peccati mortalis post Baptismum commissi. Deinde etiam si homo non sit in tali periculo, potest ministrari ob necessitatē huius Sacramēti ad ingrediendū in Ecclesiam Catholicam: vnde P. Suarez, & P. Auila, aliique non parui exprese loquuntur de baptismo adulti existentis extra articulum mortis. Suarez. Auila.

Deinde, est difficultas, an his casibus posset ministrari Baptismus, cū solemnitate: & affirmat Abbas in caput, Non est vobis P. Suarez supra numero 23. Pater Henriquez capite 55. §. 4. & alij: quia ius absolutè loquitur de Baptismo: vnde non est causa, ob quam restringatur.

Item dubium est, an tempore cessationis possit ministrari Sacramentum Cōfirmationis: de quo nihil est in iure expressum.

Multi Doctores docent posse ministrari, ita sentiunt Doctores Salmanticae cōgregationis citate, quam etiam refert P. Suarez supra num. 24 & sequitur supra Pater Auila.

Aliqui probant quia hoc est concessum tempore interdicti capite, Quoniam de sententia excomm. in 6. Sed iam diximus hanc consequutionem non esse admittendam: & ideo, Pater Suarez docet hanc communem sententiam difficilè posse probari, iure ac ratione; dicit tamen posse explicari, quia Con- Suarez.

firmatio est quasi quędam perfectio baptismi. Sed non video firmū fundamentum pro hac opinione, & seruanda erit consuetudo, quę iuxta eandem opinionem erit introducta.

Item potest quæri, an tempore cessationis possit conferri Sacramentum pœnitentiæ non existēti necessitatis articulo. Affirmauit Congregatio relata Salmanticensis, & docuit Couarrubias in caput, Alma mater parte 2. §. 4. numero 7.

Neque constat quo argumento fint moti Doctores illi Salmanticenses.

Suar. Sed quia absolutè nullum apparet firmum argumentū, P. Suarez supra numero 26 contrarium censet verius secundum vigorem iuris; negare tamen nō possumus contrariam opinionem esse probabilem.

De ordinis Sacramēto, & Extremavnctione concedunt Doctores communiter non posse dari tempore cessationis. De Sacramento Matrimonij philosophandū est iuxta dicta supra disp. 48. & P. Suarez disput. 39. sectione 2. num. 17. dicit de matrimonio eodem modo philosophandum esse tempore interdicti, & cessationis à diuinis.

DVBIVM V.

De priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ.

Priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ est effectus cessationis à diuinis, in quo duo possunt distingui. Vnū est, ipsum sepelire corpus in Ecclesiastica sepultura; alterum, officium, quod dici solet ad sepeliendum: & hoc secundum prohibitum est ex communi sensu, quia per cessationem simpliciter prohibentur officia Ecclesiastica solemniter celebrata, cap. Nō est vobis, de sponsalibus.

Circa primum est difficultas, an sit prohibita sepultura Ecclesiastica quantū ad ipsum locum sacrum.

In qua prima est opinio affirmantium, quia cessatio priuat omnibus quibus priuat interdictum: sed interdictum priuat sepultura Ecclesiastica: ergo. Maior solùm probatur ex sensu Doctorum.

Addunt tamen nonnulli, qui hanc sequuntur opinionem, limitandum ad laicos, nam clericis conceditur sepultura, cap. Quòd in te, de pœnitent. & remiss. sed ibi sermo est de interdicto, non de cessatione.

Alij limitant ad Presbyteros, vt possint sepeliri in cœmeterio, quia cessatio strictius obligat, quàm interdictum. Sed hoc sine idoneo argumento dicitur.

Aliis verò difficilis videtur doctrina asserentium, cessationem priuare fideles Ecclesiastica sepultura, quantum ad sacrum locum, quia nullo iure probatur, quia à Doctoribus non assignatur. Secundò sub generalibus verbis non comprehenditur, solùm enim prohibētur diuina officia, vt videtur cap. Non est vobis, de sponsalibus.

Præterea illud principium, quòd cessatio priuat omnibus, quibus priuat interdictum, non sumitur ex aliquo iure, neque reperitur in omnibus Doctoribus, sed solùm in aliquibus, vt ostendit P. Suarez supra numero 32. & ideo numero 34 concludit solam cessationem, si ab interdicto separetur, non habere hunc effectum. Pro qua sententia Pater Auila disputatione 1. dubio 9. citat quemdam modernum, tacito nomine. Et placet aliquibus viris doctis huius ætatis. Suarez. Auila.

Scire oportet, contrariam sententiam esse communem. Legatur P. Auila supra, & P. Henriquez lib. 13 cap. 52 & recentiores alij, qui plures citat pro communi opinione, licèt, vt supra retuli, admittat limitationem aliquā: & fortè probari potest ex vsu Ecclesię, & tutius est seruare consuetudinem. Enriquez.

Restat hoc loco explicare, an cessatio à diuinis suspendatur per appellationem antecedentem.

Villadiego de irregularitate capite, De interdicto, & Iuristæ in caput, Dilectis, de appellationibus, tenent partem negantem: & probant simili, & explicant, quia hæc est differentia inter interdictum, & cessationem, quòd interdictum est quid iuris, cessatio quid facti: quod si iam est, non suspenditur.

Sed Couarrubias secunda parte §. 2. numero 1. docet quòd id quod est aliquid facti

facti in cessatione non suspéditur: si quos tamen hæc cessatio habet effectus iuris, suspendi posse per appellationem antecedétem, ita vt quantum ad illos nullius sit efficacitatis.

Aliquibus recentioribus videtur falsum hoc quod dicit Couarrubias, quia iura, & capita quæ loquuntur de appellatione, tantùm loquantur in ordine ad interdictum: & tamen supra diximus, quæ statuta sunt expresse de interdicto, non esse intelligéda de cessatione, ita & quod de appellatione dicitur.

Sed cùm ante ipsam cessationem à diuinis sit sententia de cessatione, non video causam, ob quam appellatio præcedens sententiam, seu mandatum iudicis, non suspendatur per appellationem antecedentem. Et quod dicitur de iure, & de facto, non satis intelligitur in hac materia: nam licèt cessatio ipsa à diuinis consistat in facto, tamen sententia, seu præceptum de tali cessatione, aliquod iuris est, & de illa potest quæri, an possit suspendi per appellationem antecedentem. Legatur Pater Suarez disputatione 39. sectione 1 num. 2. & 3. *Suarez.*

Item quod dicitur de appellatione in ordine ad interdictum, non concludit, quia etiamsi iura loquantur in specie de interdicto, & illa iura non sint intelligenda de cessatione; tamen ex principiis generalibus concedimus sententiam cessationis impediri posse per appellationem antecedenté. Et quòd appellatio antecedens possit suspendere, aut impedire cessationem, docet P. Suarez disp. 39. sectione vltima num. 3. *Suarez.*

DVBIVM VI.

De causa materiali, & formali cessationis.

CAusa materialis potest dici locus, in quo cessatur à diuinis, vel personæ, quæ ad obligantur ad cessandum: deinde peccatum potest dici materia, ob quam fertur hæc pœna, & debet esse graue peccatum, quia pœna grauissima est. *Suarez.* Legatur P. Suarez supra numero 4. qui etiam docet peccatum debere esse publicum, & contra commune bonum, & certum est debere esse notũ per sententiã aut alio modo, aliàs non posset ferri sententia cessationis à diuinis, neque posset tam grauis pœna ferri pro solo peccato veniali.

Deinde oportet explicare formam in ferenda cessatione seruandam: & authores decem conditiones requirunt ad ferendam hanc sententiam, quas colligunt ex capite, Si canonici, & capite, Quamuis, de officio ordinarij, in sexto.

Notandum verò est in his capitibus non esse sermonem de cessatione generatim, sed speciatim de illa, quę fertur ab aliquo collegio, vel capitulo: & ita sunt quędam conditiones communes omni cessationi, aliæ propriæ cessationis, de qua ibi est sermo.

Prima est, vt ante quàm feratur, causa cessationis in instrumento publico authẽtica scriptura referatur. Secunda vt hoc instrumentũ assignetur ei, contra quem fertur cessatio. Istę duę ponuntur capite, Si canonici, & in his cõtinentur aliæ duę, quæ ab authoribus vt diuersæ numerantur. Vna est, vt cessatio feratur ab eo, qui vel ex priuilegio, vel ex consuetudine ad id habeat potestatem. Alia est, vt causa sit canonica, sic enim appellatur in eo textu: sub qua voce, vt Glossa ibi notat, includuntur duo, quæ ponũtur capite, Irrefragabiles, de officio ordinarij, nempe, vt causa sit manifesta. & rationabilis: ex quo infertur quinta conditio, vt causa sit proportionata.

Aliæ quinque conditiones sumuntur ex capite, Quamuis, citato. Sexta ergo est, vt ad hanc cessationem ferendam omnes qui sunt de capitulo, conuocentur, prout sunt vocandi, & vocari solent ad electionem: in quo Glossa dicit seruandam esse consuetudinem.

Septima, vt post conuocationem diligẽter de sententia ferenda deliberetur: ad quod ex vi textus non requiritur aliud, quàm diligens inquisitio, & matura consideratio causæ: & ideo authores aliqui hanc causam diuidunt in duas, vt septima sit, quòd tractetur de causa. Octaua, vt de ipsa cessatione deliberetur: & ideo rectè Pater Suarez sectione docuit cum aliis Doctoribus, necessariam esse maiorem *Suarez.*

partem suffragiorum, vt feratur sententia.

Nona est, vt moneatur persona, ob quã facienda est cessatio, vt iniuriam, vel offensam auferat, & explicatur in dicto capite, Quamuis, hanc monitionem faciendam esse post prædictam conuocationem; & meritò, quia hoc modo admonitio maioris ponderis erit.

Vltima conditio est, vt post cessationem positam, nisi partes in concordiam venerint intra mensem, teneātur tam illi, qui cessationem ponūt, quàm illi, quorum causa posita est, cum actis recurrere ad Sedem Apostolicam, vt Pontifex decernat quid agendum sit.

Circa duas primas notandum est posse esse communes omni cessationi: aliæ tres de potestate, & causa, in omni cessatione sunt necessariæ: aliæ verò, quæ ad capitulum, vel collegium, vt tale pertinent, non habent locum quando fertur ab vno iudice Ordinario, nempe 6.7. & 8.

Nona verò in quouis prælato potest habere locum.

Circa vltimam est dubium, an transacto mense possit cessatio tolli ante quàm per Sedem Apostolicam auferatur, si partes in concordiam redigantur. Aliquorum sententia est, non posse tolli, quia iam causa pertinet ad Sedem Apostolicam.

Sed Sotus disp. 22 quæst. 3. artic. 2. docet posse quocumque tempore concordiam fieri, & cessationem tolli; hoc est enim quod Pontifex vult, & non imponere onus Ecclesiæ, reseruando sibi relaxationem cessationis. Quam opinionem sequitur P. Suarez supra sectione 3. numero 8. Et est probabilis, & seruari poterit, nisi aliud explicetur à Pontifice. *Suarez.*

Explicare autem oportet, an omnes istæ conditiones sint de substantia huius sententiæ, ita vt qualibet deficiente sit nulla.

Affirmat Ioannes Andreas in caput, *Quamuis* citatum.

Verùm in capite, Si canonici, nullum est verbum significans substantialem necessitatem: in capite autem, Quamuis, in vltimis verbis aliquid videtur insinuari, ex quo aliqui duo colligunt.

Si in ponenda cessatione non seruentur conditiones ibi positæ, cessationem esse nullam. Et ita fatetur P. Suarez de cessatione, de qua ibi est sermo. Addit tamen non esse extendendum ad cessationem latam ab ordinario.

Addit P. Suarez ex dicto textu colligi, cessationem ipso iure tolli, si pars quæ tulit cessationem, elapso mense sit in mora, & non recurrat ad Sedem Apostolicam. Secus dicendum est de altera parte, ob quam lata est sententia, quia ex sua inobedientia non debet reportare commodum. *Suarez.*

Deinde sciendum est, capite, Si canonici imponi pœnam, vt si capitulum sine iusta causa posuerit cessationem, canonici priuētur fructibus illius Ecclesię tempore cessationis: & si susceperint restituant, & vt satisfaciāt, & recompensent damnum illatum parti illi, contra quam imposita est cessatio.

Et addunt Syluester, & Angelus verbo cessatio hanc pęnam extendi ad omnes ferentes hanc sententiam sine iusta causa; quod verum est de recompensatione damni illati, quæ est de iure naturali: quantum verò ad alteram partem non est causa, ob quam legem pœnalem extendamus.

Sed quæri potest, quando cessatio iuste lata est, quam pœnam incurrat qui dedit illi causam. Respondetur, à iudice puniendum pro arbitrio. Si verò damnum illatum est Ecclesiæ, aut personis Ecclesiæ, recompensandum est ab illo, de causa efficienti cessationis dicemus infra.

DVBIVM VII.

Quam pœnam incurrant violantes cessationem à diuinis.

PRimò videndum est, an incurrat irregularitatem qui violat cessationem.

Et si sermo sit de cessatione particulari, videtur communis sententia, quòd illam non incurrat, vt docet cum aliis Pater Suarez sectione 1. numero 8. quia nulla est talis irregularitas iure lata.

De violantibus cessationem generalem est diuersitas opinionum, & affirmant Ioan-

Ioannes Andreas, & alij in caput, Si Canonici citatum. Probat, quia hæc æquiparatur cum interdicto generali, Clemen. 1. de sententia excommunicationis. Sed ibi ex voluntate Pontificis facta est extensio ad cessationem, non quia sit interdictum. Item non æquiparatur in omnibus, sed in obseruatione ibi statuta.

Vnde alij putant non incurri hanc irregularitatem. Ita multi Canonistæ, & Theologi, qui absolutè docent violantem cessationem non incurrere irregularitatem, Pater Auila supra disputatione 3. dubio 2. cum multis Doctoribus, quia in iure non est talis irregularitas lata contra violantes cessationem: quæ, vt dixi, differt ab interdicto.

Addendum est Clement. 1 de sententia excommun latam esse excommunicationem ipso facto incurrendam contra religiosos non seruantes cessationem generalem.

Circa quam notandum est primò, ferri in solos Religiosos, non laicos, vel clericos seculares. Secundò, quòd tunc incurrunt religiosi, quãdo sciunt cathedralem, seu parochialem Ecclesiam seruare cessationem, & ipsi non seruant. vt patet ex textu. Tertiò, solùm generaliter assignatur actio violandi cessationem; sed nõ assignatur actio specialis. Quartò intelligi debet de quacumque cessatione, vt ex textu notauit Couarrubias, & Pater Suarez sectione 2. num. 36. contra nonnullos. Suarez.

Item notandum est in Concilio Tridentino sessione 25. cap. 12 de reformatione regularium præcipi religiosis, vt seruent, & publicari faciant censuras latas à Prælatis. Dubium verò est, an hoc præceptum extendatur ad cessationem à diuinis. Et P. Suarez supra negat, quia cessatio hæc non est censura. Sed multis videtur probabile, intelligi etiam cessationem, quia ibi censuræ nomen videtur significare quamcumque sententiam Ecclesiasticam, quæ ad officia Ecclesiæ aliquo modo pertinet, vt obseruetur in Ecclesiis omnibus.

(?.)

DVBIVM VIII.

Quis possit ferre, & auferre cessationem.

Circa primam partem de causa efficienti cessationis docent authores, eum qui potest ferre interdictum, posse ferre cessationem. Ita Summistæ verbo cessatio, Sotus 4 dist. 22. quæst. 3. artic. 2. Couarrub. in caput, Alma mater 2. parte §. 2. num. 6. Hoc enim necessarium est ad bonum regimen Ecclesiæ. Vt verò rem in specie explicemus, sciendum est Nauarrum cap. 27. num. 189. sentire solum Pontificem posse ponere cessationem post interdictum. Sed contraria sententia est communis, Sotus 4. distin. 22. quæst. 3. artic. 2. Syluest. verbo cessatio, P. Auila cum aliis supra disp. 2 dubio 6. P. Suarez disp. cit. sect. 2. nam iure antiquo pertinebat hoc ad ordinariam potestatem Episcopi, & non videtur restricta talis potestas: in capite autem, Alma mater, hoc non prohibetur, sed statuitur, vt solus Papa possit restringere interdictum intra ratione interdicti, & censuræ; tamen addere cessationem poterit etiam Episcopus, & capitulum sede vacante, & vsus Ecclesiæ hoc ostendit.

Additur verò Clementina 1. de sent. excomm. posse capitulum, vel Collegiũ imponere cessationem: quod etiam sumitur ex capite, Si Canonici, de officio Ordinarij. Et quod de collegio dicitur, intelligunt multi ex consuetudine, aut priuilegio. P. Auila supra.

Item sciendum est, alios posse ex priuilegio, vel concessione imponere cessationem; sed non est in vsu, quod prælati religionis possint imponere cessationem, nisi habeat iurisdictionem Episcopalem in aliquo oppido, vt patet.

Tandem notandum est, nullam cessationem esse impositam ipso iure, sed ferendam esse à iudice. Ita Pater Henriquez cap. 54. num. 1. Sotus loco citato concl. 1. & alij. Henriquez.

Circa secundam partem dicendum est, solùm posse tolli ab eo, qui illam posuit, vel successore, vel superiore. Quod per se est manifestũ, & docent communiter authores.

De forma auferendi nihil est in iure

præscriptum. Solùm ergo ex natura rei est necessarium, vt iudex sufficientibus verbis voluntatem explicet auferendi.

Difficultas verò potest esse, an fine relaxatione possit auferri ipso iure.

Suarez. Pater Suarez supra sectione vltima, docet primò, repugnare quòd feratur, vsque ad certum tempus, quia fertur, vt recedatur à contumacia, quod non est determinati temporis.

Secundò docet semper ferri sub conditione tacita vel expressa, donec fiat satisfactio: & tamen dici non potest, quòd numquam requirit relaxationem, hoc enim manifestùm est contra vsum Ecclesiæ, & ideo sentit esse semper necessariam relaxationem iudicis, nisi alias iure ipso auferatur in aliquo casu; vt docuerat de casu speciali, sectione præcedenti 3. num. 14.

Ego verò existimo, sicut in simili de excommunicatione philosophandum est. Primò esse necessariam relaxationem. Secundò, hanc posse includi in modo ferendi cessationem assignato tempore: tunc enim siue perseueret contumacia, siue non, finietur cessatio: sicut posset iudex, etiam non finita contumacia, expresse relaxare interdictum; quod si feratur sub conditione, donec auferatur, contumacia illa finita (si constaret exterius) finiretur cessatio. Communiter verò est absoluta sententia cessationis: quia non fertur sub conditione de auferenda contumacia. Vnde facile est ferre iudicium de his quæ docet Pater Suarez. Suarez.

Addit Pater Suarez in fine sectionis illius vltimæ, posse suspendi cessationem ex voluntate iudicis, non solùm quia potest illam tollere, aut non ferre simpliciter. Sed quia potest auferre secundum quid, quantum ad aliquos effectus, quia neque repugnat ex natura rei, neque Episcopi sunt impediti hoc facere per ius aliquod Pontificium.

LIBER OCTAVVS
DE IRREGVLARITATE.

DE HAC Materia multi scripserunt Maiolus in tractatu de irregularitate, refert 30 authores de hac materia disputantes, & cunctos citat P. Henriquez lib. 14. summæ, quæ est de irregularitate. Scholast. in quarto distin. 22. vel 25 Pater Suarez tomo de censuris à disput. 40. & tractatibus de hac re, Villadiego, Hugolinus, & alij recentiores quàm multi, P. Auila tractatu de censuris parte 7. Couarrubias Clementina, si furiosus de homicidio, Nauarrus cap. 27. numero 191. Toletus libro 1. summæ à cap. 52.

DISPVTATIO LVII.
De irregularitate.

DVBIVM PRIMVM:
Quid sit irregularitas.

QVantum ad significatum attinet, irregulare dicitur, quod est contra regulam, & abstractum dicitur irregularitas. Vnde impedimenta aliqua dici solet irregularitates, & hoc modo impedimenta nonnulla contra leges dicebantur irregularitas legalis, & sic omnes censuræ possunt dici irregularitates, quia sunt quædam impedimenta ex institutione Ecclesiæ, quæ impediunt in hac verò materia significat impedimentum, quo quis impeditur suscipere ordines, vel exequi illos. Ita communiter explicant hanc vocem Doctores agentes de irregularitate, Abulensis verò in cap. 5. Matthæi q. 116. docet hanc vocem dici irregularitatem à causa, nō ab effectu, quia causatur per hoc quod

quod agitur contra legem Ecclesiasticã; sed hoc non est semper necessarium ad irregularitatem, vt videbimus.

Nicolaus Plouius tractatu de irregularitate num. 1. dicit irregularẽ dici, quasi contra regulam Ecclesiæ, siue propter factum, siue propter defectum extra Ecclesiam positum.

Peculiaris ergo irregularitas variis modis solet definiri; sed breuiter potest hoc modo explicari. Est inhabilitas, seu impedimentum canonicum ex se directè, & primariè impediens acceptationem ordinũ, & consequenter vsum illorum. Dicitur impedimentum seu inhabilitas: quia verè est impedimentum in quo cum multis aliis conuenit; & nõ diximus esse pœnam, quia non omnis irregularitas ponitur vt pęna alicuius, vt ex dicendis constabit. Item dicitur impedimentum canonicum, quia vt dicemus infra, irregularitas iure positiuo Ecclesiæ introducta est. Vnde incapacitas ad ordines orta ex iure diuino non est irregularitas, de qua loquimur, verbi gratia, non baptizatus est incapax ordinis sacri, quia nisi prius recipiat baptismum, nõ potest recipere aliud sacramentum; & tamen non dicitur propriè irregularis. Ita nec omne impedimentum, quod supponit capacitatem, est irregularitas, quia peccatum mortale impedit dignam susceptionem ordinis, & tamen non est irregularitas.

Diximus directè, & primariè, quia censuræ etiam impediunt; sed non est hic primarius effectus, & finis eorum, vt ex dictis constare potest.

Et dicere potest aliquis, etiam aliquas censuras impedire ordinem, & ideo Nauarrus addidit in definitione impedire ordines, vt tales sunt; quod in excommunicatione facilè intelligitur, quia non impedit ordinẽ, vel vsum, nisi vt est communicatio quædam cum fidelibus.

Sed de suspensione ab officio non videtur posse negari, quia directè priuet vsu ordinis. Respondet Nauarrus, priuare vsu, ordinis, nõ vt ordo, sed vt officium Ecclesiasticũ. Sed contra est, quia suspensio specialis ab ordine priuat tali officio, vt tale.

Fortè propter hoc argumentum dixerunt aliqui irregularitatem differre à suspensione tanquam includens, & inclusum, quia irregularitas includit suspensionem ab ordine.

Sed isti Doctores contra communem sensum philosophantur. Alij verò putant in definitione dicta irregularitatis addendam esse particulam *Perpetuũ ex se*, quod non habet censura, quę imponitur ob contumaciam ad reprimendos homines.

Sed hæc responsio non videtur satisfacere: quia defectus aliquis ætatis est irregularitas, & non est perpetua. Secundò, quia illa particula non videtur necessaria ad soluendam difficultatem. Item quia potest dari suspensiò perpetua.

Et ideo P. Suarez disp. 40. sect. 1. numero 11 respondet irregularitatem impedire totum ordinem, & statum clericalem, & primam tonsuram. Suspensio verò supponit statum clerici. Vnde ex se differunt. *Suarez.*

Addit irregularitatem differre à degradatione, quia irregularitas impedit acceptionem ordinum. Depositio verò priuat vsu ordinum, qui ita sunt recepti: quæ duo in moralibus valde sunt diuersa.

Sed potest obiici esse irregularitatem, quæ non impedit acceptionem ordinum, verbi gratia, illam quã incurrit Sacerdos.

Respondet P. Suarez, hoc esse per accidens: quia ex se habet irregularitas susceptionem impedire.

Est verò necessaria hæc cognitio distinctionis irregularitatis, & suspensionis, vt cognoscamus quis possit eam auferre. Sæpe enim potest aliquis absoluere á censura, & tamen dispensare in irregularitate non potest, vt constabit ex dicendis.

Sciendum deinde est, Cardinalem Toletũ capite citato ostendere irregularitatem distingui ab excommunicatione, suspẽsione, & interdicto. Primò, quia sunt censuræ. Secundò, quia feruntur ab homine, & à iure, & tamen irregularitas fertur solum à iure; & de irregularitate, quæ non est pęna, facilè intelligitur, quòd non sit censura; quia non est pœna; sed ea quæ est pœna, non censetur censura, iuxta doctrinam traditam disputatione 1 de censuris, & iuxta caput, Quærenti, de verborum significatione, & secundum stylum Curiæ, cùm in Iubileis conceditur facultas absoluendi á censuris, solet explicari non concedi facultatem absoluendi, aut dispensandi in irregularitate. Legatur Pater Suarez

 sect.

Molina. sect.3.num.3 & P. Molina tractatu 3. de iustitia cōmutatiua disp. 80. num. 6. & à posteriori potest declarari, quia nō est concessum, vt iudex possit eam pœnā imponere: sed à iure dicit ferri, quia fertur Summo Pontifice faciente legem, & imponente pœnam; de quo dubio sequenti.

Ex doctrina tradita facile est ferre iudicium de aliis definitionibus irregularitatis, quæ solent adduci à Doctoribus, quæ vel reipsa à definitione tradita non differunt, vel particulas continent non necessarias.

Sed obiicitur, quòd in quibusdā iubileis conceditur facultas absoluendi ab excommunicatione, suspensione, & interdicto, & aliis censuris. Respondeo primò, in aliquibus Bullis non concedi à Pontifice, sed in fine poni in forma absoluendi, quam ex Bulla colligit aliquis. Secūdò, si habeatur in textu, & à Pontifice cōcessa, potest explicari de censura sumpta pro sententia Ecclesiastica; ita tamen vt iuxta stylum Curiæ nō absoluatur ab irregularitate, degradatione, vel depositione. Item per pœnas intelligi possūt illæ, quæ vsum sacramētorum possunt impedire, vt exponit P. Suarez disp. 1. sect. 2. num. 6. P. Molina tract. 3. de iustit. disp. 80. ad secundum.

DVBIVM II.

Quotuplex sit irregularitas, & generatim ob quem actum incurratur.

ANte omnia ponendum est irregularitatem aliquando poni propter culpam, aliquando propter indecentiam. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 64. art. 7. ad tertium, & quæst. 108. art. 4. & Doctores cōmuniter, & constabit ex dicendis de irregularitate in specie: potuit enim Pontifex ex iusta causa imponere hæc impedimenta respectu ordinis suscipiendi ob varias causas, etiamsi non essent peccata.

Et ex hoc oritur diuisio quædam irregularitatis, Quædam est enim propter decentiam, quædam propter culpam: & fieri potest, vt in ratione priuationis non differant secundum se, sed per diuersos respectus; nam irregularitas, quæ est pœna, semper habet adiunctum respectum ad culpam, quia pœna omnis respicit culpā, vt manifestum est, & docuit S. Thom. 1. 2. quæst. 87. art. 1.

Ex hac verò distinctione aliqui collegerunt aliam, nempe irregularitatem vnam esse censuram, aliam non esse censuram. Ita sensit Sotus 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. Corduba 1. libro de indulgentiis.

Sed non est admittenda, quia est contra cap. Querenti, de verborum significatione, & quia censura est pœna medicinalis ad correptionem ordinata, ex capite Corripiatur 24. quæst. 3. & ex cap. 1. & capite. Dilecto, de sententia excommunicationis in sexto, & ex Tridentino sess. 25. cap. 3. de reformatione: itē quia irregularitas primariè significat indecentiam, & ob illam inhabilitatem quandam: secūdariè verò rationem pœnæ. Et quamuis res hæc, si solùm speculatiuè consideretur, videri possit ad modum loquendi pertinere, tamē in ordine ad praxim valde necessarium est cognoscere, quid nomine censuræ intelligatur, ad indicandum quid possit facere ille, cui conceditur priuilegium absoluendi à censuris, vt dubio præcedenti dicebam.

Alia diuisio est irregularitatis in eam, quæ contrahitur ex proprio aliquo actu, & in eam quæ sine actu proprio contrahitur: quæ diuisio ex dicendis de irregularitate in specie constabit: vbi etiam intelligetur posse per proprium actum contrahi, etiamsi peccatum non sit.

Sed difficultas est, an quando contrahitur irregularitas per proprium actum, sit necessarius actus externus. Legatur P. Auila part. 7. disp. 2.

Quæstionis causa est, quia antiquitus in priuilegiis Pontificis concedebatur facultas dispensandi in irregularitate purè mentali, vt testatur Couarrub. relect. cit. num. 4. & tamen purè mentalis non potest includere actum externum.

Sed communis sententia est, non posse esse irregularitatem ob solum actum purè internum. Ita videtur supponere S. Thom. 1. 2. quæst. 20. art. 5. ad 4. Anton. 3. part. tit. 28. cap. 2. Sotus 5. libro de iustitia quæst. 1. art. 9. Couarrub. in Clem. cit. si furiosus 1. part. num. 4. & 2. num. 3. Villadiego de irregularitate capite 6. Nicolaus Plouius num. 17. regula 27. & Doctores communiter, Corduba quæst. 4. 3. de indulgentiis dub. 2.

Et primò certum est, nullam esse legem canonicam, quæ imponat irregularitatem propter actum pure internum.

Deinde ex principiis generalibus de legibus dicendum est, Ecclesiam non posse pœnam imponere ob peccatum pure internum, qui non subiacet iudicio Ecclesiæ. Legatur P. Vazquez 1.2. disp. 160. Et ita de hac pœna in specie docuit P. Suarez sect. 3. cit. num. 8. quo sensu Alexand. Papa epistola 1. cap. 2. inquit: Non potest autem humano condemnari examine, quē Dominus suo reseruauit iudicio: & refertur 15. quęst. 6.

Vazquez. Suarez.

Ad rationem contrariam respondent aliqui, illud additum fuisse ad tollendos aliquorum scrupulos. Secundò respondet Corduba additũ fuisse illud ab aliquibus officialibus cum ignorantia, quod non videtur præsumendum. Couarrubias respondet nomine mentalis irregularitatis intelligi externam omninò occultam: quod multis videtur dictum sine idoneo fundamento. Rursus alij respondent nomine mentalis intelligi eam, quæ fertur ob actũ externum sub aliqua conditione interna, verbi gratia, si fiat ex scientia certa, aut ex odio.

Sed posset quis dubitare, qualis debeat esse actus externus, ob quem imponatur irregularitas. In quo sicut in simili de excommunicatione philosophandum est, & legi potest P. Suarez sect. 3. numero 12. & debet esse talis qualis à lege requiritur.

Deinde dubitant aliqui, an si quis faciat actum externum, deficienti interiori, aliquando incurratur hæc pęna.

Notandum est autem tribus modis posse actum externũ esse sine interiori. Vno modo si omnino desit actus interior. Secundò, vt non desit aliqua voluntas vt sit liber actus externus; desit tamen vt requisitus ad incurrendam pęnam Ecclesiasticam.

Tertiò, si sit voluntarius, habeat tamen effectum nullo modo præuisum.

In primo casu docet P. Suarez non incurri irregularitatem, quæ ob actum humanum imponitur. In secundo & tertio dicit etiam non incurri, quia imponitur hæc irregularitas vt pęna pro culpa.

Restat explicandum, an sufficiat peccatum veniale externum: & videtur affirmare Caietanus 2.2. quæst. 64. ad artic. 8. & in summa verbo irregularitas. Eandem sententiam indicant alij.

Sed contrariam tradit Anton. 3. parte tit. 28. cap. 2. §. 4. Medina quęst. de necessitate seruandi ieiunium, Nauar. cap. 27. num. 252 & 283. & P. Suarez sect. 3. cit. à num. 16. & mihi maximè probatur: quia talis pęna grauissima est, neque potest imponi ob culpam leuem, vt de censuris diximus cum communi Doctorum. Vnde si imponitur vt pęna, iudicandum est imponi ob culpam grauissimam, quæ sit mortale peccatum. Vnde quod excusat actum à mortali, excusabit à censura contrahenda.

Suarez.

Vnde fallitur P. Auila parte 7. disp. 2. dubio 3. conclus. dicens Papam posse imponere irregularitatem ob peccatum veniale; sed de irregularitate, vt pęna, falsum est, quia pœna non esset proportionata culpæ.

Sed adhuc restat explicandum an sufficiat quodlibet peccatum mortale externum ad imponendam hanc pęnam, & quid sit dicendum de facto.

Circa primum non est dubium, quia quodlibet peccatum mortale est dignum maiori pęna; tamen in ordine ad humanum regimen dicendum est, vt imponatur ob peccatum, quod habeat peculiarē indecentiam, & contrarietatem cum dignitate Sacerdotali, quod prudentis iudicio exponendum est.

Deinde circa secundum quidam videntur sentire nõ sufficere actum externum, nisi accedat etiam contemptus. Nauarrus infra cap. 27. num 251. Panormit. in cap. Pastoralis numero 15. & alij nonnulli.

Sed contrarium docuit P. Suarez supra num 20. & supponunt plures: & nisi iure exprimatur aliud, ita est asserendum, sicut quando fertur censura, non sunt postulandæ conditiones aliæ nisi quæ à lege vel iudice requiruntur: & Doctores contrariæ sententiæ non videntur loqui de expresso contemptu speciali, sed de contemptu habituali generali, qui est in omni violatione legis.

Vlterius solet disputari, an incurratur irregularitas propter actum externum, ita tamen occultum, vt probari non possit.

Negat Castro libro 2. de lege penali capit. vltimo can. 3. quia iura hoc sensu

possunt

possunt explicari, & leges pœnales sunt restringendæ. De hac materia legatur P. Suarez disp.40.sect.3.à num.21. & disp. 3.& disp.31.sect.1 num.67. Legatur P. Vazquez 1.2.disp.160. num 7.

Suarez. Vazquez.

Et dicendum est propter delictum externum omnino occultum incurri irregularitatem: hæc est opinio communis Doctorum. Ita sensit Couarrubias Clementi furiosus 2.part.§.3. num.4. & ita supponit Nauarrus cap.27.num.239.&254. P.Auila 7.part.disp.2.dub.2.P.Suarez locis citatis, & mihi valde certa videtur, quia irregularitas imponitur ipso facto incurrenda. Vnde si semel fiat actus externus, qui ex natura sua potest subiici iudicio Ecclesiæ, statim per ipsam legem in curretur hæc pœna, etiamsi nō sint testes ad probandum tale peccatum, vt contingit in censuris, & supponitur in Concilio Tridentino sessione 24 cap.6. de reformatione, & capite, Nisi cum pridem, de renunciatione. Vnde meritò P.Suarez supra dixit oppositam sententiam non esse probabilem.

Hic solet quæri quotuplex sit irregularitas ex parte actus, per quem contrahatur. Sed hoc ex dicendis in specie de irregularitatibus intelligetur, & legi potest Suarez supra à num.25.

De diuisione irregularitatis, legatur Toletus lib.1.summæ cap.52.

Aliqui quærunt, an ad imponendam irregularitatem sit necessaria monitio præuia. Et respondet bene P. Auila par.7. disp.2.dubio 4. non esse necessariam, ex nullo enim iure constat esse requisitam monitionem.

DVBIVM III.

An solo iure humano incurratur irregularitas.

Aliqui videntur admittere irregularitatem aliquā de iure diuino: citatur Abbas in caput, Sicut dignum, de homicidio num.12 Socinus in caput, Ad audientiam, de homicidio in sexto. Palud. 4 dist.25.quæst 3.num.14.& probari potest de bigamia ex illo primæ ad Timoth.3. Vnius vxoris virum. Item irregularitas ex homicidio potest colligi ex illo, Non ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es, 2.Regum 7. Rursus irregularitas ex defectu seu macula videtur esse de iure diuino, Leuit.21. & 21. Qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo.

Sed communis sententia Doctorum est, nullam irregularitatem esse introductam iure diuino. Ita sentiunt communiter Theologi 4.dist.25 Canonistæ in cap. Ad audientiam de homicidio, Couarrub. dicta Clem.1. 1.part. in principio. Nauarrus cap 27.num.191. Antonin.3. part. titulo 28 cap.1. Sotus dist.22. quæst.3. art. 1.& alij tractatu de irregularitate in principio, P.Suarez de censuris disp.40.sect. 4.& sensus Doctorum huius sententiæ est, nullam irregularitatem ex his, quæ modò introductæ sunt in ordine ad sacros ordines, esse introductam iure diuino. Et explicari potest. Primò, quia præcepta cæremonialia legis veteris iam non permanent in lege Euangelica, vt supponitur ex tractatu de legibus. Suarez.

Deinde in lege Euangelica nulla apparet irregularitas introducta iure diuino, nullum enim testimonium apparet, ex quo possit colligi tale ius positiuum diuinum: de iure vero naturali, supposita institutione sacramenti Ordinis, bene possunt esse aliqua impedimenta, vt peccatum mortale, quę non habent rationem irregularitatis, de qua loquimur.

Ad primum testimonium ex Paulo aliqui exponunt de duabus vxoribus simul viuentibus, quas aliqui tunc habebant. Ita Chrysost Theophyl. & Theodoretus in eum locum, & Caietanus.

Alij exponunt non esse præceptū prohibens, sed Paulum assignasse eam conditionem ad personam Episcopi, esseque solum consilium.

Alij agnoscunt ibi prohibitionem, & irregularitatem, & videtur sensus Lucij III. in cap.2.de bigamis, illis verbis, In bigamis contra Apostolum dispensare nō licet, vt debeant ad sacros ordines promoueri. Quem locum quantum ad dispēsationem infra suo loco dicemus: quantum verò ad irregularitatem, ita exposuit Hieron. epistola 33. August. lib. de bono coniugali cap.18. Ambrosius libro 3. epistola 25 & Pseudoambrosius in citatum locum Pauli, vbi S.Thom. Pseudoanselm. & alij quos refert Bellarm. lib.1 de Clericis cap.33. & hanc expositionem alteri

alteri videtur prætulisse Chrys.sup.&hom.il.2.ad Titum.

Item ex communi sensu Ecclesiæ potest hoc probari, & ex Can.16.& 17.Apostolorum. Concedunt ergo P. Suarez, & alij Doctores aliquam irregularitatem introductam á tempore Apostolorum, negant tamen esse de iure diuino, sed ab Ecclesia introductam.

Ad secundum testimonium dicendum est tunc non esse aliqua lege prohibitum, hominem qui bella gessisset, ædificare templum. Deinde in ministris templi illius legis non erat irregularitas ob effusionem sanguinis, vt notauit S.Thom.4. distinct. 25.quæst.2 artic.2.quęstiuncula 3.ad primum.

Ad aliud dicendum est, eam legem non perseuerare tempore Euangelij.

Disputant nonnulli, an irregularitas, ita introducta sit á iure Ecclesiastico, vt iudex illam imponere non possit.

Refertur opinio aliquorum asserentiū frequenter imponi á iure, posse tamen aliquando ferri á iudice. Ita videtur sentire Scotus 4.distinct.25. quęst.1. Gab. quæst.1ect.9.

Communis sententia docet non incurri, nisi sit in iure expressa, iuxta caput, Is qui, de sententia excomm. in sexto. Ita sentiunt Doctores in principio tractatus de irregularitate, Villadiego libro 1. de irregular.cap.16.qui refert plures, & P. Suarez supra num.8.

Secundò docent authores, hanc pœnam incurri ipso facto absque vlla iudicis sententia, sicut sentiunt de censuris ipso facto latis per legem.

Tertiò docent iudicem non posse imponere hanc pœnam præsentem, & varias assignāt rationes; sed reducenda res est in voluntatem summi Pontificis, qui non vult, vt iudices inferiores habeant talem facultatem: quod satis constat ex vsu Ecclesiæ.

Sed restat explicandum, de quo iure sit intelligendum, cùm dicitur non incurri irregularitatem, nisi sit in iure expressa, an sit intelligendum de solo iure pontificio, hoc est lato á Pontifice, & non de iure lato ab alio inferiori Prælato.

Suarez. De quo P.Suarez supra á numero 11. & dicendum est breuiter Doctores semper loqui de iure Pontificio, quod statui á solo Episcopo non potest, vt bene expedit P. Suarez loco allegato: & ratio debet esse, quia hoc non est permissum Episcopo in sua Diœcesi, vt ostendit vsus Ecclesiæ.

Addendum est, intelligendum hoc esse de iure scripto. Non est enim in vsu irregularitas ex sola consuetudine: bene etiā docet P. Suarez supra, ad incurrendam irregularitatem in vno casu non sufficere, quòd sit expressa in simili. Quæ doctrina est communis Doctorum, & á pœna lata in vno casu non licet arguere ad alium: & ita semper obseruandum est, vt dicatur in curri irregularitas, si sit expressa in iure, & vt est expressa.

DVBIVM IIII.

An incurratur irregularitas, quando est dubium an sit in iure.

QVæstio potest intelligi de dubio iuris, & de dubio facti: & prius dicemus de dubio iuris.

In hac controuersia prima opinio est asserentium in dubio nullum esse censendum irregularem. Ita sensit Cardinalis in Clementinam primam de homicidio, Villadiego de irregularitate cap.15. in fine, Couarrub. in citatam Clement. parr. 1. in principio, Nauarrus in caput, Si quis autem, de pœnitentia dist.7.& alij recentiores, & sequitur P. Suarez disp.40. de censuris sect.5.P. Auila disp.2 dub.4. P. Henriquez cap.3.num.3.&4. Argumenta pro hac opinione infra adducentur. Suarez. Auila. Enriquez.

Alij verò sentiunt in dubio ante examen circa Ius factum, hominem censendū esse irregularem, ita vt tanquam irregularis abstineat ab his quæ irregulari non liceant. Ita sensit Paulus Burgensis de irregularitate part.1. quæst.3. num.1. & quantum ad forum conscientię, idem docuit Abbas, Hostiensis. Ioann. Andreas, & alij ad caput, Ad audientiam, de homicidio, Armilla verbo irregularitas nu.8. & 9. Tabiena verbo irregularitas 1.num.3. P. Vazquez 1.2.disp.65. cap.3. pro qua opinione possumus citare alios Doctores, qui generatim supponunt, in omni dubio iuris tutiorem partem esse eligendam, Angelus verbo *votum* 3.num. 12. Corduba in summa quæst.147. P. Azor tomo 1.lib.1.capit.15. quęst.2. & sępe Vazquez. aliis

aliis locis:quam opinionem infra explicabimus.

Sciendum autem est, quæstionem esse quando quis est in puro dubio, ita vt pro neutra parte contradictionis posit elicere assensum: si enim posit probabilem assensum generare, illam posset amplecti iuxta communem doctrinam authorum in materia de conscientia, vt rectè explicat P. Vazquez disp. citata.

Secundò sciendum est, si post examē de sensu iuris, & capitulorum non sit expressa irregularitas, non est homo censendus irregularis: colligitur ex capite. Is cui de sententia excommun. legatur Pater Vazquez capite citato numero vndecimo, Pater Suarez sectione citata numero 4.

Sed dubitant aliqui, quid dicendum esset, si non esset decisio capitis citati. P. Suarez censet idem esse dicendum, quia illa dispositio est declaratio iuris naturalis: & ego idem existimo, quia decisio illius capitis est, vt quoties talis pœna nō est expressa ob aliquod peccatum, nō deducatur ex simili ratione, quia in pœna, aut lege positiua non licet ab vna materia ad aliam asserere.

Item alij quærunt quid dicendum sit, quando facto examine sint opiniones de iure. Sed in hoc euentu seruanda esset generalis doctrina tradita à Doctoribus in materia de conscientia: sępe enim potest quis probabilem opinionem complecti.

Restat vt dicamus de sensu præsentis quæstionis, quando post factum aliquod opus dubitat quis, an propter illud incurratur irregularitas. Et in hoc dubio etiam fatentur Doctores primæ opinionis, ante factam diligentiam non posse hominem contra irregularitatē operari, quia exponitur periculo peccandi. Ita fatetur P. Suarez supra num. 12.

Superest difficultas, quando post factā diligentiam manet purum dubium. Et quidem si diligentia fiat circa ius, & leges, & non inueniatur expressa talis pęna, non est cēsendus quis irregularis, quia non potest manere dubium: nam hoc ipso quòd non sit expressa, non incurritur, vt diximus, & concessit expressè P. Vazquez numero allegato de hoc casu agens in specie: vnde pro hoc casu recentiores falso tribuunt contrariam opinionem Patri Vazquez, quasi dicat non esse licitum operari post talem diligentiam; manifestè loquitur ante factum examen sufficiēs, & de sensu iuris, P. Vazquez in tota illa disputatione solum contendit manēre puro dubio post quamlibet diligentiam, tutiorem partē esse eligendam: at in præsenti quæstione per sufficientem diligentiam tollitur dubium, quia nisi pęna hęc sit lata expressè, non incurritur.

Vnde in hac quæstione solùm videndum est, an vera sit prima opinio, quantū ad generale principium, quòd post factam diligentiam cum puro dubio manen ti posit homo operari contra legem, de qua dubitant Doctores: nam authores primæ opinionis putant esse licitum, & probant primò, quia post factam diligentiam sufficientem ignorantia quæ manet, vinci non potest: ergo non exponitur periculo peccandi cum tali dubio.

Secūdò probāt à simili, quia in materia iustitiæ in dubio de dominio rei & possessione nemo est obligatus ad tradendam rem, de qua dubitat post factam diligentiam: ergo neque in aliis materiis cum tali dubio exponetur quis periculo peccandi; neque assignatur sufficiens differentia inter materiam iustitiæ, & aliarū virtutum.

Tertio arguūt aliqui ex regula iuris, cū sunt iura partium obscura, reo fauendum est: in hoc ergo euentu fauendū est ei, qui dubitat, ac proinde liberandus ab obligatione censuræ.

Hæc qua potui breuitate, & claritate collegi ex multis, quæ fuse, & obscurè tradunt à recentioribus.

Sed hæc omnia in præsenti materia de irregularitate nihil probant contra Patrem Vazquez, quia, vt vidimus, expressè fatetur, pòst factam sufficientem diligentiam iuris, & legum, non esse hominem censendum irregularem, si non sit ea pœna expressa, quia per talem diligentiam tollitur dubium. Quantum verò attinet ad alias materias, excepta materia iustitię, mihi placet principium illud, quòd in puro dubio tutior pars sit eligenda, etiā si post factam omnem diligentiam possibilem nō liberetur quis à puro dubio. De qua doctrina dixi ex instituto in materia de voto, in materia de iuramēto, in materia de restitutione, in materia de matrimonio, & ideo hoc loco solum satisfaciendum

dum est argumentis allatis pro contraria opinione, quatenus militant contra principium illud generale, quòd in dubio tutior pars est eligenda: quod verum existimo quoties perseuerat purum dubium etiam post factam diligentiam.

Ad secundum respondeo manere ignorantiam inuincibilem legis, vt certe, non tamen legis sub dubio: & nos contendimus propter hoc dubium esse eligendam tutiorem partem, aliàs exponeretur dubitans periculo peccandi. Vnde fine fundamento aliqui recentiores existimant prædictũ argumentum esse magnæ efficacitatis contra nostram doctrinam.

Ad secundum dixi in materia de restitutione 2.2 ad quæstionem 62.& breuiter dico esse disparem rationem, quia in materia iusta possessio est titulus ad possidendum, vbi agitur de proprietate rei, & dominium est dubium, certa tamen possessio: & ita est vera regula iuris, In dubiis melior est cõditio possidentis: at verò in aliis materiis non agitur de dominio rei, sed de obligatione bene operandi in hac vel illa materia virtutis, & ita suspensio libertatis non fauet: & in tali dubio tutior pars est eligenda, ne dubitans exponatur periculo peccandi: quod est dignissimum consideratione. Vnde meritò Pontifex capite, Ad audientiam, de homicidio, docuit hominem in dubio quodam separandum fuisse à ministerio, & reddit ratio nem, quia in dubiis sententiam debemus eligere meliorem. Legatur P. Vazquez disp. il a 66. præsertim cap.7.&disp.65.c. 3.in princ.

Ad tertium respondet P. Vazquez disp. 65.cap.1.vbi docet hanc regulam, cùm iura partium sint obscura, fauendum esse reo non esse cõtrariam illi alteri regulæ, In dubio tutior pars est eligenda: & respondendum est priorem illam esse intelligendam, cùm agitur de pœna infligenda, posteriorem verò, cùm agitur de seruando præcepto, & tunc obseruanda est, ne quis exponatur periculo peccandi, vt dictum est iuxta doctrinam Pontificis capite, Ad audientiam, de homicidio citato.

Addendum est id, quod diximus de irregularitate, seruandum esse in omni censura, ita vt perseuerante dubio debeat quis ita se gerere, vt contra censuram non operetur; facta tamen diligentia, si nõ inueniat latam esse censuram contra tale genus peccati, tunc per talem diligentiã liberetur à dubio puro, quia potest generare probabilẽ assensum, quo iudicet non esse censuram.

Tandem notandum est id quod P. Vazquez notauit disp. illa 65.cap.1. non esse audiendos aliquos, qui putarunt nostram sententiam esse veram pro foro interiori, non tamen in foro externo. Ita senserunt Abbas, & Hostiẽsis supra citati, quia forum exterius, & interius eodem modo iudicant, quando constat de veritate eadem ratione; secus verò quando exterius ducitur sola præsumptione, secundum allegata, & probata, & non cognoscit veritatem. Vazquez.

DVBIVM V.

An in dubio facti censendus sit aliquis irregularis.

DIctum est de dubio iuris, restat explicare quomodo sit philosophandum de dubio facti: nam in dubio voti non eodem modo philosophantur Doctores de vtroque dubio, vt diximus in materia de voto, & videri potest apud P. Vazquez 1. 2 disp.65.&66. Vazquez.

In præsenti verò materia prima opinio est etiam in dubio facti non esse hominem habendum irregularem, quia in hoc dubio etiam est verum fauendum esse reo, cùm iura partiũ sint obscura, iuxta regulam 168. de regulis iuris.

Secundò quia regula illa, tutior pars est eligenda in dubiis, intelligitur quãdo in altera parte est periculum aliquod; hic tamen non est periculum, quia ex probabilioribus principiis iudicare quis potest non esse obligandum talem hominem, vt gerat se tamquam irregularem.

Tertiò probant variis exemplis: primum desumitur ex voto: nam in dubio voti non obligatur homo ad implendum illud. Secundum est in dubio de promissione humana facta alteri homini. Tertium sumitur à pœna suspensionis, quæ ipso facto priuat fructibus beneficii; & tamen esset rigor ad id obligare in dubio.

Pro qua sententia citantur aliqui Doctores, qui tamen obscurè loquuntur; vel de dubio iuris, & nõ facti, etiam sequitur ex-

Vazquez. expresse Pater Suarez disp.citata, sectio-ne 6.

Sed contrariam sequuntur multi. P.Vazquez 1 2.disp.66.cap. 1. vbi assignat regulam generalem, in dubio facti tutiorem partem esse eligendam: quæ regula traditur capite, Ad audientiam, & capite, Significasti 1 2 de homicidio, vbi in dubio homicidij præcipitur abstinendum à ministerio altaris propter dubium, vel suspicionem homicidij: & assignat Pontifex rationem, cùm indubiis tutior pars sit eligenda. Dicitur autem tutior, in qua nullũ est peccatum, aut minus: & eam regulam tradunt Syluester verbo dubium q. 4 & homicidium 3 q.1. regula prima, Nauarrus in caput, Si quis, de pœnitentia dist.7. à num.35. Nauar. cap.27 n. 279. & 284. Armilla verbo dilectio num. 2 & 3. Angelus verbo dubium num.1. Couar. Clementini, Si furiosus, de homicidio, in princ.n. 3. Doctores omnes, qui de dubio iuris ita docuerunt & de dubio facti ita censet

Toletus. Auila. Toletus lib.1.cap.52 & putat contineri in citatis capitibus, P. Auila disp.2. dubio 5 conclusione 1. Et ratio est, quia cùm agitur de operatione facienda occurrenti dubio, debet quis eligere tutiorem partem, aliàs exponitur periculo peccandi.

Verùm respondent aliqui in citatis iuribus esse speciale dispositionem iuris positiui, & ideo non esse extendendam ad alios casus.

Sed contra hoc est: nam interrogatus Pontifex non condidit ius nouum, sed declarauit obligationem iuris naturalis, nã circa factum non debebat statuere legem, sed pro futuro. Item, quia reddit rationẽ suæ regulæ, nempe quia in dubiis tutior pars est eligenda: quæ ratio inepte subiungeretur, si esset falsa, & non contineret doctrinam vniuersalem. Et hæc sententia mihi maximè probatur propter citata iura, & rationẽ factam, quam aliqui ita certam iudicant, vt dicant contrariam de dubio facti non esse tutam in praxi; sed seuerè loquuntur, & ego semper multum detuli authoritati Patris Suarez.

Suarez. Ex dictis infero, falsò P. Thomam Sanchez supra lib 2. de matrimonio disp.41. quæst.3. num. 41. ad secundum dixisse, in dubio irregularitatis esse tutiorem partem eligẽdam solùm ex dispositione iuris positiui. Et confirmari potest nostra sententia, quia in dubio facti circa votum communis opinio est obligari hominem ad eligendam tutiorem partem: verbi gratia, est aliquis certus de emissione voti, & dubitat an impleuerit, tenetur implere, ne se exponat periculo violandi votum.

Restat respondere argumentis primæ opinionis. Ad primũ constat ex dictis dubio præcedenti.

Ad secundum respondetur, regulam illam esse vniuersalem, vt ostensum est.

Ad tertium, quod erat ex variis exemplis, sigillatim respondendum est. Ad primum de voto dicendum est, in dubio facti communiorem opinionem docere esse tutiorem partem eligendam: & modò agimus de dubio facti. Ad secundum, si est purum dubium, in materia iustitiæ meliorem esse conditionem possidentis, vt supra dicebamus. Ad tertiũ exemplum respõdetur ex doctrina P. Vazquez, eam pœnam in dubio non esse infligendam, quia est pœna posita delicto certo, & ita pro dubio non potest imponi; secus verò est, cùm agitur de obligatione bene operandi, ne violetur præceptum. Et quòd talis pœna non sit imponenda, & discrimen inter hanc pœnã, & obligationem bene operandi in dubio facti, bene explicat Tolet. cap.cit. in fine. Vazquez.

DISPVTATIO LVIII.

De effectibus irregularitatis.

DVBIVM PRIMVM.

De effectu irregularitatis, qui est impedire susceptionem ordinis.

DE HAC Materia Pater Suarez disputatione 40. sectione 2. P. Auila disp.2. dub.6.

Primus effectus irregularitatis numeratur à Doctoribus impedire susceptionem ordinum, & sumitur ex capite, Curandum, ex

ex cap. Cuius vxorem, dist. 34. & aliis capitibus.

Docent autem authores non ita impedire, quia ordo collatus verum habet effectum: quòd si adsint cętera, Ecclesia nō potest impedire efficacitatem sacramenti, quando non pendet à potestate Ecclesiæ materia sacramenti: nam matrimoniū potest irritare, si nō sit certis conditionibus, quia est contractus, & ratio contractus pendet ab Ecclesia; quę tamen non potest facere, quòd validus contractus matrimonij non sit sacramentum inter baptizatos. Item sacramentum pœnitentiæ potest facere vt non habeat effectum ex defectu iurisdictionis, id est applicationis materię, quæ pendet ab Ecclesia. Materia verò, & forma sacramenti Ordinis non pendet à potestate Ecclesiæ, vt illis possit effectum impedire.

Dicendum tamen est, irregularitatem impedire licitam susceptionem ordinū, & peccare grauiter, qui ordinem suscipit cum irregularitate, quia fit contra præceptum Ecclesiæ in re graui: quod Pater Suarez supra intelligit etiam de susceptione minoris ordinis, quia minores ordines vel sunt sacramenta, vel res sacræ.

Addit etiam susceptionem primæ tonsurę esse mortale peccatum, si persona sit irregularis, quia videtur res grauis, & prima dispositio ad suscipiendos ordines.

Sed potest esse difficultas, an propter hoc peccatum sit aliqua pœna in iure. Et respondet P. Suarez supra numero 3. non esse in iure specialem aliquam pęnam impositam propter hoc peccatum. *Suarez.*

Item dicendum est, irregularem peccare grauiter ministrando in ordine ex officio. Ita docet Innocentius in cap. Si celebret, de clerico excommunicato ministrante, Cardinalis in Clemen. iura de homicidio, Syluester verbo ordo 2 quæst. 2. & verbo irregularitas. Nauarrus in summa cap. 27. num. 94. Couarrub. in Clem. si furiosus, 1. parte §. 1. num. 3. Villadiego cap. 3 num. 14. & sumitur ex capite vltimo de temporibus ordinandorum, & capite, Inquisitionis primo, de accusationibus. Et ratio est manifesta, ex definitione irregularitatis, quæ prohibet vsum ordinum.

Suarez. Addit P. Suarez numero 6. propter hoc delictum non esse aliquam aliam irregularitatem, vel censuram impositam.

Tandem docet hæc, quæ diximus procedere in omni irregularitate ex quacunque causa proueniat.

Vlterius dicendum est per irregularitatem non prohiberi actum, etiam sacrū, qui potest per laicum exerceri. Hæc colligitur ex definitione irregularitatis, in qua solum ponitur prohibitio ordinis, vel vsus illius.

Sed dubitant aliqui, an irregulari liceat suscipere sacramentum pœnitentiæ.

Et senserunt aliqui non licere, vt testatur Cardinalis in Clem. dudum de sepulturis, & colligunt ex Extrauag. inter cunctas, de priuilegiis, vbi significatur neminem posse absoluere à peccato, cui est annexa irregularitas, nisi etiam possit irregularitatem tollere: dicitur enim in ea Extrauag. nam inconueniens existimamus, vt à peccato absoluere, qui pœnitentiam ei debitam imponere, aut irregularitatis pęnam peccati sequutam remouere non potest.

Sed communis, & certa sententia est, posse Sacerdotem absoluere pœnitētem à peccato manente irregularitate. Ita Theologi 4 & Canonistæ in caput vltimum de temporibus ordin. Nauarrus in sum, cap. 27. num. 191. P. Suarez cum aliis supra num. 10. quia irregularitas non priuat passiua participatione sacrorum. Vnde ex eo quòd peccatum habeat adiūctam irregularitatem, non infertur esse reseruatum. *Suarez.*

Et oppositum contrariæ sententiæ falsam continet doctrinam, quia sæpe potest absoluere à peccato, qui non potest tollere irregularitatem, vt docuit Couarrub. in cap. Alma mater 1. parte § 6. num. 6. & citata verba Extrauagantis inter cęteras dicit intelligenda esse de absolutione ab irregularitate, non à culpa.

Quæ expositio non videtur satis quadrare in textu, in quo duo illa videntur distingui.

P. Suarez respondet Pontificem solum loquutum de religiosis prędicatoribus, & minoribus, & noluisse illis concedere facultatem hanc: quę dispositio iam est, quantum ad hoc reuocata. *Suarez.*

Ex eadem doctrina sequitur, nullum sacrum ministerium & actum esse prohibitum

bitum irregularibus, quatenus per laicos exerceri potest, verbi gratia, collationem Baptismi, vt fit à laico in necessitate sine solemnitate: vt docuit Couarrubias in Clement. citatam 1. par. §. 1.

Tandem in hoc dubio dicendum est, irregularitatem non impedire actum, & vsum potestatis iurisdictionis: est communis doctrina Iurisperitorum in caput, Tanta, de excessibus Prælatorum, & tradunt Theologi non pauci P. Suarez supra num. 12. P. Auila disp. 7. dub. 6. concl. 7. & tradiderat Villadiego cap. 3. num. 17. & ratio est, quia potestas iurisdictionis est distincta à potestate ordinis, & irregulari tas priuat vsu potestatis ordinis, non vsu potestatis iurisdictionis. *Suarez. Auila.*

DVBIVM II.

An per irregularitatem eo ipso amittatur Ecclesiasticum beneficium.

IN Hac quæstione refertur sententia asserentium per irregularitatem priuari hominem beneficio, & tribuitur Villadiego de irregularitate capite 1. Et videtur indicare Couarrubias in epitome in 4. decretalium par. 2. cap. 6. §. 6. num. 7.

Sed contraria sententia communis est asserentium, illum qui post legitimam collationem beneficii incurrit irregularitatem, non priuari ipso iure beneficio, vel dignitate, quæcumque illa sit. Ita sensit Innoc. in caput, Cùm nostris, de concessione, Panormit. in caput, Tanta, de excessibus prelatorum. Nauarrus cap. 27. num. 252. P. Henriquez cap. 2. num. 5. P. Auila supra can. 4. P. Suarez supra à num. 15. Solet autē probari aliquibus argumentis, quæ non omnino cōcludunt, vt supra ostēdit P. Suarez. *Auila.*

Probanda verò est, quia talis priuatio beneficii non reperitur expressa in iure aliquo: ergo non est dicendum talem irregularitatē incurri. Antecedens probatur, quia nullus textus adducitur à Doctoribus, in quo talis priuatio decernitur, vt bene vidit Pater Suarez loco allegato num. 16.

An verò in aliquibus materiis propter graue delictum non solùm sit imposita pœna irregularitatis, sed priuatio beneficij in variis materiis speciatim videndum est quod attigit P. Suarez supra n. 17. an vero lex posuit, & quomodo priuare ipso facto beneficio, videndum est in materia de legibus. *Suarez.*

Restat difficultas, an irregularitas priuet saltem fructibus beneficij.

Affirmat Villadiego cap. 3. num. 22. videtur enim supponere irregularitatē priuare beneficio, vnde & fructibus illius priuabit.

Communem sententiam sequitur P. Suarez num. 20. qui à contraria non probatur aliquo iure, & tamen cùm sit pœna, deberet probari manifeste iure aliquo: & aliqui dicunt, quod licet per sententiam irregularis priuetur beneficio, tamen non potest declarari non fecisse fructus suos tempore præterito, quia reuera erant illius. *Suarez.*

Ex quo sequuntur aliqua: vnum est, ex vi irregularitatis non priuari hominem ad ministratione, quæ illi conuenit ratione sui beneficij.

Secundò sequitur, non priuari iurisdictione fori contentiosi, quia irregularitas per se non priuat iurisdictione, aut vsu illius.

Tertiò infertur, quid dicendum sit de ministerio, quod Parochus potest exerce re circa suos subditos. Et quidem de matrimonio dicendum est posse illi assistere, vt sit validum, iuxta decretum Triden. sessione 24. cap. 1. de reformatione matrimonij, quia talis præsentia non est actus ordinis proprius: & eodem modo potest concedere facultatem alteri Sacerdoti, vt assistat matrimonio, quia est actus iurisdictionis, vel administrationis proprij beneficij, quo non priuat irregularitas, vt in specie docuit P. Suarez supra num. 26. Et de parocho excommunicato, quòd possit assistere matrimonio, diximus in materia de matrimonio. *Suarez.*

Alius actus est solemnis benedictio ministrorum, quę ex institutione Ecclesię est annexa ordini, & ideo non potest illum actum efficere sine peccato.

Deinde, si beneficium habeat ius eligendi, vel præsentandi, non priuatur beneficiarius tali iure per solam irregularitatem, Pater Suarez supra, Nauar.

Nauarrus cap. 27. num. 244. quia iste non est actus ordinis.

Restat explicare, an per irregularitatem fiat quis inhabilis ad beneficium recipiendum.

Aliqui senserunt collationem beneficij factam irregulari validam esse. Ita sensit Sylvest. verbo excommunicatio 4. num. 4. quem sequitur Nicolaus Plouius de irregularitate n. 39. & 40. regula 44. quia non apparet ius aliquod speciale, quod faciat irregularem incapacem beneficij recipiendi.

Sed contraria sententia est communis, ita docet Nauarrus cap. 25. num. 34. & cap. 27. num. 251. & aliis locis, Couarrub. in caput, Alma mater part. 1. §. 7. num. 1. & §. 8. num. 3. qui alios refert, & videri potest Panormit. in cap. Nisi cum pridé, de renunciatione, & in cap. Tanta, de excessibus prælatorum.

Solet autem probari hæc sententia ex aliquibus capitibus, quæ nonnulli putant nõ probare rem efficaciter: quod fuse prosequitur P. Suarez sect. illa 2. à num. 3.

Primò adducitur caput, Cùm bone, de ætate & qualitate. Sed ibi non est sermo de irregularitate, sed de suspensione absolute, & ex vltimis verbis textus videtur colligi.

Secundò adducitur caput secundum de clerico non ordinato ministrante; sed neque ex hoc aliquid colligitur, quia non constat esse hoc de beneficio obtinendo, neque potest etiam colligi nullitas electionis factæ.

Tertiò adducitur caput, Dudum, de electione. Sed non potest ex illo colligi electionem beneficij esse nullam.

Quartò adducitur caput de clerico pugnante in duello, ex quo solùm colligitur electionem esse prohibitam; tamen quòd sit nulla, non potest colligi.

Quintò allegatur caput Postulastis, de clerico excommunicato ministrante; in quo tamen non est sermo de irregularitate, sed de excommunicatione, & modo disputamus de irregularitate.

Sextò adducitur caput vltimum de clerico excommunicato ministrante, vbi sermo est de excommunicato excommunicatione minori. Et in his quæ sunt de iure positiuo, ab vna materia ad aliam nõ potest sumi argumentum.

Tandem adducitur Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. de reformatione, vbi de homicida dicitur, vt nullo tempore ad sacros ordines promoueri possit; neque beneficium Ecclesiasticum ei conferri. Sed neque ex hoc testimonio potest hæc sententia prædicta probari, quia ex hoc solùm colligitur non posse licitè conferri; non tamen quòd non possit validè.

Ex his colligit P. Suarez supra numero 35. primam opinionem esse probabilem; addit tamen numero 36. secundam esse tutiorem in praxi, & probat aliquibus rationibus, quæ licèt rem non concludant, tamen sunt probabiles.

Primò, quia est communis & recepta sententia.

Secundò, quia iura hunc sensum patiuntur, & visus videtur eam explicasse.

Tertiò, quia irregularitas est impedimentum ordinis, & videtur poni ad impedimentum, etiam collationem beneficij.

Quartò, quia videtur esse nulla electio ex defectu voluntatis in eligente, si irregularitas sit occulta, & non manifestetur conferenti beneficium. Suarez.

Et addunt aliqui irregularem, eo ipso quòd fit inhabilis ad ordines suscipiendos, fieri inhabilem ad beneficium suscipiendum: nam beneficium datur propter officium.

Ex doctrina verò tradita possunt solui aliqua dubiola, quæ solùm pendent ex eo, an sit valida, vel nulla prædicta electio beneficij, in quibus facile erit vnicuique philosophari iuxta suam opinionem.

Solùm restat explicare, an irregularis possit vti iurisdictione in foro pœnitentiæ in ordine ad absolutionem sacramentalem.

Aliqui absolute negãt, quia illa absolutio est actus ordinis ex parte potestatis actiuæ, licèt connotet iurisdictionem ex parte materiæ. Ita sentit P. Auila disp. 2. dubio 6. concl. 7. Auila.

P. Suarez supra à num. 44. docet primò, habentem iurisdictionem ordinariam non amittere illam per irregularitatem ipso facto, quia non amittit beneficium. Suarez.

Tertiò docet non posse irregularem licitè vti tali iurisdictione, quia est priuatus executione ordinis.

Quartò docet probabilius sibi videri talem absolutionem esse validam, quantum est ex vi potestatis, quia minister vere habet potestatem ergo si pœnitens sit rectè dispositus, non deest aliquid, quod pertineat ad substantiam sacramenti: & affirmat ita sensisse viros doctos, quibuscum rem hanc contulit.

Quintò docet idem iudicium esse de habente hanc iurisdictionem delegatam, quia non constat ipso facto amittere iurisdictionem.

Mihi verò videtur primò, seclusa ignorantia pœnitentis non posse validam esse absolutionem, quia peccaret grauiter petens absolutionem ab eo, quem scit non posse illam conferre sine peccato graui.

Secundò, si accedat pœnitens bona fide existimans illum Sacerdotem posse absoluere, quia est toleratus ab Ecclesia, & publicè exercet officium suum, probabilis est in hoc, & certa sententia Patris Suarez, quòd sit valida absolutio.

Suarez.

DISPVTATIO LIX.

De his qui possunt contrahere irregularitatem, & forma ferendi illam.

DVBIVM PRIMVM.

Qui possint contrahere irregularitatem.

IN Hac materia prima regula sit nullum esse capacem irregularitatis, qui ex institutione Christi non est capax ordinis. Ita Sotus 4. dist. 25. quæst. 1. art. 2. P. Suarez disputat. 40. sectione 7. quia irregularitas est priuatio quædam respectu recipiendi ordinis sacramentum: priuatio autem supponit capacitatem in subiecto.

Suarez.

Ex qua doctrina sequitur primò, fœminam non esse capacem superuenientis irregularitatis, quia iure diuino est incapax ordinis: Christus enim solùm viros ordinauit Sacerdotes: quod secundum ius prosequitur P. Suarez disp. illa 40. sect. 1. & ex instituto P. Vazquez tomo 3. in tertiam partem disp. 245.

Secundò sequitur, hominem non baptizatum non esse proximè capacem irregularitatis, quia ante baptismum non est proximè capax sacramenti ordinis.

Tertiò sequitur quid dicendum sit de his qui baptizati sunt, tamen aliquo impedimento sunt impediti ad ordines, si demum impedimentum sit contra substantiam sacramenti, non tam irregulares, quàm incapaces sunt ordinis: si verò non sit tale impedimentum, capaces sunt ordinis, & irregularitatis.

Secunda regula generalis est, omnis vir capax ordinis, est capax irregularitatis. Hoc supponunt Doctores, & iura, & intelligitur si habeat superiorem, in quo possit statui irregularitas.

Hoc loco possent aliqua disputari, quæ ex dictis de censuris facilem habent solutionem: vnum est, an homo habens vnam irregularitatem, possit aliam contrahere. Alterum est, an Pôtifex Summus possit incurrere irregularitatem, vt est impedimentum iure institutum, de quibus constat quid dicendum sit.

De Episcopis verò, & aliis subditis Summo Pontifici, satis constat posse contrahere irregularitatem.

Solùm posset quæri, an per legem irregularitatis comprehendantur Episcopi, licèt eorum non fiat mentio. Quæstionis causa sumi potest ex capite, Quia periculosum, de sententia excomm. Sed dicendum est, eos comprehendi, quia in dicto capite solùm fit mentio suspensionis, & interdictorum, vt per generalem sententiam non comprehendantur Episcopi: sed non sit mentio irregularitatis.

Non me latet contrariam sententiam sequi Marolum libro 4. de irregularitate capite 1. numero 7. putat enim prædictum caput extendendum esse ad irregularitatem; sed loquitur sine fundamento idoneo.

(.?.)

DVBIVM II.

Quæ sint verba, per quæ inducitur irregularitas.

POnendum est, verba quibus imponitur irregularitas, debent significare canonicum impedimentum ipso facto incurrendum. Est communis sensus Doctorum sine controuersia: nam hæc lex ex ratione talis legis requirit talia verba ad significandum peculiarem effectum. Secundò certum est, etiam debere hæc verba significare hoc impedimentum canonicum, non quomodocumque, sed vt ab aliis distinguitur.

Ex his quæ certa sunt apud Doctores, colligitur primò, quando lex loquitur de pœna, quæ non incurritur, non esse sermonem de irregularitate: quia talis lex loquitur de pœna imponenda per iudicem, quod in irregularitate non contingit.

Circa hanc regulam duo possent effici hoc loco: alterum est assignare aliquot exempla irregularitatis latæ in iure; sed res est facilis, & legi potest P. Suarez supra à num. 3. Suarez.

Alterum, generatim ostendere, quando verba significant pœnam statim imponi, vel esse per iudicem ferendam. Authores in materia de legibus, & legi potest Tiraquellus in legem, Si vnquam, C. de reuocandis donationibus: & semper considerandæ sunt omnia verba legis, an significent aliquid faciendum per verba de futuro, vel aliquid de præsenti ipso facto. Legatur P. Suarez disp. 3. de censuris sect. 2. Suarez.

Secundò dicendum est, solam priuationem vsus ordinis non esse signum irregularitatis. Nam degradatio, seu suspensio perpetua dicit hanc priuationem; & tamen non sunt irregularitates. Quam regulam tradit P. Suarez supra num. 8. & explicat fusè.

Vnde consideranda sunt alia verba iuris, & materia legis, vt possimus iudicare, an tale impedimentum sit irregularitas.

Et ideo videndum est, an dicatur talis pœna tolli per dispensationem: nam censura tollitur per absolutionem, irregularitas per dispensationem. Rursus petendum est, an imponatur tale impedimentum sine culpa. Censura enim non imponitur sine culpa; irregularitas verò aliqua imponitur sine culpa, vt ex dicendis de irregularitatis speciebus intelligetur. Facilia alia notat P. Suarez supra. Suarez.

DISPVTATIO LX.

De ablatione irregularitatis.

DVBIVM PRIMVM.

An possit irregularitas tolli sine dispensatione.

ALiqui Doctores docent, irregularitatem tolli posse vel per baptismũ, vel ingressum religionis, vel per dispensationem.

Sciendum autem est, aliquos Doctores negare per baptismum tolli irregularitatem. Alij generalem hanc diuisionem admittunt, quæ videtur consentanea Hieronymo epist. 83 alij distinctione vtuntur de irregularitate proueniente ex culpa, vel alia de causa.

Alij alias distinctiones adducunt, quæ non possunt rectè intelligi, ante quàm disputemus de speciebus irregularitatis.

Pater Suarez disputat. 41. sectione 1. numero 2. docet in homine baptizato non manere irregularitatem ratione precedentium peccatorum, vel actuum, nisi aliter sit iure dispositum. Sed non possumus rem exactè explicare, nisi explicemus varias species irregularitatis. Solũ est notandum quod supra dicebamus, ante baptismum non contrahi irregularitatem per actum prout in illo statu ante baptismum elicitum. Suarez.

Circa secundum modum de ingressu religionis notandum est, aliud esse irregularitatem tolli per religionis ingressum ipso facto absque alia dispensatione, aliud verò irregularitatem prius contractam fieri dispensabilem per religionis ingressum, per illius Prælatum.

Rursus possumus loqui, vel de iure communi, vel ex priuilegio.

Et circa ius commune variæ sunt sententiæ: & prima est asserentium omnem irregularitatem tolli per professionem religionis. Ita sensit Glossa in caput, Cùm deputati, de iudiciis. Sed hæc opinio ita latè patens non videtur habere fundamentum in iure, nullum enim adducitur manifestum ius.

Alij distinguunt de irregularitate contracta ex peccato, vel sine illo, & docent primam non tolli per ingressum religionis, benè tamen posteriorem; Ita sensit Glossa in caput secundum de apostatis; sed neque hæc sententia probatur sufficienter ex iure.

Alij docent generatim nihil posse affirmari, sed solùm dicendum esse, eam irregularitatem tolli per ingressum religionis, cùm fuerit hoc concessum per ius. Ita docuit Panormitanus in capit. 2. de apostatis numero 7. quia quando ius de hoc loquitur, non loquitur in generali, sed in particulari, vt constat ex capite 1. de filiis presbyterorum, & ita in singulis irregularitatibus consulenda sunt iura: & ita sensit Angelus, & Syluester verbo irregularitas, & Armilla numero 188. addidit verò Sotus 4. distin. 25. quæst. 1. articulo 3. de facto in religionibus obseruari, vt omnis irregularitas per religionis ingressum tollatur, excepta illa, quę ex bigamia, & ea, quæ ex homicidio voluntario contrahitur; siue hoc fuerit obtentum ex iure communi, siue ex consuetudine, & priuilegio: & quod dicit de consuetudine admittit Pater Suarez supra numero 3. & quantum ad ius commune dicit nullum esse tale, quantum ad priuilegium, docet consulenda esse verba priuilegij.

Suarez.

Restat aliquid dicendum de ablatione irregularitatis per dispensationem.

Et est generalis regula, irregularitatem tolli posse per dispensationem, non tamen per absolutionem, est communis sententia Doctorum quantum ad primam partem, quia in iure potest fieri dispensatio: an verò aliqua sit excipienda, dicemus agentes de irregularitate, quæ oritur ex bigamia. Secūda pars etiam est cōmuniter recepta.

Secundò dicendum est, vt dispensatio habeat locum, necesse est, vt causa irregularitatis duret, quia aliàs deficienti causa cessat irregularitas, neque est necessaria dispensatio, vt constat.

Vt verò hæc doctrina intelligatur, notandum est irregularitatem aliquando habere causam, quæ semel posita in rerum natura non potest deficere. Sicut illa quæ imponitur propter homicidium voluntarium; habet enim causam, quæ iam non potest deficere: & idem iudicium videtur de omni irregularitate, quæ imponitur ob delictum aliquod.

Aliæ verò sunt irregularitates, quæ temporalem habent causam, & solùm ponuntur pro tempore, quo causa permanet, & ita si causa cesset, non erit necessaria dispensatio, vt constabit ex dicendis de irregularitate.

Alię sunt irregularitates, quæ habent causam, quæ interdum non potest naturaliter cessare, interdum verò potest naturaliter deficere, sicut est infirmitas, vel defectus corporalis.

Solet assignari modus alius auferendi irregularitatem per abrogationem legis, quę illam inducebat, verbi gratia, si auferatur lex Ecclesiæ, quæ illegitimos facit irregulares.

Et certè ablata lege manifestum est, non contrahi irregularitatem nondum contractam. Secundò certum est, cessare iam contractam, quia hoc impedimentum est inductum sola lege Ecclesiæ propter aliquā causam, & ita si cesset lex per abrogationem, non inducitur, neque perseuerat irregularitas illa.

Sed potest obiici, si quis contraxit excōmunicationem, etiamsi auferatur lex, indiget absolutione: ergo qui contraxit irregularitatem, eget dispensatione, etiāsi auferatur lex, quando iam est contracta irregularitas. Propter hoc argumentum posset aliquis existimare ad irregularitatem semel contractam necessariam esse dispensationem, etiam cessante lege, vel ad excommunicationem contractam non esse necessariam absolutionem, ablata lege, ita vt abrogatio legis sit virtualis absolutio à censura excommunicationis.

Nihilominus potest assignari disparitas, quòd irregularitas sit inhabilitas in tota sua essentia pendens à lege.

(.?.)

DV-

DVBIVM II.

In quo sit potestas dispensandi in irregularitate.

ANte ponendum est hanc potestatem esse in Ecclesia, vt constat ex vsu Ecclesiæ, & est valde necessaria ad regimen prudens Ecclesiæ. Secundò ponendum hanc esse à Christo traditam. Tertiò ponendum est esse potestatem iurisdictionis, vt per se constat.

His præmissis certum debet esse hanc potestatem esse in Summo Pontifice, in quo est potestas condendi leges Ecclesiasticas, potestate accepta immediate à Christo, quæ est suprema Ecclesiæ potestas, de quo nullus Catholicus dubitat, & constat ex perpetuo vsu, & traditione Ecclesię. Cùm ergo irregularitas sit de iure positiuo Ecclesiastico, poterit Pontifex in ea dispensare.

An verò ad talem dispensationem requiratur causa communis, quæstio est, & explicanda in materia de legibus circa omnem dispensationem legis humanæ.

Secundò dicendum est, iure ordinario non posse Episcopum dispensare in irregularitate: est communis doctrina, & vsus Ecclesiæ ostendit: quia irregularitas lata est à Pontifice Summo, & non potest inferior potestate ordinaria dispensare in lege superioris.

Deinde explicandum est, quando posset Episcopus dispensare in aliqua irregularitate, quod in specie dicendum est in sequentibus disputationibus, cùm occurrat sermo de speciebus singulis irregularitatis.

Duo tamen possumus hìc aduertere: vnum est, iure posse Episcopum in aliqua irregularitate dispensare, quando in ipsa lege hoc explicatur.

Secundò sciendum est, in Concilio Tridentino sessione 24. capite 6. de reformatione concedi Episcopis, vt dispensare possint in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta quæ dicitur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum: quem locum Concilij explicabimus agentes de irregularitate proueniente ex homicidio, & legi potest Pater Suarez disputatione 41. sectione 2 à numero 6 Pater Vazquez prima secundæ disputatione 94. numero 14. disputatione 1 do numero 29. & numero 45. & disputatione 124 articulo 4. & Pater Thomas Sanchez in summa libro 2. capite 11. de quo supra disputatione 25. *Suarez. Vazquez. Tho. San.*

Solùm restat hoc loco aliquid dicendum de forma seruanda in disp. irregularitatis, & in iure nulla certa forma est.

Est autem necessarium ad dispensationem signum aliquod externum, quod significet voluntatem dispensandi eius, qui potest dispensare: pendet enim dispensatio à tali voluntate, vt constat.

Item si dispensatio fiat in vna irregularitate determinata, debent signa externa speciatim hanc significare, nisi generalibus verbis concedatur dispensatio omnium irregularitatum, quas quis habet.

Tandem circa hanc dispensationem obseruanda sunt generalia principia de dispensatione, vt iudicetur an sit, vel non sit valida, & licita. Legatur P. Suarez disp. 41. sect. vltima.

Hic posset disputari, an irregularitas tollatur per baptismum, de quo aliquid dicemus agentes de irregularitate orta ex bigamia. Legi potest Pater Auila parte 7. disputatione 10. à dubio 2. *Auila.*

(.?.)



LIBER NONVS

De irregularitate in specie.

DISPVTATIO LXI.

De irregularitate orta ex aliquo delicto circa vsum Sacramenti.

DVBIVM PRIMVM.

An contrahatur irregularitas per indebitam susceptionem Baptismi.

Suarez. E Hac mareria latè disputat Pater Suarez tomo 3. in 3. parte disput. 31. sectione 6. & tomo de censuris disp. 42. sectione 1. & aliqui tractant in materia de baptismo ad quæstionem
Vazquez. 66. 3. parte: sed Pater Vazquez tomo 2. in tertiam partem circa eam quæstionem disputat. 146. in fine noluit de irregularitate hac disputare, sed promisit se de ea dicturum in tractatu de irregularitate. Legatur Toletus in summa libro 1. cap. 65.

Sciendum est ante omnia, rebaptizatum manere irregularem, cap. Eos quos, de consecratione dist. 4 & capit. Qui bis, eadem dist. & in hoc vltimo capite dicitur, Qui baptizatus est bis, secundum canones ordinari non potest: sed vt notant aliqui Doctores, istud caput non habet per se authoritatem inducendi hanc irregularitatem, quia non est alicuius Cōcilij generalis, vel Summi Pontificis, sed desumptum ex pœnitentiali Theodori cap. 14. vt est apud Bruardū lib. 4. Decreti cap. 51. apertiùs videtur colligi hæc irregularitas ex epistola 1. Felicis III. cap. 5. & habetur cap. qui in qualibet 1. q 7.

Sed dices ibi solùm fieri mentionem, de his qui alibi quàm in Ecclesia Catholica rebaptizantur. Verùm hoc nullius est momenti, quia talis lex generaliter de omnibus intelligenda est semper, vt vsus Ecclesiæ ostendit. Vnde in Concilio Carthaginensi quinto, cap. 11. & habetur capite cōfirmandū dist. 50. vbi absolutè imponitur hæc irregularitas, & in Concilio Tolet. 4. & 18. & habetur cap. qui in aliquo dist. 51.

Circa quam irregularitatem dubitari potest, an contrahatur ab his qui ignoranter rebaptizantur.

Aliqui Canonistæ ita senserunt, vt refert Couarrubias in Clem. si furiosus in principio num. 8. & indicat Richard. 4. dist. 6. artic. 4. quæst. 2. Paludan. quæst. 4. artic. 5. Antonin. 2. parte titulo 14 capit. 13 §. 122. Nicolaus lib. 3. de irregularitate capite 14. & probatur ex cap. Qui bis citatum: dicitur enim in eo capite, etiam illum, qui ignoranter baptizatur bis, incurrere hanc irregularitatem; & videtur sermo de ignorantia inuincibili, nā dicit illos pro eo facto non indigere pœnitentia.

Secundò potest probari ex capite, Qui in qualibet, citato, vbi dicitur, rebaptizatos in qualibet ætate manere irregulares, ergo signum est hanc irregularitatem non esse pœnam, & ita non requirere culpam.

Sed contraria sententia est communis multorum: illam tenet Scotus 4. distinct. 6. quæst. 8. Nauarrus capit. 27. numero 246. P. Suarez 3. tomo in 3 parte disput. 31. sectione 6. in fine, qui alios citat, Couarrubias loco allegato, & probanda est hæc opinio: quia non est talis irregularitas expressa in iure: nam primum caput allatum pro contraria opinione non habet authoritatem, vt docuerunt multi Doctores, & sequitur Pater Suarez supra, & Toletus capit. 65. omitto aliam explicationem, quæ inueniri potest in Tolet. cap. 65. & aliis. Aliud caput intelligi potest de ignorantia culpabili. Suarez.

Docet

Docet deinde Pater Suarez tomo de censuris disput.42. sect.1. non incurrere hanc irregularitatem, qui propter metum aliquem permitteret se baptizari sine vero animo suscipiendi iterum baptismum, quia in hoc euentu non est formalis rebaptizatio ex parte baptizati, & pœnæ sunt restringendæ: quod licet sit probabile pro interiori; tamen in foro exteriori si agnoscatur externa rebaptizatio, iudicabitur irregularis. Suarez.

Addit P. Suarez sectione illa prima, per nouam rebaptizationem cum peccato contrahi nouam irregularitatem, quia quoties multiplicatur culpa, ob quā iure ipso imponitur irregularitas, multiplicatur ipsa.

Secundò principaliter dicendum est, extra casum rebaptizationis, si baptismus suscipiatur à ministro catholico, non incurritur irregularitas per susceptionem baptismi cum peccato, quia nulla est lex imponens talem irregularitatem.

Sed oportet explicare, an hoc sit verum etiam in suscipiente fictè baptismum.

Et hunc manere irregularem, affirmat Maiolus lib.3.cap.7. sed non adducit ius aliquod, & ideo audiendus non est.

Alij dicunt manere irregularem, qui differt susceptionem baptismi usque ad articulum mortis, quia ita habetur in Concilio Neocæsariensi capite 12. & habetur capit.1. disputat.57. & confirmari potest ex Leone Papa epistola ad Fabium apud Euseb. libro 6. historiæ capite 32. & hunc casum admittunt Antoninus 3. parte titulo 18 capite 6. §. 2. Angelus verbo irregularitas numero 55. Syluest. quæstione 21. Pater Suarez disp. 42. sect.1. Suarez.

Additur verò in eodem capite hunc in duobus casibus posse ordinari. Primò, si purgauerit suspicionem per ostensionem fidei, & religionis. Secundò, si necessitas ministrorum urgeat.

Restat explicandū, an in his casibus requiratur dispensatio. Aliqui indicant non esse necessariā, alij requirunt dispēsationem Summi Pontificis. Ita Maiolus supra cap.8. sed contra hoc videtur, quòd non apparet limitatio eius capitis alicuius momenti, & ideo Angelus, Syluest. & Anton. dicunt sufficere dispensationem Episcopi, & sequitur P. Suarez supra num.6. Suarez.

Sed hoc videtur libere dictum, & sine idoneo fundamento: vnde probabile videtur non esse necessariam dispensationem, vt Glossa in illud caput significat. Docet autem Toletus capite citato in fine, hanc irregularitatem non esse in vsu. Toletus.

Alius casus ponitur, si quis in loco, vbi peregrinatur, & est incognitus, baptizetur, de quo extat Canon 24. Concilij Eliberitani, & apud Gratianum, capite, Omnes 97. dist. omnes qui peregrè; seu in peregrinatione fuerit baptizatus, eo quòd eorum minimè sit cognita vita, placuit ad Clerum non esse promouendos in aliis prouinciis. Circa quem textum Pater Suarez supra numero 9. notat primò hanc irregularitatem non induci ob baptismum; sed ob mores incognitos eius, qui ordinandus est, quod fusius explicant. Suarez.

Alius casus est, quando dubium est de aliquo, an sit baptizatus: nam stante illo dubio, non est ordinandus: sumitur ex capite, Placuit, de consecratione distin.4. docet autem P. Suarez supra numero 10. hanc irregularitatem non esse iure latam, sed esse impedimentum ex iure naturali, quia stante tali dubio non debet quis exponere se periculo faciendi irritum sacramentum Ordinis. Quale verò debeat esse hoc dubium, petendum est ex communi doctrina de conscientia dubia.

Alius casus est de his, qui baptizantur ab hæreticis, hoc enim ipso sunt impediti ad recipiendum ordines, vt colligitur ex capite, Ventum est, 1. quæst. 1. & cap. Qui in quolibet 1. quæst.7. Circa causam huius irregularitatis potest legi P. Suarez supra sect.1. Suarez.

DVBIVM II.

An per indebitam susceptionem alterius sacramenti incurratur irregularitas.

De Sacramento Ordinis speciatim dicemus infra, de aliis verò dicendū est

est per nullius sacramenti susceptionem indebitam incurri irregularitatem. Ratio huius ea est, quòd in iure nulla sit lata talis irregularitas.

Sed oportet exactiùs rem explicare, & videndum est, an per iteratam receptionem sacramenti Confirmationis incurratur irregularitas.

Prima opinio est affirmantium; quam sequitur Nauarrus capite 27. numero 247. Maiolus libro 3. de irregularitate capite 15. qui plures refert, & dicit esse communem Canonistarum cum Glossa in caput, Dictum est, de consecratione, dist. 5.

Suarez. Sed contrariam sententiam docuit P. Suarez tomo 3. in 3. parte, disputat. 38. sect. 1. cum Soto, Couarrubias, & multis aliis, & tomo de censuris disp. 42. sectione 2. numero 2. quia nullo iure lata est talis irregularitas.

Suarez. Circa sacramentum Eucharistiæ bene docuit Pater Suarez sect. 2. citata, ob solā repetitam susceptionem, etiam indignā, non incurri irregularitatem. Licèt quando minister est qui suscipit, ob ministerium sit adiuncta irregularitas in aliquo casu, vt constabit ex dicendis; &

Suarez. legi potest Pater Suarez supra sectione 4.

Circa sacramentum Pœnitentiæ certum est ob illius repetitionem non incurri irregularitatem; sed scire oportet eos, qui olim faciebant pœnitentiam publicam, & solemnem, non posse tempore pœnitentiæ suscipere ordines, capite, Ex pœnitentibus distinctione 50. de qua irregularitate multa docet Maiolus lib. 3. de irreg. cap. 2. & 3.

Suarez. Circa quod bene P. Suarez notat aliam esse publicam, aliam solemnem pœnitentiam, vt explicat Bellarminus tomo 2. lib. 1. de pœnitentia capite 21. & cap. 22. & docet per solam pœnitentiam solemnem incurri irregularitatem. Legatur P. Suarez loco citato à num. 3.

Deinde pro indigna receptione, aut repetitione sacramenti Extremæ vnctionis non est lata irregularitas.

Circa Matrimonij sacramentum certum est per indignam susceptionem non incurri irregularitatem: quomodo verò per secundas nuptias contrahatur talis irregularitas, constabit ex dicendis infra de irregularitate in specie.

DVBIVM III.

An per illegitimam ordinis susceptionem incurratur irregularitas.

MVlti casus referuntur à Doctoribus, in quibus incurritur irregularitas propter indebitum modum suscipiendi ordinem.

Vnus est, quando quis suscipit ordines ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatum, quantum ad locum, & dignitatem, iuxta caput vnicum de Episcopo, qui renunciauit, &c.

Secundus est, quando quis ordinatur ante legitimam ætatem. Tertius, quando quis ordinatur ab Episcopo alieno, sine licentia proprij. Quartò, quando quis recipit ordines extra tempora, sine dispensatione. Quintus, quando ordinatur non seruatis temporis interstitiis. Sextus, quando quis ordinatur per saltum: de quibus diximus in materia de suspensione.

Alius casus est de eo, qui ligatus censura suscipit ordinem; sed hic potiùs incurrit suspensionem, quàm irregularitatem, vt bene notauit P. Suarez disp. 42. sect. 3. num. 2.

Sed est peculiaris casus de eo, qui habens irregularitatem ordinem suscipit: hanc enim nouam aliam irregularitatem incurrere sentiunt nonnulli in caput, Apostolicæ dist. 56. & sequitur Maiolus libro 4. cap. 33.

Sed P. Suarez loco citato ait non incurri nouam irregularitatem, quia talis imponitur ei, qui censura ligatus suscipit ordines: irregularitas verò non est censura, vt supra diximus.

Deinde quæri solet, quid sit dicendum de ordinato ab Episcopo excommunicato, vel suspenso: & dicendum est non incurrere propriè irregularitatem, sed suspensionem ab executione ordinis, vt docet Pater Suarez sect. citat. numero 4. vbi docet idem esse de eo, qui ordinatur ab Episcopo irregulari, quia ius disponit generatim, vt qui non

non habet vsum ordinis, non possit illum conferre.

Alius casus est, quando quis furtiuè ordinatur; dicitur verò furtiuè ordinari, qui non examinatus neque admissus suscipit ordines; vel quando fecit, vt alius examinetur, & ipse loco illius & nomine suscipit ordines: & hæc irregularitas colligitur ex cap. 1. de eo qui furtiue ordinatur; dispensatio verò huius irregularitatis cõmittitur Episcopo cap. 1. & vltimo titulo citato cum duplici conditione: prima, vt non fuerit denuntiatus ab Episcopo, vel Archidiacono, vel alio ministro mandante, vt nullus se furtiuè ingerat sub pęna excommunicationis ipso facto incurrendæ: in hoc enim casu non potest Episcopus dispensare, nisi aut religionem ingrediatur, aut faciat ibi condignam pęnitentiam, quæ est prima conditio.

Alius casus solet referri de eo, qui iterum suscipit eundem ordinem: ita sensit Anton. 3. p. titulo 28. cap. 6. §. 3. Nauarrus in summa cap. 27. num. 247. Maiolus lib. 3. de irregularitate cap. 15 & solet hęc irregularitas colligi ex cap 1 dist. 68. vbi nihil dicitur de irregularitate. Citatur etiam textus in capite, Saluberrimum 1. quæstione 7. Sed ibi non agitur de clericis, qui iterum sunt ordinati, sed de his qui ab heresi reuertuntur.

Et ideo contrariam sententiam putat veram P. Suarez sectione 3. citat. num. 6. quam tradiderat Scotus 4. dist. 7. quæst. 5. Palud. ibi Gabriel, & alij: quos refert, & sequitur Couarrub. Clement. si furiosus in prin. num. 8. vbi licèt loquatur de Sacramẽto Ordinis, eadẽ ratio debet esse, quia in iure non est expressa talis irregularitas.

Alius casus assignatur, quando quis existens in peccato mortali publico suscipit ordines: ita Maiolus libro 5. capite 1. & alij; sed non habetur expresse in iure, vt bene explicat Pater Suarez supra num. 7.

Alius casus refertur quando quis ordinatur ab Episcopo non baptizato, vel nõ consecrato: ita Maiolus lib. 4. cap. 27. & 28. & 29. sed nullum citat ius, & ideo cõtrarium est verum: item assignatur casus, quando clericus ab Episcopo omnino illiterato ordinatur: ita Maiolus lib. 4. ca. 31. sed nullum est ius positiuum, quod indicet hanc irregularitatem: iure verò naturali non est tale impedimentum aliquod.

Item dicitur irregularis qui ordinatur ab Episcopo idiomatis diuersi, verbi gratia, si Latinus ordinetur à Gręco, vel Gręcus à Latino. Ita Maiolus lib. lib. 4. cap. 32. & probat ex cap. Cum secundum; & capite, Ex parte, de temporibus ordinãd. sed in priori cap. id prohibetur, sed talis pęna non imponitur in alio cap. nec est sermo de hac materia.

Vlterius dicitur irregularis, qui ordinaretur à duobus Episcopis, vno proferente formã, & alio ministrante materiã. Ita Maiolus supra cap. 3. quod refutat P. Suarez supra: quia si hæc diuersitas sit in substãtialibus, Sacramentum est nullum: si verò in accidentalibus, est lata irregularitas.

DVBIVM IIII.

An per indignam ordinis vsurpationem incurratur irregularitas.

Sensus est de administratione ordinis, quem quis non habet.

Et dicendum est incurrere irregularitatem eum, qui ministrat in ordine, quem non habet. Ita colligitur ex capite 1. & 2. de clerico non ordinato ministrante.

Difficultas verò est, an maneat suspensus non solùm ab executione eius ordinis, quem vsurpat, sed etiam ab aliis priùs susceptis: in quo variæ possunt esse opiniones contrariæ: & P. Suarez supra disputatione 4 dicit esse probabiles, sed sibi probabilius videtur quòd solùm maneat suspensus quantum ad executionem ordinis vsurpati, quod cap. 2. citato indicatur. Notandum verò est in citatis capitibus esse sermonem de eo qui ministrauit in ordine superiori, quem nondum suscepit. Suarez.

Item notandum est, ad hanc irregularitatem duo esse necessaria: alterum, vt ordo reuera non sit susceptus, vel quia omnino non est susceptus, vel quia solùm exterius putatur susceptus, sed non est; licèt in secundo hoc casu posset igno

rantia

rantia excusare;ob solum verò defectum accidentalis ceremoniæ non videtur lata irregularitas:allegatur P.Suarez supra numero 12.

Alterum est ministerium aliquod eius ordinis vsurpari, circa quod notandum est non sufficere ministerium, quod per laicos exerceri potest, vt bene Pater Suarez supra numero 14 nam capita loquuntur de ministerio proprio ordinis sacri. Suarez.

Difficultas verò est,an sufficiat vsurpare actum ordinis minoris:affirmat Pater Suarez supra numero 15. & probat ex capite 1. de clerico non ordinato ministrante, vbi dicitur:Si aliquod diuinum officium exercuerit, & tamen officia minorum ordinum sunt diuina Officia.

Contrarium docuit Syluester verbo irregularitas quæstione 12.& Angelus verbo irregularitas numero 36. & est probabile,& tutum:quia caput citatum potest explicari de Officio diuino ordinis sacri.

Item necessariū est, vt ministeriū fiat cū peccato,quia irregularitas hęc imponitur tanquam pęna.Item requiritur, vt actus serio,& non ioci causa fiat,vt Doctores communiter sentiunt.

Dubitant verò aliqui,an sufficiat actus externus sine intentione faciendi talem actum verum,de quo legi potest P. Suarez supra à num 17.& dicendum est sufficere talem actum, quia si seriò fiat, verè est voluntas illud faciendi:vnde vix potest intelligi quid operetur voluntas non faciendi verum actum, quando ille nō est Sacramentum & idem habet locum in ministratione Sacramenti,quia non ordinatus non potest verum facere sacramentum:ergo non est necessarius animus faciendi verum sacramentum. Ponunt authores eum,qui sic operatur,esse capacem irregularitatis:aliàs non incurret illam.

DVBIVM V.

Quando per indignam administrationem sacramenti incurratur irregularitas.

IN Hac quæstione dicendum est primò,quando clericus ligatus censura exercet actū ordinis,Verbi gratia, si est excommunicatus, vt constat ex dictis de censuris in specie,& legi potest P.Suarez disp 42.sect.6.

Secundò dicendum est, per indignam administrationem ordinis non incurri irregularitatem, quando non est administratio contra censuram Pater Suarez supra.

Sed Maiolus lib.3.cap.18.assignat aliquos casus,qui videntur contra hanc secundam conclusionem,de quibus agit P. Suarez disp.42.sect.5.

Primus est,quando quis exercet ordinē contra præceptum sui superioris,etiam si sit nullum, si sit notoriè,& publicè impositum:quod solùm probat ex quibusdam Summistis.

Sed nulla talis irregularitas habetur in iure, & ideo non est audiendus Maiolus.

Secundus casus,quando prohibitio posita est sub pœna excommunicationis ipso facto,cùm non sit hoc in iure expressum,non est admittenda sententia Maioli,vt bene P.Suarez supra:& certè in prædicto euentu ille non violat censuram, sed violat præceptum, & contrahit censuram.

Tertium casum assignat de eo,qui propter delictum suspendendus est secundum iura; si enim celebret ante quàm suspendatur, dicitur manere irregularis.

Verùm si illa prohibitio non est censura,non incurritur irregularitas per violationem pręcepti,neque oppositum probatur iure aliquo expresso.

Quartus casus est de sacerdote faciente sacrum sine altari consecrato ab Episcopo:nam capite,Nullus Presbyt.1.& 2. de consecratione dis.1 vbi talis clericus degradari pręcipitur;sed in illis capitibus non imponitur ipso facto depositio, sed ferenda est,& ideo non colligitur ex illis irregularitas ob prædictum delictum.

Quintus casus assignatur ab eodem Maiolo de sacerdote,qui hominem excommunicatum admittit ad Ecclesiasticam sepulturam, & probat ex Clement. 1.de censuris; sed ibi ille sacerdos excommunicatur;de irregularitate verò nihil fit.

Sextus casus assignatur ab eodem autor

thores lib. 3. cap. 25. num 6. vbi docet sacerdotem incurrere irregularitatem, qui pro persona viuenti missam defunctorũ dicit: nã in Concilio Toletano 17. c. 5. sacerdos hoc faciens à proprio gradu deponitur, verba autem Concilij sunt: *A proprio deponatur gradu*, quæ verba sententiam continent ferendam, non latam: & ideo, vt docuit P. Suarez supra sectione vltima casu sexto non continet irregularitatem.

Septimus casus, in quo dicitur fieri irregularis, qui celebrat prætermisso toto ritu Ecclesiæ in celebrando, & sacrificando. Ita Maiolus libro 3. capite 26. numero 5. qui nullum ius affert. Sed meritò Suarez P. Suarez docet nõ esse irregularem, quia non habetur talis irregularitas in iure.

Octauo dicitur irregularis Episcopus, qui male vtitur potestate sua in conferẽdo ordines. Sed hoc etiam non probatur certo iure, & ideo non est audiendus Maiolus lib. 4. cap. 1. num. 10.

Vltimò solet referri irregularitas ex capite, Licet, de electione, vbi Cardinalis electus in Papam, id est à paucioribus, quàm à duabus partibus, cum illis videtur fieri irregularis, illis verbis. Et totius sacri ordinis priuatione mulctetur. Ita Maiolus lib 4. de irregularitate cap. 1. Suarez num. 5. sed vt vidit P. Suarez, hæc verba non significant pœnam iure latam sed ferendam, & ideo depositionem faciendam potius quàm irregularitatem significet.

DISPVTATIO LXII.

De irregularitate ex aliis delictis distinctis ab homicidio.

De Irregularitate dictã ex homicidio voluntario infra dicemus; nunc de aliis delictis erit sermo.

DVBIVM PRIMVM.

An per crimen hæresis incurratur irregularitas.

Communis sensus Doctorum est ob crimen hæresis incurri irregularitatem, vt neque perseuerante hæresi, neque post detestationem illius possit ordinari absque dispensatione ille, qui in hoc crimen incidit. Ita tenet Maiolus lib. 5. cap. 46 Peña in directorio Inquisitorum 3. parte com. 162. ad quæstionem 113. Syluester verbo irregularitas quæst. 5. & probatur ex capite, Saluberrimum 1. quæst. 7. & ex 7. Synodo canon. Conuenientibus, eadem causa, & quæstione: in quibus locis non fit mentio laicorum; nihilominus eius Doctores intelligunt etiam de laicis: & hoc sensu videtur consuetudine introducta hæc irregularitas, quam videtur supponere Clemens VII. in quadam Bulla, quæ refertur in Directorio Inquisitorum, & incipit, Cùm sicut, vbi Pontifex cõcedit Inquisitoribus potestatẽ dispensandi in hac irregularitate, de qua infra.

Dubitant verò aliqui, an incurrat hanc irregularitatem hæreticus occultus externus: & primò videtur, quòd ius non obligat cum tãta seueritate. Secundò, quia non videtur hæc irregularitas pœna delicti, sed imposita ad vitandum scandalum aliorum: quod cessat quando est crimen occultum. Sed hęc leuioris momẽti sunt, & absolutè dicendum est, talem hæreticũ incurrere hanc irregularitatem, quia imposita est, vt pœna criminis externi, nec que iura requirunt crimen publicum: & ita sensit P. Suarez disput. 41. sectione 1. & videtur supponere Clem. VIII. const. citata. Suarez

Deinde vocatur in quæstionem à Doctoribus, an in hac irregularitate aliquis præter Summum Pontificem possit dispensare. Et communis sententia negat, vt Suarez cum aliis Doctoribus docet P. Suarez supra numero 5. & Peña supra refert Pium V. prohibuisse, ne Inquisitores ab hac irregularitate absoluerent, vel ne in ea dispensent, & per hoc putat reuocatam facultatem Clementis Septimi.

Addit P. Suarez num. 6. quantum ad ordinis suscepti vsum non videri reseruatam dispensationem Pontifici: probat, quia iura citata docent clericum ex hęre si conuersum posse recipi in ordine, quem prius habebat. Hoc verò non videtur ita intelligendum, vt possit recipi ex dispẽsatione Pontificis, quia per dispensationem Pontificis etiam posset promoueri ad alium ordinem: ergo videtur intelligendum

gendum posse recipi ex ordinaria potesta te Episcopi, neque apparet nouum ius, quo hæc facultas sit ablata Episcopis. Et vlterius Pius Quintus supra relatus à Peña videtur supponere generalem Inquisitorem habere hanc potestatem, & limitat eam quantum ad vsum sacerdotij in sacrificio altaris.

Item inquiri potest, an quando irregularitas orta est ex delicto occulto, Episcopus possit in ea dispensare, iuxta Concilium Tridentinum sessione 24. cap. 6. de reformatione.

Maiolus libro quinto capite 46. num. 6. absolutè negat ex illo decreto colligi hanc potestatem.

Alij verò affirmant, quod videtur sequi Vualdus tractatu de irregularitate num. 80. & 89. licèt nō videatur in hac quęstione permanere.

Suarez. Pater Suarez supra numero 7. docet primò, quòd si ius Concilij Tridentini perseuerat, talis facultas ex illo colligitur, quòd concessio est generalis; addit posse esse quæstionem, an tale ius perseueret, vel sit reuocatum per Bullam Cenæ, sicut facultas absoluendi ab hæresi, de qua in materia de excommunicatione. Et licèt hęc facultas dispensandi in irregularitate ista non videatur expresse reuocata, tamen dici potest, inquit Pater Suarez, reuocata consequenter argumento textus capite, Cùm illorum, de sententia excommunic. vbi generatim dicitur Episcopus non habere dispensandi facultatem in illis casibus, in quibus absolutio est ipsis Episcopis interdicta, & assignatur ibi ratio, cùm maiora illis intelligantur prohibita, quibus vetita sunt minora: & propter hanc rationem putat P. Suarez supra sectione 1 in fine huius irregularitatis dispensationem esse reseruatam Summo Pontifici.

DVBIVM II.

Quas personas comprehendat irregularitas, quæ ob crimen hæresis imponitur.

ANTE Omnia ponendum est, in hac materia nomine hæretici comprehendi etiam apostatam, qui habet hæresim aliquam, licèt dicatur apostata, quia recessit omnino à fide vera, & conuersus est ad falsam religionem, vt notauit Pater Suarez sect. 2. in principio.

Difficultas verò est, an si aliquis solùm exteriùs fiat apostata ob aliquam vtilitatem, & interiùs retineat veram fidem, incidat in hanc irregularitatem.

Et Pater Suarez sectione 2. refert aliquos affirmantes illam incurrere, & dicentes contrarium esse errorem Helchesitarum.

Sed isti non distinguunt culpam ab irregularitate, & nos agimus de irregularitate, & non de culpa: prædicti verò hæretici negabant esse peccatum negare Christum in tormentis, quæ est hæresis manifesta, de qua in materia de fide.

Quòd verò propter hoc peccatum incurratur irregularitas, vel non, vocatur in quæstionem: & Pater Suarez iudicat probabilius propter tale peccatum incurri irregularitatem, & probari solet ex can. 61. Apost. sed in eo solùm est sermo de clericis, & non imponitur pœna ipso iure. Sed de clerico negante Christum ob timorem dicitur, Reijciatur, scilicet, ab Ecclesia.

Deinde colligitur hæc irregularitas à multis ex capite 1. 2. & sequentibus Cōcilij Niceni, habetur capite, Presbyter, distinctione 5. vbi dicitur, eos qui ex timore immolauerint idolis, non posse ad sacrum ministerium accedere; & licèt de laicis dicatur, quòd possunt promoueri quando ex absoluta coactione id fecerūt, tamen manifestè supponitur non posse quando cum peccato id commiserunt: & ita sensit Syluester irregularitas numero 7.

De dispensatione verò huius irregularitatis dicitur in eodem capite, presbyteros, cum presbyteris dispensari posse, vt honorem sedis propriæ retineant, non verò vt in officio sacerdotali ministrent, aut offerant, aut sermonem ad populum habeant: similiter de Diaconis dicitur post conuersionem posse habere aliquem honorem, nōn tamen ministerium sui officij, & additur, Nisi fortè aliqui eorum Episcoporum conscij sint laboris, & humilitatis, & mansuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere, vel adimere, penes ipsos, ergo erit de eis potestas

potestas : de inferioribus verò clericis nihil dicitur, sed idem est intelligendum, vt docuit Pater Suarez supra numero 3. Et hæc quidem de his, qui ob timorem lapsi fuerunt: nam de aliis dicitur in eodem capite, indignos esse humanitate, eis tamen beneuolentiam commodari. Quę vlti ma verba ita explicat Glossa, vt dicat dãdam illis esse sustentationem.

Sed vltima pars eius textus desumpta est ex Concilio Niceno 1. cap. 11. vbi grauis pœnitentia illis lapsis imponitur, & post longum tempus ad communionem admittuntur : & hæc est benignitas, & beneuolentia, quæ illis commodatur.

Addendum est falli Syluestrum, & Angelum dicentes, posse Episcopum cum laico lapso ex timore dispensare : sed errant, quia ibi non conceditur Episcopo potestas dispensandi quantum ad promotionem ad ordines; cum laico autem non potest dispensari, quia sit dispensatio ad promotionem. Fallitur etiam Maiolus, dum ait cum laico facilius posse Episcopum dispensare.

Deinde sciendum est, Doctores communiter sub hac irregularitate comprehendere etiam fautores hæreticorum, receptatores, & auxilium eis dantes, vt Suarez. supra notauit P. Suarez §. tertio potest extendi, licèt ex iure non omnino aperte colligatur.

Addit Maiolus supra etiam esse irregularē qui sacramētum præbet hæretico: sed vt bene vidit P. Suarez n. 5. ex vi illius textus non incurritur irregularitas propter talem actum: de schismaticis dubitat P. Suarez num. 7. & etiam docet eos qui sunt hæretici, eam irregularitatem incurrere ; non tamen eos, qui non habent hæresim, sed solùm peccant, quia nolunt obedire Pontifici: nam de his non est ius aliquod expressum.

Deinde suspectos de heresi incurrere hanc irregularitatem, docet P. Suarez cũ aliis num. 8. Et videtur colligi ex cap. finali dist. 30. & capite, Inter solicitudines, de purgatione canonica: legatur P. Suarez vbi proximè.

Sed restat explicandum, an hec irregularitas extendatur ad hereticorum filios, & ad neophytos in fide.

Circa primũ de filiis est expressa iuris dispositio cap. 2. §. heretici de hereticis in sexto, vsque ad secundam generationem. Circa quã doctrinam aliqua notanda sunt. Vnum est, non esse hoc intelligẽdum, quãdo patres verè conuersi sunt ad fidem ante mortem: vt bene notauit P. Suarez Suarez. supra sect. 3. Deinde intelligitur de omnibus filiis siue legitimis, siue illegitimis, quia ius absolutè, & sine distinctione loquitur.

An verò intelligenda sit hæc pœna de filiis natis ante crimen patris, vel solùm de filiis natis post crimen, communis quęstio est, de qua Doctores agentes de pœnis hæreticorum. De hoc verò in specie agens P. Suarez supra vult de omnibus intelligendam esse, eoquòd ius absolutè loquitur; sed in eo iudicio in hac pęna, sicut in aliis, potest quis philosophari de filiis istis hæreticorum.

Deinde quæstio est, an sit intelligenda hæc pœna de filiis eorum, qui licèt conuertantur ante mortem ; tamen quia relapsi sunt, traduntur brachio seculari, vt subiectis flammis cõburantur. Et sunt variæ sententię, quas refert Peña directorio Inquisitorum 3. parte ad questionem 114. & 115. Pater Suarez supra numero 3. Et communior sententia est, horum hæreticorum filios comprehendi, & vt veriorem sequitur P. Suarez supra numero 4. quod iuri videtur magis consentaneum. Suarez.

Item neohytos esse irregulares, docet cum communi sententia P. Suarez supra n. 5. estque communis sententia, & habet vsus: dicitur verò neophytus qui in ætate adulta suscepit baptismum.

DVBIVM III.

De irregularitate ob simoniam, vel alia peccata contra religionem.

NOn intendimus in hoc dubio agere de peccato homicidij, de quo dicendũ est disputatione sequenti: & generatim de pęnis simoniaci criminis dixi 2. 2. ad quęstionem 100. in fine.

Et primò explicandum in præsenti est, an ob crimen simonię incurratur irregularitas. Et aliqui affirmant, siue fiat simo-

simonia in beneficiis, siue in ordinibus sacris.

Suarez. Sed Pater Suarez supra sectione 4. numero 3. contrarium docet, quia nullum est ius expressum, ex quo colligatur irregularitas propter hoc vitium simoniæ.

Item fallitur Maiolus supra, dum ait eũ esse irregularem, qui suscipit ordines, vel beneficium per simoniam, etiamsi ipse ignoret illam: fallitur autem, quia nullum est ius, quod disponat hanc irregularitatem, vt bene vidit P. Suarez supra num. 4. in fine.

De nomine circa peccatum sacrilegij Maiolus libro 5. capite 3. docet propter crimen sacrilegij incurri irregularitatem, quod speciatim, & fuse explicat.

Et primò dicitur incurri hæc pœna propter crimen vendendi res sacras, & videtur colligi ex capite, Si quis Presbyter, aut Diaconus, dist. 50. Sed expositores cõmuniter textum intelligũt de quadam remotione, quia talis clericus debet remoueri ab administratione rerum Ecclesiasticarum, vel de depositione ab ordine, si tali pœna dignus fuerit.

Deinde numeratur sacrilegium turpis concubinij cum moniali, aut sacra virgine, ex capite, si quis Episcopus 27. quæstione 1. Sed ex textu manifeste constat illam pœnam non esse iure ipso latam, sed ab homine imponendam, & ita non esse irregularitatem: & idem iudicium esse de

Suarez. bet de aliis, quæ citatus author adducit, quem meritò refutat P. Suarez supra sectione 4. art. 5. & bene ostendit propter blasphemiam non esse in iure impositam irregularitatem.

Solùm restat explicandum, an propter alia crimina distincta ab homicidio, vel propter perseuerantiam in illis, sit imposita irregularitas: de quo P. Suarez sect. 5. & primò propter crimen distinctum à supra dictis, & ab homicidio, de quo infra, nulla incurritur irregularitas, quia non habetur in iure expressa.

Secundò idem dicendum est de statu peccati, nempe, quòd quando non habet annexam irregularitatem, si fiat, non habeat illam ob perseuerantiam, formaliter loquendo, quia non est talis irregularitas in iure: quod est semper obseruandum. An verò ob infamiam incurratur irregularitas, constabit ex dicendis.

Tandem sciendum est, Maiolum libro quinto fere per quadraginta capita, referre multa peccata, propter quæ dicit incurri irregularitatem: de nullo id satis probat, exceptis iis, de quibus diximus, & homicidio, de quo infra dicemus.

DISPVTATIO LXIII.

De irregularitate propter homicidium voluntarium.

DVBIVM PRIMVM:

Quæ voluntas in præsenti sit necessaria, vt homicidium dicatur voluntarium.

CERTVM Est propter homicidium voluntarium impositam esse in iure irregularitatem distinctione 50. & titulo de homicidio per multa capita. Sed in hac disputatione intendimus explicare, quod voluntarium requiratur ad homicidium, quod dicitur voluntarium, & distinguitur à casuali, vt Doctores.

Vocant verò aliqui in quæstionem, an sit necessaria voluntas expressa.

Et Couarrubias relectione de homicidio parte 2. in principio, sensit non esse necessariam expressam voluntatem, sed sufficere, si quis directè intendat vulnus iniuriosum inferre, licèt expresse non intendat vulnus mortiferum, si tamen de facto illatum est vulnus mortiferum.

Alii verò hęc opinio non placet, quia homicidium voluntarium, vt differt à casuali, sicut debet esse directè volũtarium, ita expresse, aliàs non est perfecte voluntarium.

Pater Suarez disputatione 44. de censuris sectione 1. docet primò, illud solum dici in hac materia voluntarium, quod ex proposito occidendi fit: quod potest colligi Suarez.

colligi ex sess. 14. Concilij Trid. c. 7. de reformatione, illis verbis: Qui sua voluntate homicidium perpetrauerit. Et infra: Si verò homicidium non ex proposito, sed casu. Suarez.

Secundò docet, necessariam esse voluntatem directam, & expressam: quod ex dicto loco Concilij videtur colligi.

Ex qua doctrina infertur, voluntatem percutiendi cum proposito non occidendi, non esse voluntatem sufficientem ad homicidium voluntarium, de quo hic loquimur: quod obseruandum est pro foro interiori; in foro autem exteriori idē erit meo iudicio, si veritas constet: in dubio tamen præsumendum est contra occidentem, vt docet Anton. Gomez 3. variarum cap. 3. num. 15.

In hac materia mihi placet primò, esse necessariam voluntatem directam, vt Vazquez. docuit Pater Vazquez prima secundæ ad quæstionem 73. in articulum octauum, dubitatione prima circa textum in fine, vbi etiam docet non sufficere voluntarium in causa: quod mihi placet, vt ex dicendis de homicidio casuali constabit: & ideo secundo existimo de mente Patris Vaz- Vazquez. quez necessariam esse voluntatem expressam, aliàs esset solùm in alio, vt in causa, legatur prima secundę dist. 24. cap. 1. num. 2.

Ad maiorem explicationem sciendum est, posse in homine considerari triplicem voluntatem, vna est expressa occidendi; & hæc sine dubio sufficit, si alia adsint. Secunda est expressa non occidendi, sed vulnerandi tantùm; & hæc non videtur sufficere, vt dicatur voluntarium homicidium per se, vt distinctum à casuali. Tertia potest esse voluntas vulnerandi expresse, nulla præmissa cogitatione de occisione: & hæc etiam voluntas non videtur sufficere, vt in hac materia dicatur homicidium voluntarium: quod videtur colligi ex Concilio Tridentino supra.

(.§.)

DVBIVM II.

An ad hanc irregularitatem necessarius sit effectus mortis re ipsa sequutus.

CERTVM Est, ob solam voluntatem occidendi non incurri irregularitatem, vt cum aliis Doctoribus docet Pater Suarez disputatione citata sectione 2. Pater Vazquez tractatu manuscripto de irregularitate § 1. de homicidio voluntario, quia ius requirit homicidium, & obseruanda est doctrina tradita libro primo de censuris. Vazquez.

Sed referuntur aliqui existimantes incurri irregularitatem, quando quis fecit quod potuit ad occidendum, etiamsi homicidium non fuerit sequutum. Ita Glossa in caput, Perniciose, de pœnitentia distinctione 1. & probat ex capire, Si cui, eadem distinctione, quod est Aug. vbi docet, eum qui tentauit facere adulterium, non minus esse reum, quàm si in ipso deprehenderetur. Idem videtur sensisse Hugo in caput, Si quis distinctione 51. Speculator titulo de dispensatione §. iuxta, versiculo, *Sed quid de iudice*, Maiolus libro 5. capite 48. qui loquitur de actione ordinata ad occidendum, licèt non sortiatur effectum. Et ratio est, quia in atrocissimis delictis tentatio mereretur eandem pœnam, etsi non habeat effectū. Lege diues ff. de sicariis, In maleficiis volūtas expectatur, nō exitus. Et generatim de omnibus atrocibus delictis id docuit Baldus in legem, Si fugitiui, C. de seruis fugitiuis: ergo in hoc casu incurritur pęna homicidij.

Sed contrária sententia communis est iuxta doctrinam à nobis traditam libro 1. quia pœna, quæ imponitur ob aliquem actum externum, non incurritur, nisi fiat talis actus, vt prohibetur à lege: ergo quidquid aliud fiat, non erit sufficiens ad incurrendam pœnam illam, quæ pendet à libera voluntate legislatoris: quod fusius explicat Pater Suarez Suarez. supra sectione secunda, qui plures authores citat. Quæ verò adducuntur pro prima opinione, possunt explicari, vel de æqualitate culpæ, vel de dignitate, & merito pœnæ: ad incurrendam verò ordi-

ordinariam pœnam legis, solùm est obseruandum, quæ pœna imposita sit propter hunc, vel illum actum: & ita habet sensus communis Doctorum in hac materia.

DVBIVM III.

Quas personas comprehendat hæc irregularitas.

ANte omnia certum est apud Doctores, homicidam, qui occidit alterum voluntate expressa occiden di, incurrere hanc irregularitatem; habetur titulo de homicidio in Decretalibus, & in Sexto.

Putant verò aliqui, quos refert P. Suarez supra sectione 3. etiam Papam incurrere hanc pœnam, si occidit aliquem: sed est sententia omnino falsa, vt bene P. Suarez, quia hæc pœna est iuris positiui: & ita Papa illam non incurrit, sicut nec que excommunicationem, de qua supra diximus. Suarez.

Item hanc irregularitatem non incurrit homo non baptizatus ob homicidium commissum ante baptismum. Ita Nauarrus in summ. cap. 27. artic. 219. & colligitur ex capite, Si quis viduam dist. 50. ex illis verbis: Si homicidij post baptismum: & quia non est ius, quod velit talem hominem post baptismum constituere irregularem.

Deinde incurrit hanc censuram, qui præbet causam, ex qua sequitur homicidium, vt qui dedit venenum, quia iste verè est homicida.

Difficultas verò potest esse de mandante homicidium, id est, de eo qui alicui iubet, vt occidat alium.

Et certum est incurrere irregularitatem, si homicidium fiat.

Sed oportet explicare caput vltimum de homicidio in sexto, vbi dicitur, Is qui mandat aliquem verberare, licèt expressè iubeat, ne occidatur vllatenus, vel membro aliquo multetur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens multet, vel occidat: hoc verò intelligendum est, quando mandauit vulnus lethale, & ita in causa voluit homicidiū, licèt tale homicidium fit casuale ex mente aliquorum. Legatur Couarrubias relect. in Clement. Si furiosus 2. parte relection. §. 1. & Pater Vazquez 1. 2. quæst. 73. in art. 8. dubit. 1. circa textum. Vazquez.

Pater Suarez disputatione 45. sectione 4. numero 10. putat esse specialem iuris dispositionem circa homicidium casuale, etiamsi adhibita sit omnis diligentia, de qua dicemus disp. 64. dub. 1. Suarez.

Vocant verò Doctores in quæstionem, an mandans incurrat irregularitatem, quando reuocat mandatum, & manifestat reuocationem mandatario.

Refertur sententia aliquorum asserentium incurrere mandantem irregularitatem, quia iam dedit causam mortis.

Sed communis sententia est, non incurrere illam, quam sequitur Pater Suarez disputatione citata sectione 3. numero 7. cum aliis Doctoribus, Nauarrus supra numero 233. & mihi placet, quia in eo euentu mandans non est causa moralis homicidij, quia perfectè retractauit mandatum, & mandatarius illam illico cautionem agnouit: & ita non potest verè moueri ad occisionem ex mandato illius.

Quærunt verò aliqui, an mandator teneatur facere aliam diligetiam præter reuocationem mandati, ad impediendam occasionem occisionis, P. Suarez supra n. 8. docet non esse necessariam, quando nō constat de pertinacia mandatarij; si constet, tenetur mandator saltem ex charitate impedire mortem. Suarez.

Tertiò docet obligari ex iustitia, quia ex iniustitia mandati ortum habuit quòd mandatarius velit occidere alium: ergo mandans ex iustitia tenetur illam mortem impedire, si commodè potest.

Non desunt qui putent non obligari nisi ad reuocationem mandati formaliter, ex eo quòd dedit mādatum; hoc enim modo videtur per reuocationem mandati satisfacere.

Nihilominus mihi placet, prædictum mandatorem obligari non solùm ad reuocationem mādati, sed etiam ad faciendū certiorē illū, cui intulerit iniuriā, vt sciat generatim periculum, quod illi imminet, quia ipse suo mādato in eo periculo consti-

constituit hominem, non tamen est obligādus ad difficiliora media: & ideò P. Suarez meritò docuit obligari ad impediendum homicidium quantùm commodè possit. Cùm autem dicamus obligari ex iustitia, dicendum est, non obligari speciali obligatione charitatis, sed generali inclusa in obligatione non inferendi damnum proximo. *Suarez.*

Difficultas restat, an mandans incurrat irregularitatē, quando tempore, quo dedit mandatum, mandatarius noluit acceptare illud, postea tamen voluit obedire illi mandato, & occidit hominem illum.

In quo possent esse diuersæ opiniones, & aliqui affirmant in hoc euentu mandantē incurrere irregularitatem: quia verè fuit causa mortis illius. Ita sensit Maiolus lib. 5. cap. 48 §. 2. & aliqui recentiores, & mihi placet.

Specialis difficultas potest esse de eo, qui ratum habuit homicidium factum, an incurrat irregularitatē. Nauarrus in sum. cap. 27. nu. 233. & alii Iurisperiti docent, quòd si nomine ipsius, qui posteà ratum habuit, homicidium fiat, ille incurret irregularitatem, secus si non fiat eius nomine.

Sed contrarium docet Couarrubias, suprà dicen., absolutè non incurrere irregularitatem ob solam ratihabitionem, & sequitur P. Vazquez codice manuscripto de irregularitate: quia ille per solam ratihabitionem subsequentem non potuit esse causa præcedentis homicidij, vt constat, ergo non incurrit irregularitatem. *Vazquez.*

Sed dices secundum regulam iuris: *Ratihabitio mandato comparatur.* Respondēt Couarrubias, & P. Vazquez supra, hanc regulam intelligi ad alios iuris effectus, non tamen ad incurrendam hanc pœnam, quæ solùm imponitur ijs, qui sunt causa homicidij: ille verò, qui solùm ratum habet factum, non est causa facti illius. Et ex his potest quis iudicare de his, quæ docet P. Suarez sectione 3. à num. 2.

De causa consulenti dicemus dubio sequenti.

DVBIVM IIII.

An causa consulens incurrat hanc irregularitatem.

De Consulente homicidium est ius expressum in cap. Perniciosè, de pœnitētia, dist. 1. cap. 2. de clerico pugnante in duello, & alijs locis, quæ iura intelligenda sunt, quādo consilium reuera est causa homicidij, vt cum alijs Doctoribus notauit P. Suarez disp. 44. sect. 3. nu. 10. & constat ex doctrina sæpiùs tradita. De actu, propter quem imponitur censura, vel alia pœna, legatur, Couarrubias in Clem. si furiosus, 2. p. §. 2. num. 1. Nauarrus in sum. cap. 27. art. 234. *Suarez.*

Explicat verò Couarrub. ex consilio incurri irregularitatem, quando consilium fuit causa mortis; vel simpliciter, quia alius non occideret, nisi motus à consulēte; vel saltem non ita cito, vel atroci modo: in hoc enim euentu fuit causa homicidij; secus quādo consilium nihil operatur: quia alter facturus erat homicidium; & eodem modo quantùm ad omnes circunstantias: & sequitur P. Vazquez, & multi alij huius ætatis. P. Suarez num. illo 10. in fine. *Vazquez. Suarez.*

Sed difficultas est in cōsulēte, an incurrat irregularitatem, quando is, cui dedit consilium, occisus est. Quæstio ergo est, an propter tale consilium incurrat hanc irregularitatem. Quæstionis causa est, quia suo consilio exposuit alterum periculo mortis, & mors sequuta est; & ita videtur causa homicidij.

Et aliqui Authores generatim solùm docent homicidā incurrere irregularitatem. Nauarrus, Couarrub. & alij in specie videtur loqui, non solùm quando quis consuluit alicui mortem tertiæ personæ, sed quando is, cui datur consilium, occiditur contendens alium occidere: & hanc partē amplectitur P. Suarez supra num. 18. & probari potest primò, quia iste consulens est homicida. Secundò, quia qui dat consilium alteri, vt se occidat, peccat contra iustitiam: & ita censet ab hac opinione non esse recedēdum, nec speculatiuè, nec practicè.

Sed contrariam sententiam sequuntur viri docti, vt testatur P. Suar. & ratio esse potest, quia iura videntur loqui de consilio homicidij respectu tertiæ personæ.

P. Vazquez 1. 2. q. 71. in articulum octauum, dubitat. 3 circa textum, num 45. docet non esse irregularem, qui suaderet alteri furtum, cui scit esse imponēdam pœnā mortis: quia irregularitas non est imposita propter consilium, quo quis mouet alterum, vt periculo mortis se offerat; sed propter consilium, quo mouet aliquem ad *Vazquez.*

 occi-

occidendum alium, vel se ipsum: non negat autem P. Vazquez, tale consilium posse habere malitiam homicidij; sed docet expressè, consulentem non dici in iure homicidam propriè ad effectum irregularitatis. Noui autem viros doctissimos huius ætatis, qui hanc sententiam vt veram sequuti sunt: alij, qui vt acutã, & probabilem laudarũt, & mihi videtur satis probabilis. Et fauet Hostiens. in sum. cap. ad audientiam, de homicidio, num. 9. qui dicit, mandantem non incurrere irregularitatem, si occidatur mandatarius, quando mandans expressè dixit, vt occideret alium sine suo periculo. Sed solùm incurrere illam, quãdo quis inducit ad aggrediendum temere. Et fauet Castro lib. 2. de lege pœnali, c. 14. dicit enim non incurri irregularitatem, quando aliquis per adulterium fuit occasio, vt maritus adulteræ eã occideret. Idẽ docet Couarrub. in Clem. si furiosus, p. 2. § 4. num. 9. Isti enim Doctores manifestè supponunt, non quamlibet causam homicidij esse irregularitatem.

Ad duo argumenta pro contraria opinione facile est respondere. Ad primum concedimus, illum esse causam homicidij per consilium, non tamen propriè ad effectum irregularitatis. Hoc enim est quod negat P. Vazquez, & deberent probare authores contrariæ opinionis. Ad secundũ respondendum est, falsam continere doctrinam, vt diximus 1. 2. ad quæst. 64. Deinde P. Vazquez supra, expressè concessit incurri irregularitatem ob consiliũ, quo quis consulit alteri, vt se ipsum occidat.

Vna mihi occurrit ratio contra secundã sententiam: nam qui occidit, incurrit irregularitatem, etiamsi homicidium sit casuale, & nõ directè volitum, vt constat ex supradictis, & omnes concedunt: ergo etiã consulens. Negari autem non potest prædictum consilium esse causam mortis, saltem indirectam, & implicitam: & ideò licet in prædicto euentu non sit homicidiũ directè voluntarium, videtur tamen esse casuale: quod intelligendum est, quando potuit præuideri periculum mortis, ita vt saltem in causa sit cognitum, & voluntarium.

Restat difficultas, an consulens incurrat hanc irregularitatem, quando reuocauit consilium, & reuocationem manifestauit ei, cui priùs dederat consilium.

Et conueniunt Doctores, quòd si reuocet consilium, & impediat mortem, non incurratur irregularitas. Item tenetur facere quod potest cõmodè, vt impediat mortem, vt supra dixi de mandante.

Sed sciendum est id, quod referebam 2. 2. ad quæst. 62. disp. 12. dub. 10. tom. 2. vbi notauimus, duobus modis posse aliquem dare consiliũ. Vno, quãdo dixit licitũ esse aliquod belliũ: & si postea dicat re meliùs considerata bellum non esse licitum, iste non obligabitur ad restitutionem ex consilio priùs dato, neque incurret censuram, si qui postulauit consilium, inferat belliũ iniustum, & occidat, quia non mouetur authoritate eius, qui dedit consilium. Altero modo, quando quis non dixit esse licitum, sed esse conueniens honori petentis consilium; tunc etiam, si retractet illud, dicũt aliqui incurrere censuram, si alios occidat motus ex ea ratione: alij verò dicunt in hoc euentu considerandum esse, an qui occidit, moueatur ex prædicta ratione, vt à consulente, vel an eodem modo moueretur, etsi consulens non dedisset consilium.

Iuxta doctrinam traditam philosophandum est de eo, qui præbet auxilium ad homicidium: considerandum enim est, an verè fuerit causa, vel non: de quo P. Suarez supra art. 31.

DVBIVM V.

Quando incurrat hanc irregularitatem causa cooperans.

IN Præsenti materia intendunt Doctores explicare, quando quis incurrat irregularitatem hanc, ex eo quòd cũ aliis cõcurrit ad vulnerandum aliquem, qui ex vulneribus mortuus est. De quo Villadiego tractu de irregularitate, cap. de percussore, Couarrub. in Clem. si furiosus, 2. par. relect. § 2. num. 3. Syluest. & alii Sũmistæ, verbo homicidium, Nauarrus in sum. cap. 27. nu. 223. P. Vazquez codice manuscripto, de irregularitate. Vt verò rem explicent, Couarrub. & Villadiego, aliique nõ nulli assignant varios casus, quibus prædictum homicidium potest contingere.

Primus casus est, qui imponitur à Villadiego, quando plures percusserunt hominẽ, & nulla percussio sola sufficeret ad occidendum; omnes tamen simul fuerunt cau-

causa mortis: & in hoc euentu omnes sunt irregulares, quia omnes sunt causa homicidij.

Secundus proponitur à Couarrubia, quando plures consultò eundem hominem occidunt, ita vt omnes aggressi fuerint, sed reuera vnus tantùm percusit: & tunc dicit Couarrub. P. Vazquez, & alij, quòd sint irregulares. Et ratio est, quia omnes dederint auxilium, vel consilium. Aliam verò causam assignat Couarrub. quã ego non satis intelligo: quam etiam dixit P. Vazquez se non intelligere. *Vazquez.*

Tertius casus est, quando non de industria, sed subitò vnus à pluribus fuerit percussus, sed non lethaliter: ab alio verò lethaliter, & manifestum est, quis lethaliter percusserit: in quo casu Couarrub. P. Vazquez, & alij docent, illum tantùm incurrere irregularitatem, qui mortiferũ vulnus intulit: quod intelligunt, quando leuiter percutientes nullo modo sunt causa percussionis lethalis, vel detinẽdo percussum, vel deijciendo in terram, vt percuteretur: tunc enim etiam isti incurrerent irregularitatem, quia verè fuerunt causa mortis.

Quartus casus est, quando aliquis mortiferum vulnus intulit: alij verò postea aduenientes occiderunt eum, qui iam erat lethaliter percussus.

Aliqui putant, quòd licèt dubium sit, an prius vulnus fuerit lethale; & licèt dubiũ sit, vel certum ab alio superuenienti fuisse hominem occisum, & non à primo vulnerante: tamẽ primum vulnerantem incurrere irregularitatem. Et Villadiego putat hoc esse verum, etiamsi constet, vel dubium sit, an primum vulnus fuerit lethale: & adducitur pro hâc sententia caput significasti. & 2. de homicidio.

Alij verò putant, vt refert Couarrub. priorem non incurrere irregularitatem, quando primus non fuit causa mortis, quia ex eius vulnere, licèt lethali, non fuit sequuta mors.

Vazquez. Et P. Vazquez in codice manuscripto de irregularitate docuit non esse irregularem primum vulnerantem, quoties constat, mortem non fuisse sequutam ex illius vulnere, etiamsi aliàs mortiferũ esset; & probari potest hæc sententia, quia in iure non est ita dispositum: nam in citato capite alia definiuntur. Nullum verò aliud caput est, ex quo constet, primum vulnerantem in casu dicto esse irregularem: quid verò in eo capite definiatur, legenti poterit cõstare. Solùm enim decernitur, quòd si appareat vulnus, priùs lene fuisse, & ab alijs fuisse hominem occisum, nec posterioris vulneris primum fuisse causam, alioquo modo poterit ille prior ministrare, adhibita ad cautelam pœnitentia: ex quo non colligitur fuisse irregularem; aliàs nõ ad cautelam, sed simpliciter fuisset necessaria pœnitentia. Secundò definitur, quòd si non appareat cuius ictu homo ille interierit, tunc prior percutiens habetur vt homicida, quia in eo casu tutius est non celebrare. Vnde benè notauit Couarrubias in prædicto capite nihil definiri pro prima opinione.

Et explicatur, quia in prædicto euentu homo non moritur ex priori vulnere, vt ponimus: ergo percutiens non fuit homicida in effectu, licèt dederit causam.

Dices, iam dedit causam sufficientem: ergo verè est homicida. Respondeo, non satis esse dare causam, nisi ex illa sequatur mors, vt constat in casu, quo post datam causam liberaretur homo à morte, vel nimia diligentia medici, vel alio modo. Idemque iudicium est in nostro dubio, si reuera mors non est sequuta ex primo vulnere.

Quintus casus est, quando aliquis à pluribus est percussus, dubium tamen est à quo sit occisus, vel aggressus à pluribus & vno ictu solùm percussus. Dubium tamẽ est, quis percusserit, an omnes sint irregulares.

Aliquorum sententia est in conscientia illum, qui scit non percussisse lethaliter, non esse irregularem.

Couarrubias censet, hos omnes in casu dubij esse irregulares, & certè quando dubium est, ita vt omnes sint dubij, P. Vazquez amplectitur sententiam à Couarrubia traditam, nempe quòd dubio perseuerante omnes se debent gerere vt irregulares, & ad cautelam petere dispensationem, vt supra diximus ex cap. ad audientiam, de homicidio, quia in hoc casu tutior pars est eligenda: quod determinatur in cap. significasti, el 2. de homicidio. *Vazquez.*

Quòd si aliquis illorum, antequam peteret dispensationem, liberaretur à dubio, & cognosceret se non fuisse causam homicidij, nõ egeret dispẽsatione in foro interno, imo neq; in foro externo, si veritas constaret.

Sed difficultas est, an qui potest impedire homicidium, & non impedit, incurrat hanc irregularitatem.

Nauarrus in sum.cap.27.num.232. docet, quòd si non inferatur mors ad vindicandam iniuriam illatam ei, qui potest impedire, & non impedit, nõ est irregularis. Ita Angelus homicidium 5. in principio, Syluest. homicidium 3. §.1. tertia regula, & §.2. in fine, & §.5. dicto 5. & solet probari, quia licèt iste peccet contra charitatem, non tamen contra iustitiam.

Alij probant, quia talis licèt peccet cõtra iustitiam, tamen non dicitur in iure propriè occisor, neque dicitur propriè dedisse causam homicidij, sed tantùm est per accidens, non apponens prohibens.

Item quia sicut non diceretur excommunicatus, qui ex iustitia tenebatur impedire clerici percussionem, & non impediuit, nisi esset expressum in cap. quantę, de sent.excom; ita non est dicendus ille irregularis. In eo autem capite non excommunicantur omnes, qui non impediunt, sed qui dolo non impediunt percussionem Rectoris Ecclesiæ.

Item quia licèt peccat contra iustitiam non impediens, tamen non debet puniri eadem pœna cum ea, qua punitur ille, qui positiuè operatur. Vnde sicut in iure non dicitur fur, qui nõ impedit furtum: sic etiã nec dicetur homicida, qui nõ impedit homicidium: & ita sensit P. Vazquez manu scripto tractatu de irregularitate.

Addendum est falli Syluestrũ, qui ab hac regula excipit Prælatos, & iudices; putat enim hos in hoc casu incurrere irregularitatẽ: quod refutat P. Vazquez, quia istis non est talis pœna specialiter in iure imposita.

Item sequitur falsò Couarrub. in Clem. si furiosus, 2.p.releꝺ. §.2. num.7. dixisse, quòd saltem in hoc casu illi erant irregulares, qui sunt iure excommunicati ob tale crimen: & idem docuit in sum. cap. 27. num.36. sed refutat P. Vazquez, quia nihil tale est de irregularitate sic statutum, quia caput illud *quantæ* non loquitur de omni pœna, vt legenti constabit. Vazquez.

Restat explicandum, an saltem incurrat qui non impedit, quando alij volunt occidere ad vindictam eius, qui potest impedire, & non impedit.

Affirmat Nauarrus cap.27. num. 232. sed Angelus negat verbo homicidiũ 2. §.2. sicõtradicat à simili, iuxta caput, quia præsulatus 1.q.4 & in cap. Petrus, de homicidio, in quo est sermo de irregularitate. Et hæc pars mihi placet.

Sed explicandum est, an incurrat, si sciẽs non contradicat volentibus alium occidere in vindictam iniuriæ illatæ ei, qui potest impedire, & non impedit.

Ad huius exactam explicationem oportet referre casus aliquos, quos refert Couarrub.2.p.releꝺ.§.2. num.8.

Primus est, quoties quis dedit causam rixæ, & eius famuli, amici, vel consanguinei occidunt in vindictam eius, qui dedit causam rixæ.

In quo casu Villadiego tract. de irregularitate, cap. de pura fide, & Couar. aiunt supra illum esse irregularem, quia in cap. Petrus ille excusatur, quia nec dedit causam rixæ, & contradixit.

Oppositum docuit Glossa in caput vltimum 23.q. vltima, Syluester verbo homicidium 2. §.1. & alii Iuristæ, quos refert Couar. & sequitur P. Vazquez. Primò, quia caput illud citatum pro contraria opinione non fauet illi: quia ideò Petrus ille excusatur ab irregularitate, quia repugnauit; & sic non fuit causa mortis: & idem erit quoties solùm dedit causam rixę, & alii occiderunt posteà in vindictã prioris iniurię. Vazquez.

Alius casus est, quando quis dedit causam rixæ, eoquòd pugnãte illo alij occurrẽtes occidunt alium ratione propriæ inimicitiæ. In quo casu ambiguum putat esse Couarrub. neque suam sententiam profert, etiamsi inclinare videatur in sententiam Villadiego asserentis esse irregularem, qui dedit causam rixæ.

Sed contrarium docuit Syluester supra, quem sequitur P. Vazquez: putat enim nõ esse irregularem, quãdo qui dedit causam rixæ, non fuit causa talis, vt per aggressionem alii possent occidere, neque de hoc cogitauit, nõ est irregularis ex eo solùm, quod non impedierit iuxta supradicta; & in his omnibus considerãdum semper est, an qui dedit causam rixæ, aliquo modo faciat in occisionem alterius, vt possit dici causa. Vazquez.

Restat explicandum, an qui leuiter percussit, animo tamẽ occidendi eum, qui postea ab aliis occisus est, sit irregularis.

Aliqui putant esse irregularem, & colligunt ex capite, Significasti, de homicidio, & contrario sensu, quia interrogatur ab eo qui

qui percusserit non lethaliter, cùm habuerit voluntatē occidendi. Nauarrus in sum. cap. 27. num. 223.

Alij putant cum Couarrub. hanc sententiam falsam, & duas adducunt explicationes eius capitis. Prima est, quòd textus intelligatur quoties cum voluntate occidēdi tolit opem, vel auxilium occisoribus. Secunda, quando videns illos occidere alium, noluit illis resistere, cū posset, quia ipse habuit animum occidendi, ita vt fieret causa homicidij: & hoc sequitur P. Vazquez: & certè propter voluntatem

Vazquez. occidendi non manifestatam exteriùs non potest imponi pœna, vt constat ex doctrina sæpè repetita in materia de censuris: & licèt propter talem voluntatem exteriùs manifestatam posset imponi; tamen citato capite non imponitur expressa, & non est causa vt admittamus talem irregularitatem.

Speciatim deinde occurrit explicandū, an omnis, qui est in bello, & præliatur, sit irregularis: de hoc tamen dicemus suo loco: & legi potest Couarrub. relect. citata 2. p. §. 3. num. 1.

DVBIVM VI.

Quis possit in hac irregularitate dispensare.

CErtum est, posse Pontificem dispensare: quod ex principijs generalibus de potestate dispensandi colligendum est: sed hoc nō sit facile faciendum, iuxta Cōcilium Tridentinum sess. 14. decreto de reformat. cap. 7. vbi dicit: Cum his, id est, cum homicidis voluntarijs non esse dispēsandum, vbi consilium non aufert potestatem à Papa, neque potest auferre, sed ostēdit difficultatem rei.

Quæstio tamen fuit inter Doctores, an Episcopi possint dispensare in hac irregularitate.

Sed non est necessarium referre opiniones diuersas, cùm iam sit clara determinatio Concilij Tridentini, loco citato, & sess. 24. decreto de reformatione cap. 6. & priori loco, nempe sess. 14. cap. 7. statuitur, vt non dispensetur cum eo, qui per industriam occiderit, scilicèt in homicidio voluntario. Secundò conceditur, vt in homicidio casuali possit Ordinarius dispensare, vel Metropolitanus ex causa, vel vicinior Episcopus: & sess. 24. cap. 6. habente hæc verba. Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, dispensare.

Vnde hoc est obseruandū in dispēsatione ad sacros Ordines. Secundò sciendum est, ad minores Ordines posse Episcopū dispēsare etiam cū publico homicida. Colligitur ex cap. Ad audientiā, ex cap. Cōtrahitur de homicidio, & cap. 2. de clerico pugnante in bello. Meritò autem docet Couarrubias supra contra nonnullos hoc tantū esse intelligendum de homicidio casuali, de quo iura loquūtur: & post Concilium Tridentinum non potest dici de homicidio voluntario.

Restat dicendum de dispensatione quātū ad beneficia: de quo legi potest Nauar. in sum. c. 27. n. 242. Couarrub. relect. citat. 2. par. §. 3. num. 6.

Et primò certum esse debet, quòd cum homicida volūtario, quantumuis occultissimo, non potest Episcopus dispensare ad acquirendum beneficium etiam simplex: quia licèt secundùm aliqua iura posset dispensare ad obtinendum beneficium, tamē post decretū Concilij Tridētini nō potest.

De homicida verò voluntario quantum ad retinendum beneficium Curatum, nihil disponitur in Concilio Tridentino, neque prohibita est dispensatio facieda ab Episcopo. Et ex cap. 2. de clerico pugnante in duello colligitur quòd possit, quia ibi absolutè dicitur posse cum eo dispensare ad habendum beneficium; & sermo est de homicida voluntario: si ergo potest dispensare ad habendum, etiam poterit ad retinēdum. Cùm ergo in Concilio Tridentino nihil sit innouatum circa hoc, poterit dispensare, vt aliqui putant.

Verùm si verba Concilij Tridentini rectè considerentur, non potest dispensare: dicit enim quòd omni ordine, & beneficio careant in perpetuum: ergo beneficio etiā iam obtento debet carere: & aliqui putāt ipso facto priuari, vt refert Corduba in sum. q. 4. & caput secundum de clerico pugnante in duello, debet intelligi de beneficio simplici, imo non dicitur posse ab Episcopo dispensari. Et Corduba in sum. dicit, q. 41. non esse ipso facto priuarum

beneficio etiam curato, sed per sententiã priuandus est: & ita cum multis docet P. Suarez disp.44.sect.3.Couarrub.in Clem. si furiosus,2.p.§.num.6. quia nullum est ius,quod ipso facto imponat talem priuationem:& ita est intelligendum quod dixit supra Concilium Tridentinum, quòd homicida voluntarius omni beneficio in perpetuum caret. Secundò alij explicant de beneficio obtinendo de nouo.

Suarez.

Addenda deinde sunt nonnulla, quæ docet Couarr.2.p.relect.citat.§.3.nu.6.& 7. Vnũ est homicidã posse,pendente lite antequam per sententiã priuetur beneficio, renuntiare illud in fauorẽ alterius ex cõmuni sensu multorum,quos citat.

Secundò docet,quòd licèt aliquis impetrauerit beneficium prædicti homicidæ pro euentu priuationis, nihilominùs potest renuntiare illud ante sententiam latã à iudice de priuatione:quia aliter per cõcessionem Pontificis nõ acquisiuit ius absolutum ad beneficium,sed sub conditione pro euentu priuationis: & ita illi non infertur præiudicium contra ius absolutum, quia non habet illud:& ita valet renuntiatio, & eodem modo valeret dispẽsatio Episcopi ad obtinendum illud beneficium ante priuationem,quando Episcopus posset dispensare.

DISPVTATIO LXIIII.

De irregularitate ex homicidio casuali.

DVBIVM PRIMVM.

An per homicidium casuale incurratur irregularitas, & quomodo.

Certum est apud Doctores per hoc homicidium, quando est peccatum, incurri irregularitatẽ,ex capite,Significasti, el 1.de homicidio,& c.dilectus,& eod.tit. quid verò sit in hac materia homicidiũ casuale, diximus disputatione præcedenti. Itẽ ex supradictis cõstat quæ culpa requiratur ad hanc pœnam, est enim necessaria grauis culpa: quod ex dicendis etiam amplius intelligetur.Rursus necessarium est, vt homicidium re ipsa sequatur,aliàs irregularitas ex homicidio non incurretur.

Vnde certum est, quòd si quis operetur omni adhibita prudenti diligentia,non incurratur irregularitas, quia tunc non est peccatum.

Deinde siue quis faciat opus,aliàs licitũ, vel illicitum, si non adhibeat prudentem diligentiam, incurret irregularitatem, si sequatur homicidium:& sic est intelligẽdũ caput ex literis de homicidio.

Sed est difficultas,an propter homicidiũ sequutum ex opere illicito contrahatur irregularitas.

Tribus modis potest hoc contingere. Vno, si interueniat negligentia grauiter culpabilis. Secundò,quãdo nulla interuenit negligentia,aut peccatũ.Tertio,quando solùm est negligentia venialis.

In primo casu certum est, hominem incurrere hanc pœnam, quia est ibi peccatũ graue,ob quod imponitur irregularitas.

In alijs casibus prima sententia est multorum affirmantium, hominem incurrere irregularitatem. Ita Couarrubias cũ multis alijs in Clem.si furiosus, 2. p. relect.§. 4.S.Thomas 1.2.q.73.art.8.& 2.2.q.64. art.8.vbi Caier.Nauar.cap.27.num. 219.

Aliqui probant hanc sententiam, quia vt homicidium sequutũ sit voluntarium,satis est sequi ex actione illicita: quæ ratione videtur vsus Gab.4.dist.15.q.1.art.3.

Sed ratio hæc,& sententia hoc modo intellecta improbabilis iudicatur à P. Suarez disp.45.sect.6. quia si omnis adhibeatur diligentia, ne sequatur homicidium, verè excusatur quis à malitia homicidij, etiamsi aliàs peccet in alia materia, quia nullo modo est voluntarium. Suarez.

Alij verò probant ex iuribus, quæ potuerũt hæc disponere, & infra adducemus.

Secunda opinio aliorum est,non incurri irregularitatem propter homicidium sequutum ex opere aliàs illicito. Ita sensit Castro lib. 2.de lege pœnali,cap.14.quam sequitur P. Suarez supra num. 9. & multi alii,qui ita eam amplectuntur,vt limitent, nisi aliud sit iure expressum. Prima pars probatur,quia tota lege generali non cõprehenditur, quando homicidium nullo modo est voluntarium, neque peccatum habet malitiam illius formaliter. Suarez.

Secunda pars probatur ex aliquibus capitibus iuris,vbi in aliquibus casibus videtur declarari irregularis,qui omnem diligentiam adhibuit.Vnus casus habetur capite,Tua nos de homicidio,vbi monachus declaratur irregularis,quia scidit apostho-

ma

ma fœminæ: ex qua sequuta est mors, licèt omnem adhibeat diligentiam, quia officium illud erat prohibitū monachis: circa quem textum legatur P. Suarez disp. illa 45. sect. 4. num. 10. Suarez.

Vazquez. Docet autem P. Vazquez, quòd si in extrema necessitate monachus illud faceret, omnem adhibens diligentiam, non incurreret irregularitatem, quia pro tali articulo non esset prohibita ea actio: & idem est, si operaretur cum ignorantia inuincibili prohibitionis.

Deinde P. Suarez disp. 45. sect. 4. nu. 10. addidit casum ex capite vltimo de homicidio in 6. & putat esse specialem dispositionem iuris circa homicidium casuale: sed aliam explicationem adduximus.

Et iuxta limitationem secundæ sententiæ possunt explicari aliqui Doctores, qui primam opinionem sequuntur, præsertim S. Thom. vt eius doctrina aliquādo habeat locum: & ex doctrina tradita possunt solui aliqua dubia in specie.

Sed notanda sunt nonnulla. Vnum est circa caput, Tua nos, de homicidio, quòd sit sermo de solis monachis, qui vtuntur arte chirurgiæ; & ita non comprehendit laicos: quod ex textu manifestum est, & cum alijs notauit P. Suarez disp. 45. sect. 6. num. 12.

Alterum est circa caput vltimum de homicidio in 6. nempe quòd prohibitio illius capitis comprehendit omnes, siue laici sint, siue clerici, aut religiosi: quod notauit P. Suarez supra nu. 13. & alii communiter. Suarez.

Item notandum est, quòd non incurrit irregularitatem clericus exercens venationem: etiam si venatio sit illi prohibita, quando hic & nunc fecit omnem diligētiam, ne aliquem occideret: & tamen sequutum est homicidium, quia hoc non speciali iure dispositū, vt benè docuit P. Vazquez tract. de irregularitate contra Caiet. 2. 2. ad quæst. 64. ad articulum 8. Vazquez.

Vlterius notandum est, esse irregularē, qui leuiter percussit iniustè: tamen & postea ex iniuria, & casu mors sequuta est. Ita Nauarrus in sum. cap. 27. num. 223. & Sylu. est. homicidiū 2. q. 2. & probari solet ex cap. vltimo de homicidio in 6. de quo supra diximus. Probari verò potest ex cap. Presbyterum, de homicidio: vbi dicitur, quòd ille presbyter, qui disciplinæ causa verberauit puerum, erit irregularis, si ex vulnere obijt, vel ex superuenienti infirmitate: & in cap. Ad audientiam, de homicidio, dicitur, quòd qui castigando vulnerāt cultello, qui casu decidit ex vagina pēdente ex cingulo, in quo negligens fuit; & qui perculsus fuit, conualuit, & rursus incidit in grauiorē infirmitatem, & obijt, erit irregularis propter dubium, ex qua causa fuerit sequuta mors, & in dubijs tutior pars est eligenda.

Item notandum est in prædictis euentibus necessariam esse culpam mortalem ad incurrendam irregularitatem, vt notauit Sotus 5. lib. de iustitia, q. 1. Anton. vltimo, & alijs, quia hæc irregularitas imponitur vt pœna: & cùm sit grauis, requirit culpā grauem.

DVBIVM II.

Quomodo incurratur irregularitas, quando homicidium non est præuisum, iuxta doctrinam traditam dub. 1.

Diximus posse incurri irregularitatem ex dispositione iuris, aliquando, etiā si non esset præuisum homicidium: ex quo videtur sequi tale homicidiū, non fore voluntarium: vnde & imponetur pœna propter homicidium non voluntarium. Sæpe verò diximus ad pœnam requiri actum voluntarium, & malum.

P. Suarez disp. illa 45. sect. 6. nu. 16. proponit hanc difficultatem, & respondet primò, tale homicidium non esse re ipsa voluntariū, esse tamen ex interpretatione legis: sed hoc nō videtur sufficere: quærimus enim, quomodo imponatur pœna, si ibi non inueniatur aliquid volūtariū. Et ideò P. Suarez addit, ibi esse aliā malitiā distinctam à malitia homicidij, & illam esse voluntariam; & pœnam imponi propter illā, si habeat adiunctam hominis occisionem, & non alio modo. Suarez.

Itaque meritò docet ad talem pœnam necessariam esse aliquam malitiam voluntariam. Item propter illam imponi hanc pœnam, sed non propter illam solùm, sed quando habet adiunctum homicidium, etiamsi tale homicidium nullo modo fuerit præuisum: ac proinde neque voluntarium: quod facilè intelligetur: nā Ecclesia potest punire actionem externam malam,

quæ ſit peccatum, & voluntaria actio, vt per ſe poteſt etiam non imponere pœnam irregularitatis, niſi talis actio externa habeat adiunctum homicidium.

Sed dubitant aliqui, an ſit irregularis ille, qui volens occidere hominem, quẽ putauit eſſe Petrum, occidit Paulum.

Suarez. P. Suarez ſect. citat. dicit, tribus modis poſſe hunc homicidã ſe habere. Vno, quãdo certò nouit ibi eſſe hominem, & probabiliter putauit eſſe Petrum; & in hoc euẽtu putat fore irregularem.

Alio modo, quando ita putauit eſſe Petrum, vt ſi non eſſet Petrus, nullus alius eſſet: & in hoc caſu refert duas opiniones contrarias. Vnam affirmantem eſſe irregularem: pro qua P. Suarez citat Maiolũ, & Hugonem.

Sed cõtrariam putat P. Suarez ſatis probabilem ſpeculatiuè, licèt putet conſulẽdum eſſe, vt petatur diſpenſatio.

Mihi probabilior eſt prima opinio, quia ille verè voluit occidere, & occidit hominem: propter hoc verò impoſita eſt irregularitas, non verò propter occiſionem huius, vel illius: circa quod contigit deceptio.

DISPVTATIO LXV.

De homicidio ob propriam defenſionem.

DVBIVM PRIMVM.

An propter homicidium factum in defenſionem propriæ vitæ incurratur irregularitas?

APud Antiquos quæſtio fuit, an propter tale homicidiũ iuſtè factum incurratur talis irregularitas. Et S. Thom. 2.2.q.64.art.2. ad 3. docuit incurri irregularitatem propter caput de his 1. diſt. 50. & idem ſenſerunt aliqui de antiquis Doctoribus.

Sed iam expreſſo iure conſtat non incurri irregularitatẽ in hoc euentu, Clem. vnica de homicidio, & Conciliũ Tridentinum ſeſs. 14. c. 7. & eſt communis ſenſus Suarez. Doctorũ, vt docuit P. Suarez diſp. 46. ſect. 1. Couarrub. relect. cit. 3. par. §. 1. Maiolus lib. 5. c. 48. Nauarrus in ſum. c. 27. nu. 207.

Difficultas verò eſt, an iure antiquo incurreretur irregularitas ob tale homicidiũ, & aliqui affirmarunt; & poteſt probari ex Canone, Si quis viduã 50. diſt. & habetur Canone 26. inter Canones, quos collegit B. Martinus Epiſcopus Bracharenſis in Concilio Bracharenſi 2. vbi dicitur non eſſe admittendum ad ordines, qui conſcius fuerit homicidij, etiam ob defenſionẽ. Secundò, quia generaliter omnis homicida etiam ſine peccato antiquo iure erat irregularis: aut dicendum eſſet non fuiſſe neceſſariam defenſionem citatæ Clemẽtinæ.

Sed contrarium docuit Couarrub. ſupra etiam de iure antiquo, & ſequuntur multi, & P. Vazquez: quia ex citato Canone non colligitur eſſe irregularem homicidam ſine culpa.

Item non conſtat, an ſit Concilij Generalis, vel Prouincialis: & eodem modo intelligenda ſunt aliqua capita, quæ adducuntur pro prima opinione, vt ſermo ſit, quando non fuit ſine peccato, vt exponit Gloſſa. Ratio ſecunda etiam nihil probat, quia non eſt verum omnẽ homicidam eſſe irregularem, licèt aliquis homicida ſine peccato, vt iudex, incurrat irregularitatẽ ob peculiare ius, vt dicemus infra: neque ex hoc ſequitur fuiſſe inutilem cõſtitutionem Clementinæ citatæ: iuuat enim ad auferendam controuerſiam in poſterum.

Duo ergo obſeruanda ſunt in hac materia. Vnum eſt, nõ eſſe irregularem, qui occidit ob iuſtam defenſionem, quando homicidium fuit medium neceſſarium, ac proinde iuſtè. Alterum eſt incurri irregularitatẽ pro hoc homicidio, ſi fiat iniuſtè, id eſt, quando fit, & non eſt neceſſarium ad propriam defenſionem.

Reſtãt explicanda aliqua ad exactam intelligentiam doctrinæ traditæ.

Vnum eſt, an incurrat irregularitatem ille, qui poteſt defendere propriam vitam per fugam, & non vult fugere, ſed pugnare cum aggreſſore.

Prima opinio eſt aſſerentiũ neceſſarium eſſe fugere, etiamſi quis non poſſet fugere ſine infamia. Ita ſentit, licèt cum formidine, Couarrub. relect. cit. 3. p. §. 1. nu. 4. Nauarrus in ſum. c. 27. n. 271. & alij, eo quòd in Clem. ſi furioſus ſolũ excipitur caſus, in quo aliter non poteſt ſe defendere.

Secunda opinio abſolutè negat in eo caſu incurri irregularitatem, etiamſi quis non velit fugere, quia hæc irregularitas non

non incurrit sine culpa: & tamen non fugere, non est culpa, quia ille non tenetur fugere. Ita Feli. in cap. Suscipimus, de homicidio, Tiraquellus de nobilitate cap. 20. num. 6. & alij.

Suarez. P. Suarez cum distinctione respondet: nã si potest fugere sine infamia, dicit incurri irregularitatem, si non fugiat, & occidat aggressorem in sui defensionem. Si verò non possit fugere sine infamia, dicit non incurri irregularitatem. Primam partem probat argumento primæ opinionis.

Secundam probat, quia non tenetur illud vitare cum magna infamia: vnde & multis videtur ibi non esse vllam culpam.

Suarez. Ex dotrina tradita infert P. Suarez, clericum incurrere irregularitatem, si non fugiat cùm possit, quia clericis non est ignominiosum fugere. Et ita sentit Glossa in cit. Clem. & in cit. cap. Suscepimus: & P. Suarez dicit esse illationẽ necessariam, & à fortiori idem iudicium esse de religiosis. Et Sotus lib. 5. de iustitia, q. 2. art. 8. idẽ dicit de homine infimæ notæ, qui nullam incurrit infamiam ex fuga.

Deinde quæri potest, quãdo quis pugnat ob propriam defensionem, quænam defensio censenda sit moderata, vt qui se defendit, nõ maneat irregularis, etiam si occidat aggressorem.

Et P. Suarez supra disp. 47. sect. 1. à nu. 7. docet primò, si res deducatur ad forũ contentiosum, ad iudicem pertinere iudicium de facto particulari, an omnibus circumstantijs consideratis defensio fuerit moderata: pro quo foro, & pro foro conscientiæ aliqua sunt obseruanda.

Deinde docet, necessarium esse, vt præcedat aggressio, quia aliàs non esset defensio, vt constat: sed ad hoc nõ est necessariũ, vt quis expectet aggressionem actualem, sed poterit præuenire, si iudicet alio modo, non posse aggressorem superare, vt docuit Nauarrus in sum. c. 15. n. 2. & cons. 31. de homicidio, & P. Suarez supra.

Itẽ necessarium est, vt defensio non possit fieri cum minori damno proximi: nam si sufficeret mutilare, vel aliud dãnum imponere, non esset necessaria occisio, vt cõstat: quod maximè considerandum est, & generatim, vt fit sine peccato. Vnde si fiat homicidiũ, quando non erat necessarium, erit peccatum, & incurretur irregularitas. Et idem erit obseruandum in mutilatione, vt notauit Syluester homicidium 3. q. 4. & P. Suarez supra, quæ omnia in specie prudenter consideranda sunt; & ex dicendis amplius intelligentur.

DVBIVM II.

An adulter, qui inuentus in actuali adulterio occidit maritum aggressorẽ, sit irregularis, si maritum occidat causa defensionis.

ALiquorum opinio est, non incurrere irregularitatem talem adulterum, si occidat cum moderamine iusto, & prudẽti ob solam defensionem. Ita Syluester homicidium 3. q. 4. Armilla verbo irregularitas, nu. 42. Soto 5. de iustitia, q. 1. art. 9. & alij; & probari potest primò, quia ille non peccat, se defendendo. Secundò, quia licèt peccauerit in adulterio: tamen ex hoc non potest dici aggressor ad occidendum, sed defensor propriæ vitæ.

Secũda opinio est asserentiũ, hunc adulterum incurrere irregularitatem, si occidat maritum. Ita Nauarrus in consilijs 32. 34. & 35. de homicidio, & in sum. c. 15. nu. 7. & c. 27. n. 238. Antonin. 3. p. tit. 5. c. 8 §. 1. & probant aliqui, quia ille adulter dabat operam rei illicitæ: quæ ratio nullius est momenti, quia hoc non sufficit, si in iure non sit irregularitas. Alij probant, quia in hoc euentu qui fecit adulterium, videtur moraliter incepisse pugnam: ac proinde maritus non videtur esse aggressor.

P. Suarez supra num. 11. putat, vtramque opinionem esse probabilem, & primam satis tutam practicè: & mihi videtur speculatiuè verior ob rationem illius: ex qua solui potest ratio differentiæ. Suarez.

Sed in hoc euentu adulter debet obseruare ea, quæ necessaria sunt, vt homicidium fiat sine peccato, & cum moderamine.

Addendum est hoc loco, hoc homicidiũ pro hac materia non esse voluntarium ex proposito, iuxta ea, quæ diximus supra: quod necessarium est aduertere, vt ex hoc colligatur, quis possit in tali homicidio dispensare, quando fuerit necessaria dispẽsatio: quod notauit Nauar. conf. 36. de homicidio. & P. Suarez supra num. 13. & potest colligi ex Tridentino Concilio sess. 14. cap. 7. ex quibus dictis plura dubia in specie solui possunt.

DVBIVM III.

An propter homicidium factum in defensionem bonorum temporalium incurratur irregularitas.

ALiquorum opinio est, non posse hæc bona defendi licitè cum morte aggressoris, quantumuis ille velit iniustè & violenter vsurpare: & probari potest, quia hæc bona danda sunt pro vita proximi.

Aliorum verò sententia est, posse esse licitam talem defensionem, si fiat certis circunstantijs. Prima conditio est, vt nocumentum temporale sit graue, & actu iniustè inferatur. Secunda, vt non sit reparabile, vel cum tanta difficultate, vt ob eam censeatur graue nimis detrimentum. Tertia, vt verè sit defensio, & moderata. Quarta, vt non possit alio modo fieri defensio, nisi per mortem aggressoris. In hoc enim euentu charitas erga proximum non obligat ad præferendā vitam illius bonis proprijs, quia proximus tunc non est in necessitate, sed in malitia iniusta, quam ipse voluntariè eligit. Item non fit contra iustitiam, quia iniustus aggressor sibi debet imputari damnum: nam qui se defendit, vtitur iure suo, vt benè docuit P. Suarez disp.cit.sect.2. Suarez.

Hac veritate posita difficultas est, an qui in hoc euentu occidit aggressorem iniustum, fit irregularis; & est sententia aliquorum in tali euentu, & propter tale homicidium incurri irregularitatē. Ita sentit Panorm. & alij in caput 2. de homicidio, Villadiego tract.de irregularitate, Nauarrus in sum.c.15.art.2.& c.27.n.209. & 213. Et aliqui istorum probāt, quia est homicidium voluntarium, quod sufficit ad irregularitatem.

Alij, quia ius non excipit hunc casum: solū enim excipit defensionē propriæ vitæ.

Aliorum sententia est asserentium non incurri irregularitatem. Ita Couarrub. licèt cum formidine, in Clem.citatam, 3.p. cum alijs Doctoribus, & sequitur Castro lib.2.de lege pœnali, c.14. Sotus lib.5. de iustitia, q. 1. & multi alij huius ætatis: & ratio sumitur ex eo, quòd tale homicidiū non est peccatum, & propter priuatum homicidium non est imposita irregularitas, nisi quando est peccatum: quod ex iure antiquo, & nouo fusè ostendit P. Suarez sect.citata, & in fine illius hanc sententiam secundam amplectitur: & mihi placet hæc sententia propter dictum fundamentum.

Ex quo manet solutum primum argumētum primæ opinionis. Ad secundū respōdeo, non esse necessarium, vt in iure exprimatur iste casus: satis est, si propter illum imponatur irregularitas.

Sed solet objici caput secundum de homicidio, quia dicit, *Te, tuaque*, quasi velit non incurri irregularitatem, quando quis defendit se, suaque bona.

Respondetur, illa verba non esse ita intelligenda, quasi vtrumque sit necessarium ad vitandum irregularitatem: cōstat enim solū sufficere vitæ defensionem: vnde illud caput potiùs fauet secundæ sententiæ.

Adducitur deinde contra nostram sententiam caput tertium de homicidio, vbi qui furem nocturnum occidit, non censetur reus homidij; secus verò qui occidit latronem diurnum. Sed ex hoc capite nihil colligitur contra nostram sententiā: desumptum verò est ex Aug.tom.4.lib.2. q.84.in Exodum, vbi exponit legem latā Exodi 22. Et cùm dicit Aug. esse homicidium, loquitur, quando quis occidit latronem, quē posset repellere sine homicidio: de quo fusius P.Suarez loco citato à nu. 9.

Item solet objici caput Suscepimus, de homicidio, vbi sermo est de quibusdam clericis: & ideò aliqui volunt incurrere hanc irregularitatem; sed non est sermo de homicidio ob propriam defensionem: quod colligi potest ex eo, quòd clerici illi ligauerunt latrones illos. Itē quia Glossa ibi notat illum, qui eos occidit, nullam necessitatem vitandi causa occidisse. Suarez.

Rursus objicitur caput, Significasti, el 2.de homicidio; sed non constat fuisse factum cum moderamine inculpatæ tutelæ: imo contrarium fuisse, colligitur ex fine capitis, vbi Pontifex dicit, licitū esse, vim vi repellere, tamen cum moderamine inculpatæ tutelæ.

DVBIVM IIII.

An incurratur irregularitas ob defensionem licitam proximi.

AFfirmant aliqui in hoc euentu incurri irregularitatem. Ita Syluester homi-

homicidium 1.q.9. Armilla verbo irregularitas, num. 41 Nauarrus in sum. cap. 27. num. 13. Maiolus lib. 5. cap. 48. num. 9. & alij. Solet verò probari ab aliquibus, quia tale homicidium non potest esse licitum, cùm æquè sit diligẽda vita vtriusque proximi. Ab alijs verò probatur, quia talis casus non est exceptus in citata Clementina.

Contrariam sententiam sequitur Couar. supra. Maior 4. dist. 15. quæst. 30. P. Suarez disp. cit. sect. 3. & alij huius ætatis. *Suarez.*

Ponendum autem est hoc loco interdũ posse esse licitam defensionem innocentis, interdũ esse etiam sub obligatione: quod ex variis circumstantiis iudicandum est, considerata materia, & natura obligationis præcepti misericordiæ.

Et dicendum est, quando est obligatio defendendi proximum, non incurri irregularitatem ex homicidio aggressoris, si fiat cum moderatione. Hæc pars probanda est, quia ob tale homicidium nõ est imposita irregularitas, neque ius aliquod adducitur, ex quo colligatur: nam ex Clem. de homicidio citata non colligitur, quia hoc non est expressum, neque in illa statuitur nouum ius, sed explicatur antiquum. Vnde non est necessarium, vt iste casus in ea excipiatur, vt supra in simili diximus.

Secundò dicendum est, ob homicidium factum in defensionem Reipublicæ nõ incurri irregularitatem. Hæc sequuntur ex dictis à fortiori, quia obligatio est defendendi Rempublicam, & patriam.

Tertiò existimo non incurri hanc irregularitatẽ, quoties licita est defensio proximi, & probanda est ex dictis circa primam conclusionem.

Argumenta verò allata pro prima opinione vim non habent. Primum supponit falsum, quia maior obligatio est defendẽdi innocentem, quàm iniustum aggressorem. Secundum iam solutum est.

DISPVTATIO LXVI.

De homicidio licito, quod dicitur ex defectu lenitatis.

IN Hac disputatione agendum est de irregularitate, quæ contrahitur ex homicidio per actum iudicialem.

DVBIVM PRIMVM.

An iudex ferens sententiam in causa sanguinis fiat irregularis.

CErtum est, talem iudicem incurrere irregularitatem, & probatur ex cap. Ex literis, de excessibus Prælatorum, & c. 1. dist. 51. c. In Archiepiscopatu, de rapto ribus, cap. quæsitum 23. quæst. 4. & aliis capitibus.

Sciendũm verò est in hac materia per sententiam sanguinis intelligi à Doctoribus sententia mortis, vel mutilationis, vt docuit P. Suarez disp. 47. sect. 1. Nomine verò sententiæ intelligitur quoduis præceptũ iudicis, ex quo sequatur mors, verbi gratia, si ex præcepto iudicis reus priuetur cibo, & moriatur, &c. vt notauit Couarrub. relect. cit. part. 2. §. 5. num. 8. Item hoc debet intelligi, ita vt ad incurrendam hanc irregularitatem necessarium sit, vt mors reuera sequatur.

Vnde non sunt audiendi nonnulli, qui existimarunt satis esse prolationem sententiæ. Imò Maiolus lib. 2. cap. 6. putat sufficere exercuisse iudicis officium in criminalibus.

Sed contraria est communis in capite, Sententiam sanguinis, ne clerici, vel monachi. Et ita sensit Hostiensis in capit. Significasti, de homicidio. Syluest. homicidium 3. num. 3. Nauarrus in sum. cap. 27. num. 211. P. Suarez disp. 47. sect. 1. & probatur, quia nullo iure aliter lata est hæc irregularitas. *Vazquez.*

Deinde nomine iudicis intelligunt Doctores, omnem iudicem Pontifice inferiorem.

Difficultas verò est, an secularis princeps delegando hanc potestatem iudici seculari, incurrat hanc irregularitatem. Quæstionis causa est, quia videtur causa homicidij saltem remota.

Sed dicendum est ob talem causam delegandi non incurri hanc irregularitatem, vt constat ex communi sensu: vnde Pontifex, cap. Verò ne clerici, vel monachi, dixit, clericos habentes temporalem iurisdictionem posse, & debere illam delegare sine vllo metu irregularitatis.

Circa quem textum notandum est primò, sermonem esse de omnibus Episcopis, & clericis habentibus iurisdictionem temporalem,

poralem;& debet intelligi, siue illam habeat ratione beneficij, siue ratione patrimonij.

Secundò notandum est, ibi esse sermonem de legatione ad speciale factum inquirẽdum;& à fortiori idem est,si delegatio sit generalis.

Ex dictis intelligitur, Inquisitores non incurrere tradentes reum brachio seculari,& iudici: de quo legi potest P. Suarez disp.& sect.citat.à num.10.

DVBIVM II.

An accusator in causa fiat irregularis.

DVbium potest intelligi, & de accusatore clerico, & de laico: legatur P. Molina de iustitia cõmutatiua tractatu 3. disp.8.

Et sciendum est,clericum iustè accusantem non incurrere hãc irregularitatem, si faciat expressam protestationem,quòd nõ intendat pœnam sanguinis, iuxta caput 2. de homicidio in 6.Notat verò Couarrub. supra,hoc esse verum, etiamsi sciat mortẽ sequuturam.

Deinde quia in eo capite dicitur,protestationem faciendam esse coram iudice seculari,inferunt Doctores, non esse necessariam, quando clericus accusat aliquem coram iudice Ecclesiastico:quia accusans coram iudice Ecclesiastico prudenter iudicat, illum non impositurum pœnã mortis,ne ipse iudex fiat irregularis.

Item docent Authores, hanc protestationem non esse necessariam, quoties est in causa ciuili tantùm, quando prudenter non timetur, iudicem laturum pœnam sanguinis.

Difficultas verò est, an sit necessarium, vt hæc protestatio fiat ex vero animo, vel sufficiat exterior,etiam si sit falsa.

Aliquorum sententia est necessarium esse,vt sit ex animo,& aliàs reuera esse irregularem.Ita Nauar,in sum.c.27.n.226. qui alios Doctores citat,quia ius petit veram protestationem,& non fictam.

Vazquez. Sed contrariam sententiam sequitur Conarrub.in cit.relect.p.2.§.5.n.3.cum alijs Doctoribus: & docuit P. Vazquez manu scripto codice de irregularitate,hanc quæstionem tractans P.Suarez supra,sect.2.n. 3.& hanc tradidi olim 2.2.ad quæst.18. & probandum est, quia ius positiuum solùm requirit protestationem illam externam: qua deficienti,etiamsi nõ esset peccatum, aut voluntas homicidij, incurreretur; & illa posita non est causa,ob quam dicamus eam incurri.

Sciendum verò est,P.Suarez supra affirmare posse Ecclesiam ita requirere hanc protestationem,vt esset necessarius verus animus:quia vt vidimus lib.1.censet posse requirere actum internum,vt coniunctum externo. Sed hanc doctrinam de actu interno ibi refutauimus, vbi etiam docuimus ex solo iure positiuo solùm posse requiri affectum internum, quatenus manifestatur per aliquid externum, quod sit signum talis affectus.Hac enim sola ratio, ne potest Ecclesia de eo affectu iudicare.

Deinde est difficultas, an decisio citati capitis debeat extendi ad laicos.

Et certum est, facta protestatione non incurri irregularitatem in prædicto euentus quod manifestè colligitur ex eo capite. Item communis sensus Doctorum est, eam protestationem necessariam etiam esse laicis, vt non incurrant eam irregularitatem.Ita Nauarrus in sum.cap.27. num.213.Couarrubias supra §.5.P.Suarez sect.citata,num.6. cum alijs Doctoribus, qui communem sensum ita intellexerunt caput illud. Suarez.

Item est difficultas, an semper ea protestatio excuset ab irregularitate; & aliqui dicunt,solùm excusare, quando accusatio est necessaria ad recompensationem damni, quod alia via non potest recompensari. Ita Syluester homicidium 2. q.8. & alij Summistæ, Nauarrus consi.9. de homicidio.

Sed P.Suarez supra num. 7. docet, non esse necessariam talem limitationem,quia absolutè textus concedit eam facultatẽ; & hoc mihi magis probatur.

Alij putant, illud caput habere locum, quando non est certa mors secutura. Sed neque limitatio ista est admittenda, vt docuit supra Pater Suarez, quia textus simpliciter loquitur, vt vitetur irregularitas pro euentu, in quo aliàs incurreretur.

Alij verò protestationẽ excusant, quãdo aliàs non petit accusator vindictã sanguinis:quod verissimum est, quia aliàs vana esset protestatio prædicta.

Item

Item alij docent esse necessariem; vt accusator in propria causa postulet, non in aliena, quia iura solùm in hoc casu loquũtur. Ita Nauarrus in sum. cap. 27. num. 213. Couarrub. §. 5. citato P. Suarez supra nu. 11. P. Vazquez tractatu de irregularitate.

Vazquez. Circa quod notandum est, quòd aliqui ex citatis Doctoribus discrimen assignant inter accusationem, & denuntiationem, cũ Caiet. 22. q. 33. art. 7. nam licèt dicat non posse fieri accusationem, nisi in propria causa, admittunt tamen fieri posse denuntiationem ex charitate. Requirunt verò aliquas conditiones. Vna est, vt detur locus defensioni proximi, idest, vt possit damnum vitari. Secunda, vt currat naturalis obligatio ex charitate vitãdi illud. Tertia, vt protestatio fiat in expressa declaratione, quòd denuntiatio fiat ad defensionem proximi.

Quarta, vt talis denuntiatio sit necessaria ad vitandum damnum proximi, ita vt moraliter non possit alio modo vitari: & mihi hæc sentẽtia placet. Legatur P. Suarez supra à num. 11. qui eam amplè dicitur num. 15.

Suarez. Addit P. Suarez, hoc etiam esse verum, quando accusatio esset necessaria, id est, quando obligaret ex præcepto naturali propter talem necessitatem: quod mihi est satis probabile.

Quærunt verò aliqui, quid sit intelligendum per causam propriam; & intelligi debet, non solùm quæ ad propriam personam accusatoris pertinet, sed quæ licèt ad personam consanguinei pertineat, tamen deriuatur in personam accusatoris, considerato communi hominum more: de quo P. Suarez supra num. 17.

DUBIUM III.

An testis, vel Aduocatus in causa sanguinis sit irregularis morte sequuta.

PRiùs dicemus de teste, deinde de aduocato. Communis est sensus incurrere irregularitatem, vt docent Authores in hac materia, & legi potest P. Suarez disp. citata, sect. 3. & res est indubitata de eo, qui voluntariè accedit ad ferendum testimonium in iudicio.

Difficultas potest esse, quando quis testificatur propter præceptum iudicis, vel propter grauem coactionem, an sit irregularis, morte subsequuta: & affirmat Nauarrus in sum. cap. 27. num. 212. Tabiena verbo irregularis, num. 22. Syluester homicidium 3. q. 7. Anton. 3. p. titulo 28. cap. 2. quia iste revera cooperatur homicidio, & non est necessarium vt sit peccatum, vt cõstat in iudice: & admittit P. Suarez supra, licèt ipse exponat rationem in contrariũ. Suarez. Et mihi hæc communis sententia admittenda omnino videtur ob factam rationem.

Illud posset vocari in quæstionem, an excusetur testis ab hac irregularitate, si faciat protestationem supradictam. Negat Couarruuias supra, & assignat rationem P. Vazquez, quia prædicta protestationis facultas solùm conceditur in iure accusatori, & Inquisitoribus, vt supra diximus, non testi, vel aduocato: de quo legi potest Pater Auila par. 7. disp 5. sect. 2. dubio 12. Vazquez.

Item P. Vazquez docet non excusari ab hac irregularitate, qui fertet testimonium ob bonum publicum etiam vrgente lege charitatis, quia talis casus non excipitur in iure. Vazquez.

Circa secundam partem de aduocato sermo est modò de illo, qui fungitur munere tali contra reum: & certum est, hanc incurrere irregularitatem, ex cap. 1. dist. 51. & docuit P. Vazquez, hunc aduocatũ non excusari per protestationem, quia talis casus non excipitur in iure.

Difficultas verò est apud aliquos, an sit necessarium, vt sequatur mors ad incurrẽdam hanc irregularitatẽ: & P. Suarez disp. cit. sect. 3. num. 4. citat aliquos asserentes non esse necessarium. Suarez.

Meritò tandem P. Suarez cum communi sententia docet, id esse necessarium, sicut vt eam incurrat iudex, censent Doctores, communiter esse necessarium mortem re ipsa sequi: & iura sic sunt explicanda iuxta doctrinam traditam lib. 1.

Quæri etiam solet, an aduocatus, qui reum defendit, incurrat irregularitatem.

Aliqui affirmant: legatur Nauarrus cap. 27. num. 212. qui cum alijs videtur loqui, quando talis aduocatus est, qui ita defendit reum, vt indirectè faciat accusatorem puniri morte.

Alii

Alij idem docent cum limitatione ex eo quòd aduocatus, si sit clericus, dat operam rei illicitæ. Plura in hoc dubio docet qui legi potest. P. Suarez supra.

Mihi videtur primò ex eo so ũm, quòd aduocatus aliquis defendat reũ qui punitur pena mortis, nō incurrere hāc irregularitatem, quia iste potiùs voluit impedire mortem illius.

Secundò, si Aduocatus, vt defendat suũ reum, faciat cōtra accusatorem, ita vt accusator transeat in reum, & puniatur, incurret irregularitatem morte subsequuta: quia iam est Aduocatus contra reum illũ, qui punitur, licèt in principio talis reus fuerit accusator: quod P. Vazquez intelligit, quando Aduocatus rei postulat pœnam talionis contra accusatorem; secus si solùm per se defendat suum reum, & ex accidenti sequatur pœna mortis accusatoris. D ctrinam vtriusque conclusionis admittit P. Suarez supra, qui etiam explicat, quando aduocatus possit incurrere irregularitatem ob culpan; sed de hoc modò non disputamus.

Suarez.

Tandem potest esse difficultas de alijs personis, qui assistunt pœnæ mortis inferendæ, an sint irregulares, quando pœna est iusta: de quo legi potest P. Molina tractatu de iustitia, & videtur certum illam incurrere, qui vel ob causam iudicialem coucurrunt necessarij, vt testis, aduocatus, comprehendens reum, & iudex; vel qui ad executionem pœnæ concurrunt, vt ministri iustitiæ, qui volunt executionem.

Molina.

Difficultas verò est de alijs, qui assistũt, & nō sunt ministri iustitię necessarij ad ferendam sententiam, vel concurrentes ad executionem pœnæ; est dubium, an incurrant hanc irregularitatem, si aliquid dicant, vel faciant, ex quo sequatur mors, vel acceleratio eius. Aliqui enim Doctores seuerè loquuntur, existimantes esse irregulares: & sequitur P. Suarez sect. 4. in fine.

Suarez.

Sed oportet considerare, an isti sint causa homicidij iniuste, vt si sine causa facerent, vt reus citiùs occideretur, & ob peccatum possunt incurrere irregularitatem impositam ob iniustum homicidium: de qua modò non loquimur. Si verò sine peccato aliquid faciant, non videntur incurrere irregularitatem ex defectu lenitatis. Ita sensit Pater Vazquez, & sequuntur multi viri docti hoc tempore: quia iura, in quibus supponitur hæc irregularitas, solùm loquuntur de ministris iustitiæ: & his, qui concurrunt ad causæ probationem, sicut Aduocatus, & testes, & pœnæ executionem, vt ministri iustitiæ: & ad hoc explicandum placet referre verba capitis primi, dist. 51. *Quicunque in forensi exercitatione versati sunt:* vbi Glossa numerat accusatorem, aduocatum, iudicem, testem, notarium. Et re vera ita sentiunt aliqui Doctores in dubijs peculiaribus, vt ex dicendis constabit, & probari potest ex capite, Tua nos, de homicidio, iuxta explicationem Glossæ: quam multi recipiunt, quæ docet non fuisse irregularem scholasticum, qui dedit signa latronis, qui ipsum scholasticum voluit occidere, quia non fuit adductus testis. Adduco authoritatem Glossæ, & aliorum, quia caput fortè alium habet sensum, vt dicam dubio quinto.

Vazquez.

Ex doctrina tradita intelligitur incurrere hāc irregularitatem, iudicem, assessorem, aduocatum, supra dictum accusatorem, testem, notarium, seu scribam; & qui authoritate iudicis mandant sententiā mortis executioni.

Item ex doctrina tradita possunt plura dubia in specie solui. Vnum est, an incurrat haec censuram.

Doctores aliqui generatim docent non sufficere esse causam remotam huius homicidij: & tamen in peculiaribus dubijs non satis conueniunt. Primā partem docuit expressè Nauarrus cap. 27. num. 211. Pater Auila par. 7. disput. 5. sect. prima.

Auila.

Circa secundam verò partem Nauarrus supra num. 217. docuit ei esse irregularem huius speciei, qui attulit ligna, & proiecit ad comburendum hominem igne occidendum: quod intelligit, si hoc modo concurrat ad homicidium.

In quo possumus distinguere inter eos, qui hoc faciunt, vt ministri iustitiæ, vel illos, qui priuata solùm authoritate. Possumus etiam distinguere de modo concurrendi cum peccato, vel sine illo: cum peccato, quando contra iudicum voluntatem occidunt reum, vel citius occidunt: & in vtroque euentu incurritur irregularitas ex homicidio voluntario iniusto: de quo supra.

Si

Si verò licitè hoc faciant quasi ministri iustitiæ in eo munere adiuuantes ex voluntate illorum, mihi est probabile incurrere irregularitatem ex defectu lenitatis.

Existimo tamen non sufficere solùm esse causam quasi remotam, & per accidēs, verbi gratiâ, si adduceret ligna conductus ad ea deferenda, vel venders ea ministris iustitiæ: iste enim neque peccat vēdens, neque facit actum ministri, vt minister iustitiæ: quod maximè considerandum est, & aliis exemplis infra explicabitur.

Ex his facile est iudicare, quid sit dicendum de aliis exemplis, de quibus tractant Summistæ, verbi gratia, dubium est, an sit irregularis vendens, vel commodans scalam, funes, enses, sagittas, & similia instrumenta ad mortis executionem: & affirmat Nauarrus supra num. 217. & sequitur P. Henriquez de irregularitate, cap. 12. nu. 4. cū aliis Doctoribus, P. Auila supra sect. 2. §. sexto omnes, & potest probari ex eo, quòd dicti omnes videntur aliquo modo concurrere ad mortem.

Auila

Verùm P. Vazquez, & alii viri docti huius ætatis censent, istum non incurrere irregularitatem, quia non incurrunt illā, quæ incurritur ex homicidio iniusto, quia non peccat. Deinde neque istam, de qua agimus, quia non operatur vt minister iustitiæ; non est autem caput, quod alijs imponat talem irregularitatem: & istud videntur amplecti, qui putant non incurrere irregularitatem, qui tradit arma militi ad bellum iustum, vt docet P. Sà in summula verbo irregularitas, §. ex deformatione licita, vel illicita, num. 4. & concedit Nauarrus supra num. 210. Et idem iudicium est de eo, qui fecit furcam, & acuit gladium: non enim placet quod P. Auila, & alii docent, hos incurrere irregularitatem hanc.

Vazquez.

Auila.

Et explicatur ex eo, quod P. Auila supra sect. 2. dub. 1. §. 3. *sit irregularis*, vbi dicit non incurrere hanc irregularitatem famulum scribæ, qui transcribit, vel scribit sententiam, non vt minister iustitiæ, sed vt famulus ministri: quod etiam alii admittunt, & est verisimum: quia iste non concurrit vt minister iustitiæ.

Item possunt prædicta confirmari ex alia sententia aliquorum, qui docent non esse irregulares famulos, vel alios, qui comitantur ministros iustitiæ, quando volunt exequi mortis pœnam, si non aliter comitentur quā m, vt aliàs solent comitari suos dominos, vt colligitur ex Syl uest. homicidium 3. §. 2. Nauarro supra, num. 2. P. Henriquez cap. 12. & multis aliis: quod mihi videtur verum, quia tunc famuli nihil efficiunt vt ministri iustitiæ.

Deinde dubium mihi non est esse irregularem, qui vt minister iustitiæ torquet reum, ita vt sequatur mors: quod colligitur ex dictis: quod cum aliis Doctoribus docet Pater Auila supra, §. 4. sicut.

Addendum est, quæ diximus de iudice, & ministris iustitiæ, non habere locum in Inquisitoribus, & eorum ministris: quia ipsi Inquisitores possent procedere in causis suis, ita vt solùm illis sit prohibita executio mortis, vt benè docuit P. Auila supra, dubio 2. ex quadam Bulla Pauli IIII. concessa Cardinalibus, quam confirmauit Pius V. & extendit ad omnes Inquisitores, Vicarios, Consultores, & commissarios: ex quo infertur quod diximus de eorum ministris.

Vlterius casus est frequens, ex quo solent oriri dubia viris bonæ conscientiæ, an incurrat irregularitatem, qui aliquo modo facit, vel dicit aliquid, ex quo citiùs sequatur mors rei, quando illum comitatur, verbi gratia, si dicat, Pergamus citiùs, vel si dicat reo, Ascende citiùs, quando ascendit scalam. Pater Auila supra, cum Patre Henriquez solùm excusauit hos actus ab irregularitate, quia non solent esse plenè liberi, quod necessarium est ad talem irregularitatem.

Ego verò existimo distinctione opus esse: nam vel isti actus sunt peccata mortalia, quia qui illos facit iniustè, est causa vt mors citius fiat; & tunc incurritur irregularitas, quæ oritur ex delicto, de qua modò non agimus, neque tale peccatum fit à personis religiosis in hoc euentu: vel non sunt peccata, & tunc existimo non incurri irregularitatem ex defectu lenitatis, nisi aliquid faciant, vt ministri publici iustitiæ; nullum est enim ius, quod pro priuatis personis imponat hanc irregularitatem, de qua nunc disputamus.

Sed

Sed contra ea, quę diximus, potest obijci caput, Ex literis, de excessibus Prælatorum. Verùm ex hoc capite nihil colligitur contra nostram doctrinam, quia ibi est sermo de Episcopo, qui authoritate, & pręsentia corporali assistebat cuidam homicidio: vnde verbum *authoritatis* modum cooperandi personæ publicæ significat.

Item sermo est de irregularitate cōtracta ex culpa: de quo capite P. Auila supra sect. 2. dub. 16. qui alios citat, & explicat de eo, qui assistit, habens iurisdictionem temporalem, & præbet authoritatem suo ministro ad executionem sententiæ, secus si alio modo assistat. *Auila.*

DVBIVM IIII.

An sit irregularis confessarius, qui est causa, vt iudex ferat mortis sententiam.

ALiqui Doctores docent, confessariū in confessione solùm posse iudici cō fitenti dicere, vt seruet leges, & ex consilio Iurisperitorum satisfaciat suæ obligationi. Ita P. Henriquez cap. 16. num. 4. P. Auila supra dubitatione 6. & multi alij. *Henriquez. Auila.*

Sed P. Suarez supra contrarium docet, & Bañez 2. 2. ad quæst. 64. in art. 8. dub. 6. in fine 2. conclusionis. & sentiebat P. Vazquez, & illū sequuti sunt viri docti huius ętatis de hoc interrogati ex secularibus, & religiosis Hispaniæ, quod tradidi 2. 2. ad quæst. 40. de bello: & ideò non est necessarium ea repetere: & ratio sumenda est ex dictis, quia solùm incurrunt qui vel sunt necessarij ad causam iudicialem, vel vt ministri iustitiæ assistunt executioni mortis. *Suarez. Vazquez.*

Solet autē quæri, an incurrat irregularitatē vir doctus, qui interrogatus a iudice, an sit obligatus ad occidendū aliquem, respondet esse obligatū. Legantur P. Henriquez, & P. Auila supra, qui alios citat. Ego verò dixi loco citato non incurrere, etiā si expressè dicat, iudicē obligari ad occidē dum: quia non est ius, ex quo colligatur incurri, si interrogatus respondeat esse obligationem seruandi leges eius materiæ; & incurrere, si expressè dicant esse obligationem occidendi: & hoc sensit P. Vazquez, & multi alij huius ętatis. *Hēriquez. Vazquez.*

Ex tradita verò doctrina facilè intelligitur posse cōcionatores sine periculo irregularitatis exhortari iudices ad seruandas leges, & clericos posse dare consiliū Principi de ferenda lege, quæ confirmat pœnā mortis.

Deinde est dubium, an incurrat irregularitatem confessarius, qui non vult absoluere reum, nisi fateatur crimen, de quo est interrogatus iuridicè, etiam si ob illud sit occidendus. Et negat P. Henriquez cap. 16. num. 4. P. Suarez loco citato, & P. Auila supra dubio 7. & meritò: quia pro hoc euentu non est irregularitas iure expressa, neque iste confessor operatur vt minister iustitiæ secularis, sed in foro conscientiæ facit quod debet. *Hēriquez. Suarez. Auila.*

Ex dictis potest solui aliud dubium de eo, qui detegit malefactorem, vel clamat adesse latronem, vt comprehendatur, an fiat irregularis morte subsequuta.

Aliqui affirmant, istum esse irregularem, si manifestaret malefactorē ijs, quos sciebat eum quęrere ad puniendum morte, secus si id ignorabat. Ita Nauarrus cap. 27. num. 217. Couarrub. 2. p. §. 3. & P. Auila, cum alijs supra dubio 10. & probatur ex capite tua nos, de homicidio, §. vltimo, in quo dicitur, nō esse irregularem scholarē, qui dedit signa latronis, qui ipsum scholarem voluit interficere: ex quo volunt colligere, quòd non sit irregularis, quòd erāt parua signa: vnde si essent magna, censeretur irregularis. *Auila.*

Sed ex hoc capite nihil probatur, quia nihil dicitur de manifestatione certa omninò.

Ego verò censeo fore irregularem, quādo qui sic manifestat, esset accusator, vel testis necessarius ad cognitionem causæ, vel hoc faceret vt minister iustitiæ.

Sed quęres quomodò ergo in citato capite, Tua nos, de homicidio, dicitur nō esse negandum ius ordinis scholari, ob cuius testimonium fur punitus fuit? Glossa ibi dicit, illum scholasticum nō fuisse inductū vt testem, & ita non fuisse irregularem: & ita nec facto, nec verbo fecit homicidium.

Sed cùm ille scholaris dederit signa, ob quæ latro comprehēsus est mutilatus, explicandum restat, quare non incurrat irregularitatem: nam facto suo videtur causa mutilationis, & homicidij sequuti.

Couarrub. respondet, ea signa non fecisse aliquod certum genus probationis, sed

sed solùm leue quoddam indicium, quod solùm reputatur causa remota, quod amplectitur P. Auila supra: sed P. Auila, & aliqui alij, qui ita sentiunt, non videntur consectariè loqui, quia putant esse irregularem, vt supra vidimus, qui vendit funes, vel qui fecit furcam; & tamen isti remotiores causæ videntur. Auila.

Sed forte ideo ille scholasticus non fuit irregularis, quia non fuit causa deformationis, nam propter illa signa non debuit latro mutilari. Item non fuit causa mortis, quia videtur sequuta ex eo, quòd latro noluit cibum sumere. Et ideo Pontifex non dixit mutilationem fuisse effectum manifestationis factæ ab scholastico, sed euentum.

Quod verò supra diximus, intelligendum est, quando is qui manifestat, inducitur vt testis, & verè est hac ratione causa conueniens ad substantiam actus iudicialis, & sufficiens ad mutilationem, vel mortem: & quod dictum est de manifestante directè, & expressè latronem, intelligi debet à fortiori in eo, qui solum indirectè, & quasi implicitè manifestat, legatur P. Auila supra referens plures Doctores. Ex dictis possunt solui plura dubia in specie. Auila.

In fine huius disputationis placet aduertere ea, quę hactenus diximus de homicidio in hac disputatione locum habere in mutilatione facta per sententiam iudicis, quia vt dubio 1. notaui, per sentẽtiam sanguinis intelligunt Doctores mortem, vel mutilationem.

DISPVTATIO LXVII.

De irregularitate ex deformatione, ve mutilatione membri.

DE Deformatione facta à iudice, vel aliis ministris iustitiæ in causa sanguinis, philosophandum est iuxta dicta disputatione præcedenti. Nunc verò disputandum est de mutilatione iniusta, & ex dicendis constabit, quid debeat intelligi per mutilationem in hac materia.

(.?.)

DVBIVM PRIMVM.

An qui ex percussione ita debilitat membrum, vt non possit suam actionem exercere, sit irregularis.

AFfirmat Syluester homicidium 3. §. 3. & probat ex Clementina, Si furiosus: quia ibi non tantùm dicitur irregularis, qui mutilauit, sed qui truncum fecit: ergo aliud est mutilare, & aliud truncum facere: illud enim est abscindere mẽbrum, hoc debilitare: & idem sensit Angelus homicidium 5. quęst. 5.

Sed contrarium docuit Sotus 5. de iust. quæstione 2. art. 1. Nauarrus in summa capite 27. numero 206. Pater Vazquez, & al.j, Pater Suarez disputatione 44. sect. 2. art. 5. P. Auila parte 7. disputat. 5. sect. 1. dub. 2. Vazquez. Suarez. Auila.

Primò, quia in prædicta Clementina non distinguitur mutilatio à truncatione. Solùm enim fit mentio mutilationis, secundum emendatos codices. Item etiã si poneretur vtrumque verbum, tamen apud Latinos eundem habet significatum: & hæc sententia mihi probatur. Vnde dicendum est, non esse irregularem qui percussit, si non mutilauit.

Sed difficultas est, cuius partis mutilatio faciat irregularem.

Ponendum autem est, mutilationem constituere irregularem, cap. 1. de clericis pugnantibus, capit. Clericus, ne clerici, vel monachi. Conueniunt verò Doctores, abscisionem carnis solius non dici mutilationem, quia caro non est membrum, sed pars similaris.

Sed videndum est, quid sit intelligendum nomine membri. Et quidem Aristoteles lib. 1. de partibus animalium capite vltimo sic definit membra dicens, quòd membra officiorum gratia constant, & munerũ ad quæ singula accommodantur. Vnde definitio Galen. 1. de vsu partium cap. 1. quòd sit nec omnino per se habens propriam circunscriptionem, nec omnino aliis coniunctam, non tam membri, quàm partis dissimilaris diffinitio est, nam articulo digiti conueniunt, quod ex communi vsu non dicitur membrum.

Ex Aristotele ergo Pater Vazquez colligit mẽbri definitionẽ, quòd sit habẽs Vazquez.

P pro-

propriam operationem in animali,& ita Paulus 1. Corinth. cap. 12. dixit, corporis membra non habere eundem vsum.

Notant aliqui non auferre rationem membri, quod suam operationem non possit facere solum, nam digitus censetur membrum, & sæpe non potest sine aliis operationem elicere: requirit ergo, & sufficit ad rationem membri, quòd sit pars animalis integrans habens propriam operationem, quę saltem sine illo fieri non possit. Et ideo multi viri docti existimant ex digitis solùm pollicem esse propriè membrum: vnde qui aliquem alium abscinderet, non fore irregularem. Sed res videtur aliis plena scrupulo, quia quilibet digitus communi vsu dicitur membrum: de quo dicam dubio sequenti. Neque contra hoc est quod dixit Aristoteles libro 4. de partibus animalium capite 10. circa medium pollicem pluribus digitis ęquari, & sine hoc alios fere inutiles esse: nam ex hoc non sequitur, quòd non sunt membra, cùm habeant aliqualem operationem etiam sine pollice.

Suarez. Deinde Pater Suarez supra refert ex aliquibus Iurisperitis, ad rationem membri necessarium esse, vt sit pars in corpore humano, quasi integrum instrumentum proximum alicuius actionis, vt manus, vel pes, non tamen partes horum membrorum. Quam doctrinam videntur sequi Syluest. homicidium 3. numero 5. Angelus homicidium 5. num. 6. & explicatur, nam cap. Exposuisti, de corpore vitiat. defectus vnius manus dicitur mutilatio: capite autem secundo, de clerico ęgrogante, defectus dimidiæ palmæ cum duobus digitis solùm dicitur debilitas, & deformatio: & confirmari potest ex Paulo supra citato loco.

Sed Theologi non parui ab hac sententia discedunt. Caietanus 2. 2. quæstione 65. art. 1, Sotus 5. de iust. quæstione 2. articulo 1. Pater Suarez supra, & alii huius ętatis, qui docent non esse necessarium, vt membrum in hac materia habeat per se aliquem actum, sed sufficit, si habeat peculiarem cooperationem. Et secundò probant, quia eunuchus inter mutilatos numeratur in iure, iuxta caput, Ex parte, de corpore vitiatis, & multa capita distinctione 55. & tamen eunuchus non caret membro, quod per se, sine alio habeat propriam operationem.

Tertiò ex communi sensu digitus vnus videtur esse membrum, cùm sit pars organica.

Quartò, quia aliquando ius solùm requirit mutilationem, Clement. Si furiosus: vel si requirat mutilationem membri, indicant sufficere diminutionem notabilem, capite 1. de clericis pugnantibus, illis verbis, *Membrorum diminutio.* Et hæc opinio mihi est valde probabilis, quæ ex dicendis dubio sequenti amplius intelligetur.

DVBIVM II.

An vnius auriculæ, mamillæ, aut oculi, aut digiti abscisio, sufficiens sit ad irregularitatem.

Circa primum aliqui negant, & docuit Couarrub. supra, Salcedo in pra ctica criminali cap. 99. & alij huius ætatis, quia auricula non est membrum, neque abscisio illius videtur grauis mutilatio. Idem docuit P. Auila parte 7. disp. 5. sect. 1. dubio 1. 5. sequitur 2. & assignat rationem, quia sola cartilago non deseruit nisi ad ornatum & custodiam auris. Auila.

Sed contrarium docuit Nauarrus in summa cap. 27 num. 223. & P. Suarez supra sect. 2. num. 8 quia talis abcisio videtur satis grauis in parte superiore, & publica. Suarez.

Mihi satis probabilior videtur prima opinio, & negare non possumus esse tutam in praxi.

Circa secundum negant Couarrub. & Salcedo, quia non videtur mamilla membrum aliquod.

Sed contrarium docuit Pater Suarez supra, ob sententiam suam de graui deformatione.

Mihi placet iudicium Patris Vazquez, qui duo docet: alterum est, talem abscissionem mamillę fœminæ esse sufficientem ad inducendam irregularitatem, quia est membrum, quod habet propriam operationem, nempe sanguinem conuertere in lac.

Alterum, talem abscisionem mamillæ in viro non inducere irregularitatem, quia

quia non habet aliquā operationem, & solum videtur abscisio partis carnis.

Deinde de vno oculo aliqui negant eius abscisionem sufficere ad irregularitatem, sine idoneo tamen fundamento.

Vazquez. Merito ergo Pater Vazquez, & alij affirmant, quia vnus oculus habet propriā operationem, & periculiatem, quam potest elicere sine alio, vt tradunt philosophi in libris de anima.

Rursus abscisionem vnius digiti aliqui docent non sufficere, quicumque ille sit: ita P. Auila supra. Auila.

Suarez. Sed P. Suarez hoc solum putat verum de duobus digitis minoribus, de aliis rem censet dubiam, & indigere dispensatione.

Vazquez. Pater Vazquez sensit solam abscisionem pollicis inducere irregularitatem, quòd ille sine aliis possit operari. Sed de omnibus mihi est res valde dubia. De ablatione vnius dentis docuit supra P. Auila non sufficere ad incurrendam hanc irregularitatem, quòd mihi placet, sicut quòd dicunt Doctores communiter effusionem sanguinis, aut solius carnis abscisionem non satis esse ad contrahendam hanc irregularitatem.

Illud vocatur in quæstionē, an abscisio mēbri aridi sufficiat ad hanc irregularitatem, quę sufficeret si aliàs membrum non esset aridum.

Auila. Affirmat cum aliis P. Auila supra dubio secundo, in fine, & probari potest, quia illa vere est abscisio membri. Pro qua alios citat Pater Suarez.

Suarez. Pater Suarez supra distinguit de membro omnino mortuo, vel de eo quod solum est impeditum, & quasi inutile ad suum munus exercendum: & si sit mortuum, putat non sufficere, quia tunc non est membrum illud humanum, & ita abscisio eius non indicat irregularitatem, & docuit Nauarrus capite 27. num. 210. si autem membrum verè sit viuum, sufficiet abscisio ad irregularitatem. Et hanc opinionem existimo veram.

Item solet esse dubium de sola deformatione, sine mutilatione, an sufficiat aliquando: & affirmant aliqui, & Suarez. alij negant. Legatur Pater Suarez supra numero 11. sed de hoc sicut de eo, qui solum debilitat membrum, philosophandum est.

Deinde notant Doctores hanc irregularitatem non incurri ob causam abortus ante animationem fœtus: quod intelligitur secundum ius antiquum; illam tamen imposuit Sixtus V. propter talem effectum. Sed Gregorius Decimusquartus reuocauit hanc Sixti V. constitutionem, & reduxit ad terminos iuris communis: vt notarunt viri docti, & affirmat Pater Suarez supra, in fine.

DVBIVM III.

Quomodo sit philosophandum de amente, furioso, ebrio, & dormiente circa homicidium, vel mutilationem.

Difficultas est, an incurrant irregularitatē propter homicidium, vel mutilationem factam in tali dispositione.

Syluest. homicidium 3. q. 4. affirmat si sciebat quod in eo statu solebat arma sumere, & reuera sequutum est homicidium.

Contrarium verò docuit Castro lib. 2. de lege penali cap. 14. quia textus de iis non loquitur.

Alij verò Doctores distinctione vtuntur, nam si isti habeant experientiam, & occurrit aliqua cogitatio de eo effectu, quòd occidere, vel mutilare soleat, aut posuit, & culpa sua incidant in talem statum, erunt irregulares, quia isti vere peccant peccato homicidij, & effectus sequutus est reipsa.

Si tamen non habeant talem experientiam, neque præuideant periculum, non incurrent irregularitatem, quia non fecerunt peccatum homicidij. Quod verò requiratur, vt imputetur effectus in statu prædicto, diximus in materia de peccatis, prima secundæ ad quæstionem 76. legatur P. Vazquez 1. 2. disputatione 94. num. 17. & disp. 127. est autem necessarium, vt aliqua cogitatio occurrat de eo euentu, aliàs non imputabitur. Ita de irregularitate philosophatur Pater Vazquez disputatione illa 94. & tractatu manuscripto de irregularitate. Vazquez.

Notandum verò est, quòd licèt in Clementina, Si furiosus, tantùm fiat mentio dormientis,& furiosi;tamen eadem est ratio de aliis, quando cætera sunt paria, quantum ad cognitionem. Legatur Couarrubias 3.parte relectionis in Clementina,Si furiosus,& ex principiis traditis plura dubia in specie solui possunt.

DISPVTATIO LXVIII.

De Irregularitate propter homicidium, vel mutilationem factam in bello.

DVBIVM PRIMVM.

An occidentes, aut mutilantes aliquem in bello, sint irregulares.

HOc potest contingere, vel in bello iusto,vel in bello iniusto. Legatur P.Suarez disp.47.à sect.5.

Et primò de bello iniusto philosophandum,sicut de iniusto homicidio, & mutilatione,iuxta doctrinam supra à nobis traditam,siue quæstio sit de occidente,siue de cooperatoribus: & hæc non est irregularitas ex defectu lenitatis, sed propter homicidium, quod est peccatum.

Deinde de bello iusto considerandum est,an sit solum defensiuum: & philosophandum est sicut de homicidio ob solam defensionem, de quo supra: & legi potest Pater Suarez supra sectione 6.

Restat dicere de bello aggressiuo iusto, quod fit ad sumendam iustam vindictam de inimicis.

Et communis sensus est,non incurrere irregularitatē, qui non occidit,aut mutilat,licèt pugnet in bello: quia caput,Petitio, de homicidio, postulat homicidium ad incurrendam hanc irregularitatem.

Deinde quisquis occidit, vel mutilat per seipsum,manet irregularis ex defectu lenitatis, etiamsi iuste operetur, capite, Si quis, & capite, Aliquantò dist.51.

Ex dictis solui potest dubium,quod nō nulli tractant de eo,qui authoritate Regis occidit hostem reipublicæ, an ille incurrat irregularitatem: affirmandum enim est incurrere irregularitatem ex defectu lenitatis, quia id agit tanquam persona publica,Ita P.Suarez supra sect. 6.num.6. Suarez.

Dubitatur tamen de eo,qui vendit arma, vel tribuit illa ad bellum iustum. Et Pater Suarez,vbi proxime docet,quòd si istæ actiones fiant solùm generatim, & ordinentur ab bellum iustum, non incurritur irregularitas propter illas; si tamen fiant in ipso bello, & ordinentur determinatè ad occidendum, incurretur irregularitas, quia actio illa tendit determinatè ad homicidium.

Alij putant, non incurri irregularitatem, quia, vt supra dicebamus, hæc irregularitas requirit homicidium, non quomodocumque;aliàs princeps, qui gerit bellum, ex solo imperio, & præcepto erga milites, illam incurret: ergo sicut in illo non sufficit tale imperium, multò minùs in priuata persona actio vendendi, vel mutandi arma ad bellum gerendum, etiam quando iudicatur prudenter, futurum homicidium. Et hoc placitum non videtur improbabile.

DVBIVM II.

Quomodo clerici in bello contrahunt irregularitatem.

DE Hoc dixi secunda secundæ ad quæstionem 40. circa articulum secundum, & hic repetam aliqua. Ponendum verò est primò,prohibitum esse clericis bellum gerere, quòd intelligunt de constitutis in maioribus ordinibus. Secundò docent authores,hanc prohibitionem esse de iure positiuo. Tertiò docēt posse clericos suadere bellum licitum;hoc enim non est illis prohibitum.

Quartò certum est,clericum posse licitè pugnare in bello de licentia, vel impe-

imperio Pontificis: in quo casu non incurreret clericus irregularitatem: vt docuit Couarrub. in Clemen. Si furiosus 2. parte §. 3. & alij. Hoc enim ipso Pontifex auferre censetur pœnam, aut inhabilitatem.

Quintò, clericus qui est dominus temporalis, potest licitè indicere bellum, quando adsunt requisita ad hoc, vt tradunt Doctores in materia de bello.

Item certum est, posse clericos interesse bellis iustis, vt subueniant militibus.

Item conueniunt Doctores, esse irregularem clericum, qui pugnat in bello iniusto: & hæc irregularitas oritur ex homicidio voluntario.

Vlterius certum est, esse irregularem clericum, qui occidit aliquem in bello, etiam iusto. Ita Couarrubias supra cum aliis, quos citat.

Deinde non incurrit irregularitatem clericus, ex eo quòd vel ante inceptum bellum, vel in ipso bello hortatur milites ad pugnandum fortiter.

Difficultas verò est, an sit licitum clericis, sine periculo irregularitatis exhortari milites ad occidendos hostes. Et vt retuli secunda secundæ loco citato, alij quinegant hoc licere, & docent quòd si clerici hoc faciant, contrahent irregularitatem homicidio subsequuto, & colligere contendunt ex iure, vt infra referam.

Sed multi viri docti huius ætatis sentiunt propter hanc exhortationem non incurrere clericos irregularitatem, si propter priorem non contrahunt, quia idem videtur sensus exhortationis vtriusque, consideratis rectè circunstantijs, licèt in prioribus verbis non exprimatur apertè exhortatio ad occidendum, bene tamen includitur implicitè, si necessaria est ad consequendam victoriam: & eundem esse sensum vtriusque exhortationis, docuerunt Innocentius, & Panormitanus in caput, Quod in dubiis, de pœnis; quamuis contra eamdem doctrinam dixerint in vtroque casu clericum incurrere irregularitatem: est ergo probabile, in posteriori euentu non incurrere clericum irregularitatem propter rationem factam, & quia in iure non est expressa irregularitas pro euentu posterioris, potius quàm pro priori, & iure statutum est, vt quoties non est expressa irregularitas, non sit deducenda à simili, vt notauit Pater Vazquez prima secundæ disput. 65. cap. 3. habetur verò cap. Is qui, de sententia excom. in Sexto. Vazq.

Sed obiicietur caput, Quicumque 23. quæstione 8. Verùm ibi solum dicitur, Sacerdotes non debere propria manu arma sumere, sed alios ad accipiendum hortari.

Secundò solet obiici caput Episcopus, ne clerici, vel monachi in sexto, ex quo aliqui volunt colligere licitum esse exhortari ad fortiter pugnandum, & consequendam victoriam; non tamen ad occidendum hostem: & colligunt à simili, quia ibi est sermo de iudice. Verùm ex eo capite nihil colligitur contra doctrinam supra relatam, quia ibi non dicitur Episcopum contrahere irregularitatem, si vsus fuerit illis verbis, Exequere pœnam mortis, vt legenti constabit. Deinde vel in eo capite conceditur Episcopo aliquod priuilegium, & secundum hoc etiam qui in genere exhortetur iudicem ad seruandas leges imponentes pœnam homicidij, incurrere irregularitatem: quod est contra communem sensum; vel solùm explicatur non incurrere per illa verba Episcopum irregularitatem: & recentiores citati contendunt idem esse per alia verba, quæ eundem habent sensum.

Ex principijs traditis possunt plura dubia in specie solui.

Tandem quærunt aliqui, an per alias actiones contrahatur irregularitas ex defectu leuitatis. De quo Pater Suarez disputatione citata 47. sectione vltima. Et ratio dubitandi sumitur ex actione medicorum, qui solent petere dispensationem, quando volunt suscipere ordinem sacrum; sed bene notat Pater Suarez medicum non contrahere irregularitatem hanc ex defectu leuitatis; posse tamen contrahere aliam ratione homicidij, ob culpam in suo officio. Suarez

(.:.)

DISPVTATIO LXIX.

De irregularitate quæ contrahitur ex infamia.

DVBIVM PRIMVM.

An infamia orta ex proprio peccato inducat irregularitatem.

ANte quàm disputemus, an ex infamia oriatur irregularitas, oportet breuiter explicare quid sit infamia, & quotuplex.

Infamia priuationem famæ bonæ, seu diminutionem eius significat.

Est autem famà illæsæ dignitatis status vita & moribus comprobatus, & in nullo diminutus, l. cognitionem, ff. de variis, & extraordinariis criminibus. Infamia ergo erit huius status diminutio, quæ per publicam, prauamque opinionem habetur de aliquo.

Item Augustinus libro 83. quæstionum quæstione 31. dixit gloriam, seu famam esse claram cum laude notitiam, & è contrario infamia erit obscura cum vituperatione notitia.

Ex his verò facilè constat infamię materiam esse vitium aliquod, seu defectum: & ita primò potest diuidi infamia in eam, quæ oritur ex defectu, qui est proprie peccatum, & culpa personæ; & in eam, quę est de defectu, & qualitate personæ, quæ sine peccato eius potest contingere.

Secundò diuiditur in infamiam iuris, & facti, id est, quæ oritur vel supposita dispositione legis, vel solùm ex facto alicuius: quod secundum communem opinionem inducit infamiam.

Tertiò diuiditur legalis in ciuilem, & canonicam, iuxta legem, ex qua oritur, vt pœna, de qua fusè P. Suarez disp. 48. sect. 1. *Suarez.*

Quomodò verò delictum, aut defectus debeat esse publicus ad infamiam, pendet ex variis circunstantiis, & legi potest P. Suarez supra.

His præmissis certum est, aliquando oriri irregularitatem ex infamia orta ex proprio peccato: nam infamis non admittitur ad ordines sacros, capite infamis 6. quæst. 1.

Secundò docent authores, hanc incurri per omnem infamiam canonicam, & per illam solam. Prima pars probatur, quia iura generatim loquuntur. Secunda, quia debet esse in iure canonico expressa.

Deinde sciendum est, omne peccatum mortale publicum constituere hominem canonicè infamem, & irregularem, quandiu in eo statu publicè perseuerat. Ita sumitur ex capite, Testamentum, de testibus.

Rursus, quando infamia per legem, aut sententiã iudicis imposita est ipso facto propter peccatum, irregularitas, quæ ex illa oritur, non aufertur per pœnitentiam, sed necessaria est dispensatio. Ita P. Suarez disp. 47. sect. 2 quia talis in dignitas requirit auctoritatem potentis dispensare. *Suarez.*

Sed quæstio est, quando lex aut sententia, non imponit talem infamiam ipso facto.

Et aliqui docent, esse necessariam dispensationem, quoties infertur ex crimine grauiori depositione digno, & notorio. Ita Nauarrus in capite, Si quando, de rescriptis, exceptione 17. & in summa capite 25. numero 7. & capite 27. numero 154 & 248. Maiolus libro 5. capite 1. & 12. & libro 3. capite 1.

Sed contrarium docet P. Suarez disputat. 48. sectione 2 Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punitione, capit. 9. & alii, quos citat P. Suarez. quia si propter tale delictum lex non imponat ipso facto infamiam, sed ferendam per iudicem, tunc non est causa, ob quam dicamus esse necessariam dispensationem; tunc enim solùm durat, quandiu status ille peccati perseuerat. Et mihi hæc sententia placet.

Disputant verò, quis possit auferre hanc irregularitatem, quando sola pœnitentia non sufficit. Et difficultas est, an possit saltem indirectè auferri per potestatem Principis secularis auferentis infamiam.

Aliqui affirmant absolutè, & sine distinctione: quia aufertur materia irregularitatis, verbi gratia, si quis fiat infamis ob peccatum læsæ Maiestatis, si Rex remit-

remittit infamiam,non erit necessaria dispensatio superioris Ecclesiastici.

Alij distinguunt de infamia in eo, qui fecit delictum,& in filiis eius, & in illo dicunt esse necessariam dispensationem, non in aliis. Ita philosophatur Maiolus lib.3.cap.1.num.3. sed neutrum probat iure aliquo.

Alij alia distinctione vtuntur: docent autem infamiam posse esse talem, vt oriatur non solùm ex iure ciuili, sed etiam ex canonico:& in hoc dicunt non sufficere ablationem infamiæ factam à Principe seculari, quia necessaria est potestas etiam Ecclesiastica in ordine ad Ecclesiasticos effectus: quando tamen infamia non est directè, & expressè posita à iure canonico, tunc poterit sufficere ablatio illius per potestatem secularem. Ita Suarez. P.Suarez supra numero 10. & mihi probatur, & videtur vsu recepta doctrina, quia legitimatio Principis secularis non sufficit, vt quis possit suscipere ordines sine dispensatione, quando defectus natalium impedit.

Item quæritur, an hæc infamia auferatur per baptismum: & aliqui affirmant, & alij negant: alij docent infamiam ciuilem, quæ oritur ex legibus Christianorum, quibus aliquis ante baptismum erat subiectus, non auferri per baptismum, quia baptismus non habet hoc ex institutione Christi, neque iure humano Ecclesiastico videtur concessum; vel oritur ex infidelium legibus, inter quas infidelis viuebat: & hæc infamia licet non tollatur per baptismum, cessat tamen inter Christianos, quia canones loquuntur de tali infamia. Ita philoso- Suarez. phatur P.Suarez supra.

DVBIVM II.

An ex infamia non fundata in proprio delicto oriatur irregularitas.

Communis sententia est aliquando oriri talem irregularitatem, aliquando non oriri: ad cuius explicationem notandum est primò ex infamia facti, quæ non fundatur in peccato propriæ personæ, nunquam oriri irregularitatem seclusoiure speciali, quia secluso iure nullus notatur tali infamia, quia ex sola natura rei nō dicitur, nisi ex proprio facto: quod fusius explicat Pater Suarez supra sectione 3. qui benè notat hic esse sermonem de infamia: nam si solùm sit sermo de impedimento, ob quod quis est irregularis, aliquando fieri potest sine proprio peccato, vt si loquatur de impedimento vsus rationis. Suarez.

Secundò notat infamiam iuris, & irregularitatem aliquando incurri absque peccato proprio eius, qui incurrit, & explicatur: nam filij eorum, qui manus violentas in Cardinales iniecerunt, Sunt ipso iure infames, cap. Felicis, de pœnis in 6. & filij proditorum, qui committunt crimen læsæ Maiestatis: nam istorum filij iure ciuili efficiuntur infames, Lege quisquis, C. ad legem Iuliam.

Alia infamia solet ex vsu alicuius artis vilis, & abiectæ conditionis. Semper tamen necessarium est, vt talis infamia oriatur ex aliquo iure, vt benè P. Suarez Suarez. supra, & legi potest Maiolus lib.3.capit. 1.num.5.

DISPVTATIO LXX.

De irregularitate ex bigamia.

DVBIVM PRIMVM.

Quomodo ex vera bigamia irregularitas oriatur.

Ante omnia sciendum est, nomen bigamiæ significare duplicationem matrimonij: solet autem distingui triplex bigamia. Prima est vera, quoties, quis duplex matrimonium contraxit, & consummauit: habetur hæc species capite, Debitum, de bigamis, & aliis locis. Secunda est bigamia interpretatiua, cum duplex matrimonium consummatur, sed vel neutrū, vel saltem vnum eorum non est validum, vel cùm quis dicit nonvirginem, vel si duxit virginem, cognouit eam post adulterium.

Tertia est bigamia similitudinaria, nempe quando in sacris constitutus, vel professus, contrahit matrimonium, &

consummauit cum vna, etiamsi sit virgo, de quibus infra dicemus.

Ex hac doctrina colligitur, nunquam contrahi bigamiam, aut irregularitatem hanc sine matrimonio de iure, vel de facto inito, vt cum multis probat P. Thom. Sanchez lib. 7. de matrimonio disput. 83. num. 3.

Tho. San.

Item certum est non sufficere matrimonia, nisi etiam intercedat carnalis copula, capit. Debitum, de bigamis. Ita P. Thom. San. disp. cit. cum multis Doctoribus, qui meritò reprobat magistrum dicentem in 4. disp. 27. sufficere matrimonium ratum ad bigamiam.

Item non sunt audiendi, qui dixerunt professum contrahentem matrimonium, etiamsi non cõsummet illud, fieri irregularem: sed contrarium docuit Pater Thomas Sanchez cum multis aliis, & Valentia 4. part. disp. 7. quæstione 19. puncto 3. Toletus libro 1. summę capite 26. Pater Emanuel de Sa verbo irregularitas, agens de irregularitate bigamiæ numero 4.

Valentia.

Sa.

Sed potest obiici caput quotquot 17. quęstione 1. vbi professus contrahens matrimonium ob violationem voti dicitur irregularis.

Sed respondendum est, quòd licèt non fiat mentio copulæ, tamen fit, quia in aliis capitibus, in quibus fit mentio bigamiæ, semper fit mentio copulæ.

Difficultas est, an requiratur non solùm copula carnalis, sed virilis seminis effusio.

Aliqui dicunt non esse necessariam effusionem seminis, quia per talem copulam Ecclesia præsumit etiam seminis effusionem: pro qua sententia citat aliquos P. Thom. Sanchez num. 6.

Tho. San.

Contrarium tamen cum quibusdam Doctoribus, docet Pater Thomas Sanchez num. 6. qui putat in foro conscientiæ non contrahi bigamiam irregularitatis, & probat quia capite, Debitum, de bigamis, requirit tantum matrimonium cõsummatũ, & tamen sine effusione seminis non est simpliciter consummatũ, vt cum aliis probat libro 2 de matrimonio disp. 21. Item quia iste non diuidit carnem suam cum vxore: quia non fit vna caro cũ illa, cap. lex 27. quęst. 2. & mihi videtur probabilis.

Sciendum verò est, hanc irregularitatem fuisse introductam, propter defectum significationis in eo, qui cum duabus prædictis fœminis contrahit, & dicitur defectus significationis Sacramenti, id est, matrimonij Christi cum Ecclesia, quod est coniunctio vnius cum vna. Quæ doctrina sumitur ex Celestino Tertio, capite, Debitum religionis.

Item quæstio posset esse, an requiratur ad incurrendam bigamiam effusio seminis non solùm viri, sed fœminæ: & negat P. Thomas Sanchez numero 6. in fine quia probabilius est sine tali semine fœminæ cõsummari matrimonium, & mihi placet propter ea, quæ docui in materia de matrimonio.

Tho. San.

Ex doctrina verò tradita vnum, vel alterum dubium, resoluit P. Thomas Sanchez num. 7. quod facile quisque intelliget.

Tho. San.

Difficultas verò est, an duplex matrimonium contractum ante baptismum, vel vnum ante, & aliud post, inducat bigamiam. De qua quæstione magna controuersia fuit olim inter S. Hyeronimum, & S. Augustinum: & Hieronymus epistola 83. & refertur capite 1. distinct. 26. & in caput tertium primæ ad Timotheum, & refertur capite 1. 28. quæstione 3. & in caput primum epistolæ ad Titum sensit, ex his matrimoniis non oriri bigamiam, vt incurratur hęc irregularitas. Idem sensit Glossa ordinaria, & Lyra in capite 3 primæ ad Timoth. Maior 4. distinct. 27. quęstione 6. dubio vltimo. Almainus 4. distin. 26 quęst. 1. probant verò isti Doctores, quia facta ante baptismum non imputantur post susceptum baptismum.

Secundò potest probari ex capite 1. distinctione 33. quod est desumptum ex Canone 17. Apostolorum, vbi dicitur, Si quis post acceptum baptisma, secundis nuptiis fuerit copulatus, non Episcopus, non presbyter, non diaconus, &c. ergo à contrario sensu secus erit quæstio, quando contraxit ante baptismum. Tertiò, quia hæc irregularitas est inducta iure Pontifici: ergo non obligat infideles ante baptismum. Et ad hæc argumenta reducuntur alia, quæ solent adduci.

Contrarium docuit Augustinus de bo-

no

no coniugali cap. 18. & refertur cap. Acutius dist. 26. & capite vltimo dist. 28. Ambrosius libro 1. de officiis capite vltimo, & refertur capite penultimo dist. 26. & est communis Schol. cum sanctus Thoma 4. dist. 27. quæst. 3. art. 2. & docent Iurisperiti in caput, Gaudemus, de diuortiis, P. Vazquez tractatu manuscripto de matrimonio agens de hac irregularitate, & definitum hoc est ab Innocentio epist. 22. cap. 2. epistola 2. cap. 5. & refertur cap. Deinde dist. 29. & capite, Si quis viduam & 2. 34. dist. expresse illis verbis: Sine ante baptismum: & probari potest, quia tale matrimonium habet defectum significationis supradictæ: ergo potuit Ecclesia statuere, vt baptizatus, qui ante baptismum contraxit duo matrimonia, vel alterum ante, & alterum post, non admittatur ad ordines: hoc autem non aufertur per baptismum ex institutione Christi, neque ex voluntate Pontificis: ergo.

Argumenta verò pro contraria parte facilem habent solutionem.

Ad primum constat baptismum non habere vim auferendi bigamiam, vt impedimentum est ad ordines. Ad secundum, inefficax est illud argumentum à contrario.

Ad Tertium constat impedimentum iuris positiui non ligare ante baptismũ, sed post; eos tamen, qui fundamentum naturale bigamiæ habuerunt ante baptismum.

His præmissis dicendũ est, bigamiam hactenus explicatam inducere irregularitatem: habetur cap. 1. & 2. de bigamis, & sæpe aliis locis.

DVBIVM II.

An contrahatur irregularitas ex bigamia interpretatiua.

DVbio præcedenti diximus quid sit bigamia interpretatiua; potest verò contrahi quattuor modis: vno quando quis duo contrahi matrimonia, alterum de iure, alterum de facto, id est, vnum validum, alterum inualidum: tertiò, quando dixit viduam à priori viro cognitam, vel per fornicationem corruptam, & cum ea consummauit matrimoniũ: vltimo quando duxit virginem, & postmodum ream adulterij carnaliter nouit.

Primum, & secundum modum colligunt Doctores ex capite, Nuper, de bigamis.

Et esse irregularem eum, qui contraxit duo matrimonia irrita, sentiunt Doctores multi, quos refert P. Thomas Sanchez supra disputatione 84. numero 3. Et docuit Toletus libro 1. de clericos cap. 24. Valent. tomo 4. disp. 7. quæst. 19. pũcto 3. Sa sum. verbo irregularitas agens de irregularitate bigamiæ numero 1. P. Suarez disputatione 49 sectione 2. numero 11. qui dicit se hoc non inuenire ita expressum in antiquis authoribus. Sed P. Thomas Sanchez fideliter citat plures antiquos, qui ita sentiunt: & probanda est hæc sententia ex capite, Nuper, de bigamis, vbi sermo est de clerico, qui ante sacrum ordinẽ contraxit matrimonium, & iam constitutus in ordine sacro aliud contraxit, & docet Pontifex illum tanquam bigamum reputandum, non propter sacramenti defectum, cùm saltem secundum matrimonium fuerit irritum, & nullũ; sed propter affectum ad duo matrimonia opere carnali subsequuto. *Tho. San.*

Ex dictis infertur, ergo quando est similis affectus ad duo matrimonia eodẽ opere subsequuto, etiamsi vlterius sit nullum, incurreretur iregularitas.

Sed P. Henriquez in summa libro 12 cap. 6 articulo 9 dixit hanc non esse speciem bigamiæ, & hanc partẽ, vt probabiliorem sequitur P. Auila parte 7. disputatione 8. dubio 1. §. sed partem negatiuam, quia non defuit sacramento vero significatio, cùm ibi non fuerit verum matrimonium. Secundo, quia casus non est expressus in iure, capite, Is cui, de sententia excommun. in sexto, vbi dicitur quemdam hominem non incurrere irregularitatem, quia non esse expressa in iure: & hãc regulã dixit obseruãdam esse P. Vazquez prima secundæ disputatione 65. capite 3. §. secundũ fundamentum. Et quòd in prædicto nõ incurratur bigamia, sentiunt docti Theologi huius ætatis, & alij sentiunt secundam opinionem esse probabilem. Et ad argumentum secundæ opinionis respondendum est hanc irregularitatem esse expressam in iure, quando est affectus, & externus cõtractus, licèt sit nullus: manet enim verus affectus ad duo matrimonia, & quamuis capite, Nuper, de bigamis, sermo sit de casu, in quo vnum matrimonium *Henriquez.* *Auila.* *Vazquez.*

nium fuerat validum, tamen ratio solùm assignatur ex affectu ad duo matrimonia opere subsequuto: sed negandum non est secundam opinionem esse probabilem.

Alter modus bigamiæ est, quando quis contraxit duo matrimonia, vnum validum, & alterum nullum: est communis Doctorum sententia, quos citauimus, & plures refert P. Thomas Sanchez supra num. 3. & constat ex capite, Nuper, de bigamis.

Tho. San.

Ex hac autem doctrina fit, fore irregularem, qui vera vxore nondum cognita post matrimonium ratum contrahit de facto cum alia: quam cognoscit carnaliter, & postea redit ad veram vxorem, quã cognoscit per copulam carnalem. Ita sanctus Thomas 4 dist. 27. q. 3. art. 1. quæstiuncula 2. ad 3.

Sed hanc doctrinam limitat P. Henriquez in sum. lib. 12. c 6. num. 9. in commentario, vt sit irregularis, qui duplex matrimoniũ contraxit, nisi quando primum fuit nullum, & cognita eius nullitate aliud contraxit: & probat, quia qui suscipit secundum baptismum, non est irregularis quando primus fuit nullus.

Sed hanc limitationem non puto verã: quia in hoc euentu est affectus ad duo matrimonia opere subsequuto, propter quod incurritur bigamia, & irregularitas, secus contingit in iteratione baptismi, de quo non est eadem iuris dispositio.

Alij limitant, vt non contrahatur hæc irregularitas, quando quis contrahit secũdum matrimoniũ sine peccato ignorans impedimẽtum dirimens, quia putat necessariũ esse delictum ad hanc bigamiam, & sequitur cum aliis Doctoribus P. Thomas Sanchez num. 6. in fine.

Tho. San.

Alij verò dicunt etiam in hoc casu incurri irregularitatem, quia non incurritur propter delictum, sed propter affectum duplicis matrimonij, iuxta supra dicta. Ita Angelus verbo bigamia numero 9. Syluester quæst. 7. & mihi magis probatur.

Alius modus bigamiæ interpretatiuæ est, quando quis vnicum matrimonium cũ vidua contractum consummat, si fuit à priori viro cognita, aut cum corrupta per coitũ illicitũ cõsummat, habetur cap. Debitum, & c. 1. de bigamis, & cap. vnico de clerico coniugato in sexto, & multis aliis capitibus, quę citat supra P. Th. Sanchez num. 7.

Addunt aliqui, non incurrere hanc bigamiam qui contraheret cum virgine existimans esse viduam, & probat ex doctrina, quam tradidimus in materia de excõmunicatione, quia ob solam voluntatem occidendi clericum non incurritur, si quis occidat laicum putãs esse clericum: quod etiam in aliis censuris est obseruandum: ergo & in irregularitate, siue sit pęna, siue inhabilitas, nõ incurretur quãdo actus externus, ob quem imponitur, non habet conditiones, quas ius requirit.

Sed potest obiici, nam bigamia incurritur ob affectum duplicis matrimonij subsequuto opere, etiamsi non fuerit vnũ verum matrimonium, iuxta caput, Nuper de bigamis. Respondeo esse diuersam rationem, quia ad hanc speciem bigamiæ non requiritur verum matrimonium, & tamen ad casum, de quo loquimur, requiritur matrimonium cum vidua, & tamen non est vidua cognita, sed virgo, quæ nullum contraxit matrimonium.

Sed est difficultas, an incurrat hanc irregularitatẽ, qui contraxit cum vidua, quando propter aliquod impedimentum matrimonium fuit nullum.

Aliqui affirmant hunc esse irregularem, & probant ex capite finali de bigamis, vbi assignatur ratio, ob quam constitutus in sacris contrahens vnicum matrimoniũ nullum ob ordinis impedimentum fit irregularis, nempe propter affectum contrahendi. Quæ ratio habet locum in præsenti. Ita Couarrub. in Clem. si furiosus de homicidio 1. p. §. 2. num. 2. & dicit esse communem.

Alij verò docent contrarium, & probatur, quia in iure non est expressa hęc irregularitas: nam capite citato pro secunda opinione non est solum quòd haberet animum contrahendi inualidum vnum, sed etiam quia contraxerat aliud ante validum: & hanc sententiam sequitur P. Thomas Sanchez supra num. 11. P. Valentia in 3. parte disputatione 7. quæst. 19. parte 3. Henriquez lib. 12. capite 6. numero 9. & alij.

Valentia

Sed aliqui ex his Doctoribus non loquuntur consequentèr: nam ex illo capite colligunt esse irregularem, qui duo matrimonia inualida contraxit, vt supra vidimus, & tamen in eo capite solùm est

serma

sermo de eo, qui vnũ validum,& alterum nullum contraxit:sanè P.Henriquez loquitur consequenter, quia etiam docuit non esse irregularem,qui duo inualida matrimonia contraxit.

Difficultas est,an ducens fœminam à seipso defloratam incurrat irregularitatem. Affirmant aliqui,quos citat P.Thomas Sanchez num.13.& probant ex cap. qualis 30.quęst.5.vbi dicitur, Qualis debeat vxor esse,quæ habenda est secundum legem, virgo casta: ergo requiritur virginitas vxoris tempore contracti matrimonij.

Secundò quia tale matrimonium non significat matrimonium Christi cum Ecclesia,cũ interueniant corruptio.Tertio, quia non videtur referre, an sit corrupta à se,vel ab alio.

Alij verò docent contrarium, sanctus Thom.4 dist.27.quæst.3.art.1.quæstiuncula 3.ad secundum P.Valentia supra, P. Thomas Sanchez supra cum multis aliis, quos refert numero 14.quia talis fœmina non diuisit carnem suam cum multis & quantum ad hoc manet significatio in hoc matrimonio cum matrimonio Christi,& Ecclesiæ:vnde soluitur secundum argumentum;primum autem non cõcludit, nã ibi requiritur virginitas solùm in hoc sensu,vt fœmina nõ diuiserit carnem suam cum pluribus. *Valentia.*

Alius modus huius bigamiæ est,quando quis ducit virginem,si post quam ipsa cõmisit adulterium, cognoscat illam carnaliter: habetur expresse capite , Si cuius dist.34.quod est Concilij Neocęsariensis cap.8.quod aliqui intelligunt,quando vir agnoscens adulterium coniungitur carnaliter vxori suæ adulteræ:quia si ignoret adulterium,non procedit cõtra rationem, neque est causa, ob quam incurrat bigamiam. Ita P. Suarez in summa verbo irregularitas,agens de bigamia num.3.&indi cant alij citati à P.Thomas Sanchez numero 15. *Tho. San.*

Alij verò docent etiam incurrere hanc irregularitatem, qui cũ ignorantia adulterij agnoscit propriam vxorem, ita Rich.4.dist.27.art.4.quæst.1.Sotus ibi q. 3. art.1.columna penultima,Toletus lib. 1. sum cap 26.num.6.P.Henriquez lib. 12. capite 6.numero 10.P.Thomas Sanchez cum multis aliis relatis numero 15. quia hæc irregularitas incurritur ex defectu significationis,qui reuera est, etiamsi ad sit ignorantia;& ita soluitur ratio contrariæ opinionis. *Henriquez. Tho. San.*

Sed quęri potest,an maritus agnoscens adulteram vxorem ob pręceptum , quo obligatur ad cognoscendum illam,incurrat hanc irregularitatem.

In quo prima opinio est negantium: ita nonnulli, quos refert P.Tho.Sanchez supra num.5.& num.16.

Alij docent hanc incurrere irregularitatem.Sanctus Thom.supra quæstiuncula citata ad quartum P. Thomas Sanchez cum aliis numero 17. quia hic etiam habet locum defectus significationis, & non imponitur hæc irregularitas ob culpam: in quo falluntur Doctores primæ opinionis. *Tho. San.*

Iuxta dicta intelligi possunt nonnulla, quæ docet Pater Suarez disputatione 48. sect.2.& 3. *Suarez.*

DVBIVM III.

Quando contrahitur irregularitas ex bigamia similitudinaria.

Dubio primo diximus,quid sit bigamia similitudinaria; nempe quando clericus in sacris cõstitutus,vel religiosus professus contrahit matrimoniũ de facto, licèt nullum.

Et prius dicemus de clerico, deinde de religioso.Difficultas verò esse potest, an clericus contrahens matrimonium cũ virgine, sit irregularis. Dubium non est, quin sit irregularis, quando contrahit cum vidua, iuxta caput finale de bigamis.

Aliqui docent clericum incurrere hanc irregularitatem , quando ante ordinem contraxit vnum matrimonium,& post ordinem alterum,vtrũque consummans,secus verò si vnum tantum contrahat cum virgine,quia iura videntur requirere duplex matrimonium. Ita sensit P. Henriquez libro 12.capite 14.Toletus libro 1. cap.8.dicit hanc irregularitatem nullo textu probari. *Enriquez. Toletus.*

Alij verò docent contrahi hanc irregularitatem,etiam propter vnicum matrimonium cum virgine.Hanc sequitur Toletus libro 1.summę cap.26.numero 7.P. Valentia in 3.par.disp.7.quæst. 19.puncto 3.P.Emanuel de Sa in summa verbo irregularitas *Valentia. Sa*

gularitas, vbi de bigamia numero 4. P. Thomas Sanchez cum multis aliis supra disp. 85. num. 5. P. Suarez sectione 4. hanc putat veriorem opinionem P. Vazquez infra citandus, & probant ex cap. 1. qui clerici, vel vouentes, vbi de diacono, qui vxorem accipit, dicitur posse Episcopum cum ipso post pœnitentiam dispensare, vt diaconi officium exequatur. Et capite 2. eodem titulo subdiacono, qui matrimonium contraxit, si ad religionem transierit, concedat ei Episcopus ascensum ad ordines.

Tho. San. *Suarez.* *Vazquez.*

Sed ex his capitibus non colligo contraxisse cum virgine.

Deinde difficultas est de religioso professo; & licèt quidam negauerit, communis tamen sententia est esse irregularem, etiamsi vnum matrimonium contrahat tantùm post professionem, ex capite quotquot 7. P. Vazquez in tractatu manuscripto de matrimonio agens de hac irregularitate, ita P. Tho. Sanchez supra num. 8. cum multis Doctoribus: & in his casibus requisita est copula carnalis supra dicta.

Dicendum est aliquos velle illum contrahere hanc irregularitatem, qui contrahit post votum simplex castitatis, quod refutat P. Thom. Sanchez num. 11. quia nullo iure probatur.

Tho. San.

Difficultas verò posset esse de illo, qui in nostra Societate post vota simplicia emissa post biennium contraheret matrimonium; & mihi non est dubium illũ contrahere hanc irregularitatem: quia per talem votorum emissionem vere fit religiosus, & est inhabilis ad matrimonium contrahendum, ex constitutione Gregorij Decimitertij, vt diximus in materia de voto.

DVBIVM IIII.

An auferatur hæc irregularitas per professionem religionis per dispensationem.

ALiqui existimarunt irregularitatem ortam ex bigamia deleri per professionem religionis, alij de omni irregularitate videntur loqui.

Sed communis sententia est non deleri, nisi in casibus iure expressis, id est, quando oritur ex defectu natalium, quia aliquis est illegitimus: nam capite 1. de filiis presbyterorum hoc conceditur tanquam ad suscipiendos ordines: ita Couarrubias in Clemen. Si furiosus 1. parte §. 2. num 6 Sotus 4. dist. 25. quæst. 1. art. 3. qui docet vsu obtentum esse, vt omnis irregularitas auferatur per professionem religionis. Sed meritò P. Henriquez lib. 14. capite 8. numero 1. dicit non constare ex vsu, & idem docet P. Thomas Sanchez disp. 84. num 4.

Enriquez. *Tho. San.*

Circa secundam partem aliqui existimarunt Pontificem Summum non posse dispensare in hac irregularitate. Primò, quia consurgit ex defectu significationis supra dicto, & illam tollere non potest. Secundò, quia putant hanc irregularitatem esse de iure diuino, iuxta illud primæ ad Timotheum tertio, Vnius vxoris virum.

Alij verò licèt admittant hanc irregularitatem esse de iure diuino, censent tamen posse Pontificem in ea dispensare: ita Petrus de Soto sect. 8. de matrimonio pag. 3. & 5.

Sed primò dicendum est, hanc irregularitatem esse de iure positiuo Pontificis: ita docent authores communiter in hac materia; non enim constat ius positiuum à Christo introductum pro hac irregularitate. Legatur Pater Suarez supra sectione 5.

Secundò dicendum est, posse Pontificem in hac irregularitate dispensare; ita Doctores communiter, & vsus satis ostendit quotidianus; neque de hoc potest aliquis dubitare. Legatur P. Tho. Sãchez supra disp. 86. illata, & P. Suarez infra sectione 6.

Suarez.

Ad primum primæ opinionis respondendum est, non posse Pontificem auferre illum defectum, posse tamen auferre illam irregularitatem ob illum inductam.

Ad secundum aliquis dicet, non esse ibi præceptum Apostoli: alij quòd, licèt sit præceptum, tamen non est præceptum Christi, sed Apostoli; & ideo non colligitur esse de iure diuino. Legatur ibi noster Iustinianus. Sed potest obijci caput secundum de bigamis, vbi dicitur non licere dispensare: verùm illud verbum solùm significat difficultatem, nõ tamẽ defectum potestatis in Summo Pontifice.

Adden,

Addendum est non probari nobis eos, qui dicunt Pontificem ex potestate ordinaria non posse dispensare in hac irregularitate, bene tamen de sua potentia absoluta, quos reprobat Couarrubias in Clemen. Si furiosus de homicidio 1. part. §. 2. num. 4. quia Pontifex potest ex potestate ordinaria, quam habet, causa subsistenti dispensare, cũ sit hęc irregularitas de iure humano: de Episcopo autem dicemus dubio sequenti.

DVBIVM V.

An Episcopus possit in hac irregularitate dispensare.

IN Hac quæstione variæ solent inferri sententiæ; sed de bigamia vera, & interpretatiua, quatuor præcipue referuntur.

Prima est asserentium posse Episcopum dispensare, etiam quantum ad maiores ordines. Hanc refert Glossa in caput secundũ de bigamis, & probatur, quia Episcopi dispensant cum criminosis, cap. At si clerici de iudiciis.

Secunda sententia docet, Episcopum non posse dispensare cum bigamo isto, etiam quãtum ad minores ordines, pro qua plures citantur.

Deinde in præsenti quæstione existimo probabiliorem secundam opinionem, & duo capita pro illa adducta magni momenti sunt. Item capite vltimo, & capite, Nuper de bigamis, negnat bigamis potestatem suscipiendi ordines minores, & fauet caput, Non confidat, distinctione 50.

Rursus, quia Episcopus non potest dispẽsare in lege Pontificis, nisi casibus iure concessis; tius autem excludens bigamos, ab omnibus ordinibus, latũ est à Concilio Nizeno, teste Ambrosio epistola 82. vt notauit P. Suarez supra num. 4. Suarez.

Aliqui limitant hanc potestatẽ, vt Episcopus non possit dispensare ad ordines, nisi quando bigamia est occulta. Sed hanc limitationem, licèt sit gratiam Doctorũ quos citat, non admittit P. Tho. Sanchez, supra num. 12. tunc enim videtur habere locum decretum Concilij Tridentini sess. 24. de reformat. Legatur Henriquez lib. 12. de matrimonio cap. 5. in fine. Enriquez.

Alij limitant nisi bigamus ad religionem transeat, tunc enim putant posse Episcopum cum illo dispensare.

Sed meritò refutat P. Thom. Sanchez n. 13. quia non apparet quo textu id probatur, nam si aliquod caput adducitur, intelligitur de bigamia similitudinaria.

Demum alij limitant, nisi vrgeat necessitas ob penuriam ministrorum; sed ex potestate ordinaria hoc non potest Episcopus; si verò dicatur esse ob necessitatem, fieri poterit, si tanta occurrat necessitas, & non sit recursus ad Pontificem: quod prudenter considerandum est, nec facile admittendũ. Legatur P. Th. Sanchez n. 14.

Restat explicandum, quis possit dispensare in bigamia similitudinaria. Tho. San.

Aliquorum sententia est, Episcopum nõ posse dispensare, etiamsi clericus vnicam, & virginem duxerit, quia capite, Nuper, de bigamis, dicitur non licere cum clericis contrahentibus matrimonium dispensare: ita Maiolus libro de irregularitate cap. 33 num. 7.

Alij non posse Episcopum dispensare cũ tali clerico, si maneat in seculo, secus tamen si religionem ingrediatur; sed non video quo iure id probetur.

Alij putant tunc posse Episcopum dispensare, quando clericus contraxit cum vidua, vel virgine, & eam non agnouit. Verũ hoc nõ satis probatur iure aliquo.

Alij putant posse Episcopum dispẽsare, etiã si corruptam duxerit; sed neque hoc habet firmum fundamentum.

Dicendum est, Episcopum posse dispẽsare, si clericus contraxit cum virgine; secus si cum vidua, vel corrupta; vel duplex iniit matrimonium. Probant Doctores ex capite, Sane Sacerdotes, de clericis coniugatis, vbi dicitur: Sane Sacerdotes, qui nuptias contrahunt, post longam pœnitentiam, & vitam laudabilem continentes, officio suo restitui poterunt, & indulgentia sui Episcopi eius habere executionem. Et cap. 1. Qui clerici, vel vouentes, dicitur posse Episcopum reddere diaconatus officium ei diacono, qui vxorem accepit, & putant ita limitandos hos textus, ne sint contrarij aliis negantium hanc facultatem, vt colligitur ex capite, Nuper, & capite finali de bigamis: legatur Toletus lib. 1. summ. cap. 26. num. 8. Valentia in 3. parte disputatione 7. quæstione 19. puncto 3 P. Thom. Sanchez supra Toletus. Valentia. Tho. San.

supra n. 2. qui alia notat vtilia vsque ad finem disputationis.

DVBIVM VLTIMVM.

Quem effectum habeat bigamia, & irregularitas hæc.

IN Hac quæstione primò dicendum est, hanc bigamiam priuare vsu, & executione ordinum. Ita P. Suarez supra numero 3. contra nonnullos: quod intelligendum est cum limitatione infra assignanda, & probat de vsu minorum ordinum ex capite, Sane, de clerico coniugato, & ex Concilio Tridentino s. 23. capite 14. de reformatione: quæ capita videntur supponere ius antiquum: quod videtur colligi ex distinctione 34. & titulo de bigamis. Suarez.

Secundò dicendum est, ex institutione Ecclesiæ adiunctam esse huic irregularitati priuationem priuilegij clericalis: probatur ex capite vnico de bigamis in sexto.

Sed hoc aliqui Iurisperiti in citatum caput, Angelus in summa verbo bigamus §. is taliter, Palud. 4. dist. 27. quæst. 4. artic. 3. supplementum articulo 3 dub. 1. limitant, vt intelligatur de clericis in minoribus constitutis: nam qui constituti sunt in sacris, licèt priuentur executione ordinum, tamen gaudent clericali: & ratio differentiæ est, quia qui est in minoribus, potest viuere vt laicus, secus qui est in sacris constitutus, non potest ad laicam vitam transire: & idem docuit P. Suarez supra sect. 5. in fine.

Sed difficultas est, an hæc pęna intelligatur de bigamia solum vera, vel etiam de interpretatiua.

Aliqui indicant solum intelligendam esse de vera bigamia, quia illam significat vox bigamiæ simpliciter prolata, & lex pœnalis restringenda semper est.

Alij tamen docent esse intelligendam de bigamia vera, seu interpretatiua, & hãc putat veriorem P. Suarez supra numero 5. & probat ex capite vnico de bigamis, in sexto, quia in hoc capite soluitur dubium, quod ortum fuerat ex capite quisquis 84. distinctione, vt constat ex illis verbis capitis vnici, de bigamis in sexto: *Altercationis antiquæ dubium*, in eo autem capite quisquis expresse nominatur clericus, qui viduam, aut secundam coniugem duxerit: ergo vterque comprehenditur in capite vnico, de bigamis in sexto. Itẽ in capite quisquis non dicitur, Qui contraxerit, validè; sed absolute: Qui contraxerit. Et hæc pars videtur probabilior: & ex his soluta manet ratio contrariæ sententiæ.

DISPVTATIO LXXI.

De irregularitate ex defectu natalium.

DVBIVM PRIMVM.

An omnes filij illegitimi sint irregulares.

FVère aliqui disputant de illegitimis in materia de testamẽtis, & P. Suarez tomo de censuris disp. 50.

In præsenti verò materia illegitimus dicitur omnis, qui nascitur ex copula illicita, & qui non est ex matrimonio legitimo vero, vel prudenter præscripto.

Et dicendum est omnem talem esse irregularem, & colligitur ex capite 1. de filiis presbyterorum extra, & in sexto, & ex capite, Per venerabilem, qui filij sint legitimi, & multis capitibus distinctione 56. & est communis Doctorum: legatur P. Suarez supra, & P. Auila de censuris parte 7. disputatione 3. dubio 6. qui alios citat. Suarez. Auila.

Specialis difficultas est, an sit irregularis expositus cuius origo incerta est. Et prima sententia negat expositum esse irregularem, pro qua opinione plures refert P. Suarez loco allegato, & Couarrubias infra citandus.

Præcipua ratio est, quia præsumitur bonus, cùm non probetur malus, pro qua doctrina solent adduci varia capita, & declaratur, quia sic expositus præsumitur, natus ex parentibus fidelibus: quod videtur definitum ab Innocentio III. capite, Cùm deputati, de iudiciis, vbi Glossa adducit varia iura: adducitur etiã regula 57. C. de regulis iuris, Semper in dubiis præferenda sunt benigniora.

Secun-

Secunda sententia est, hunc esse irregularem, quandiu de eius parentibus non constat. Ita Maiolus libro 1. de irregular. capite 11. & videtur sequi Couarrubias in Clem. Si furiosus 1. part. in princ. num. 9.

Suarez. P. Suarez supra numero 4 dicit vtramque esse probabilem, & posse hominem priori adhærere in praxi: addit securius fore vti lenitate, qua vtitur Couarrubias, qui temperauit vigorem posterioris sententiæ. Et vt suam sententiam amplius explicet P. Suarez docet, primò certum esse, quòd si postquam quisquis fuit expositus, constet de eius parentibus, non esse irregularem ex eo solùm, quòd fuerit expositus, si aliàs natus est ex legitimo matrimonio.

Secundò docet cum Couarrubia, quòd si bona fide ordinatus est, non erit irregularis ad vsum ordinum: quod solùm probat Couarrubias authoritate aliquorum. P. Suarez probat, quia in dubio melior est conditio possidentis: qua ratione etiam vtuntur alij. Tertiò docet, posse expositum amplecti priorem opinionem, licèt subiungat contrarium esse consulendum, cùm facilis sit dispensatio, quæ potest fieri ab Episcopo, ex mente aliquorum.

Mihi sane placet, secundum ius antiquum hunc expositum non posse suscipere sacrum ordinem, vt docuit P. Vazquez 12. disp. 66. c. 8. in fine. Et ratio est, quia, vt sæpe dixi, in hoc, & aliis dubiis tutior pars est eligenda. Vazquez.

Deinde idem existimo de eo, qui expositus est, & bona fide suscepit ordines, quòd non possit vti illis, donec liberetur à dubio, propter eandem rationem, quia in dubiis tutior pars est eligenda.

Deinde idem existimo de eo, qui expositus est, & bona fide suscepit ordines, quòd non possit vti illis, donec liberetur à dubio quia tutior pars est eligenda, ne exponatur aliquis periculo peccādi, vt dixi supra disp. 57. dub. 4.

Quando verò dicitur in dubio meliorem esse conditionem possidentis, intelligenda est in materia iustitiæ, vt dixi in materia de rest. in materia de voto & iuramento, de matrimonio: & sequitur ex doctrina eorum, quos retuli disputatione 57. dubio 4. qui generatim docent, in dubio puro semper esse tutiorem partem eligendam: qui etiam docent alteram regulam, In dubio melior est conditio possidētis, intelligendam solùm esse in materia iustitiæ.

Dixi supra secundum ius antiquum: nā Gregorius Decimusquartus Bulla quadam edita anno 91. in gratiā confraternitatis pro expositis decernit, vt habeantur pro legitimis: & idem testatur Pater Auila de censuris p. 7. disputatione 3. dub. 9.

Altera difficultas potest esse de aliis, qui nascuntur per adulterium à matre habente maritum, & communi existimatione habentur pro legitimis; re tamen vera sunt illegitimi ex adulterio: & hunc esse habendum pro legitimo, si non cōstet esse illegitimum, docet cum communi sensu P. Vazquez prima secundæ loco citato: nihilominus, si ipse sit in puro dubio, neque possit ab eo liberari, existimo non posse suscipere ordines sine dispensatione, quia in dubio tutior est pars eligenda. Vazquez. Et huic sententiæ fauent, qui putant expositos, esse irregulares. Dixi in puro dubio: quia si generet probabilem assensum de sua legitimitate, poterit suscipere ordines sine dispensatione.

Addēdum est, hic non habere locum decretum Gregorij Decimiquarti in Bulla citata: quæ solùm lata est pro expositis.

Sciendum deinde est, quòd aliqui, vt refert P. Auila supra dubio 10. dicunt, quòd si quis est infamatus, quia censetur illegitimus, debet se purgare ab illegitimitate; si verò non sit infamatus, potest relinqui suæ conscientiæ: & P. Auila putat semper esse meliorem conditionem possidentis. Sed quantum ad suscipiendos ordines obseruandum est quod diximus.

DVBIVM II.

Quis possit in hac irregularitate dispensare.

Non est dubium, quin Summus Pontifex possit illam concedere, cùm sit hæc irregularitas iure positiuo introducta: quæ verò causa requiratur, colligendum est ex principiis generalibus de

de dispensatione,de qua in materia de legibus.

Difficultas verò est de Episcopo,an possit de hac irregularitate dispensare:& dicẽdum est posse dispẽsare ad suscipiendos minores ordines,iuxta caput primum de filiis presbyterorũ in sexto, vbi sermo est de omni illegitimo sine restrictione vlla, vt notauit Pater Suarez disputatione 50.sectione 5.numero 2.Glossa,& expositores in citatum caput, qui docent secundò ad sacros ordines non posse Episcopum dispensare,sed solum Summum Pontificem.

Suarez.

Aliqui verò putant,quòd si illegitimus bona fide suscipiat subdiaconatum, poterit Episcopus cum eo dispensare ad vsum ordinis ita suscepti.Ita sensit Nauarrus in conciliis titulo de filiis presbyterorum num.4.consilio 2.citans Gratianum 9.quæst.2.ad caputNon inuitati;sed ibi non est sermo de hoc casu, vt legenti constabit, & ideo Nauarri doctrinam refutat P.Suarez supra num.3.

Suarez.

Sed quęri potest,an possit Episcopus dispensare,quando est defectus occultus: & affirmant aliqui propter caput,Liceat Episcopis in Concilio Tridentino sessione 24.VerùmConcilium loquitur de irregularitate ex delicto,vt docuit P.Suarez supra num.5.

Deinde auferri potest hęc irregularitas per legitimationem,vt docet P.Suarez supra num. 7. per potestatem Ecclesiasticam,vt numero 8. probat P.Suarez, quia potestas secularis solùm potest tollere effectus, quos induxit potestas Ecclesiastica.

Alius modus auferendi hanc irregularitatem est per ingressum religionis,iuxta caput primum de filiis presbyterorum:& licèt Sixtus Quintus fecerit hos inhabiles ad ordines: tamen Gregorius Decimusquartus à numero 1588.reduxit eam constitutionem ad terminos iuris communis,vt bene notauit P. Suarez supra num.12.

Addendum verò est,non auferri hanc irregularitatem per solam habitus susceptionem , sed propter professionem , vt cum aliis docuit Pater Suarez,vbi proximè ; neque est admittenda contraria sententia,quæ non habet idoneum fundamentum.

Suarez.

Addendum est, hanc irregularitatem etiam tolli per emissionem trium votorum simplicium post biennium in Societate nostra , quia per illa verè sunt religiosi , vt diffinitum est à Gregorio Decimotertio constitutione , Ascendente Domino,vt dixi secunda secundę ad quæstionem 88.

Difficultas verò esse potest,an si quis dimitteretur à Societate post talia vota, ante susceptionem tamen ordinis,intelligeretur quasi reuiuiscens ea irregularitas , vt non possit ordines suscipere sine dispensatione.Et quamuis res sit dubia, mihi est probabilius necessariam esse dispensationem , quia prædictus fauor concessus videtur iis, qui ita fiunt religiosi , vt in eo statu suscipiant ordines.

Sciendum vlterius est in prędicto cap. 1.de filiis presbyterorum per prædictam dispensationem cum illegitimo,ex vi ordinis non dispensari ad habendum prælationem in religione.

Diximus de potestate ordinaria dispensandi in hac irregularitate:ex cõmissione verò poterunt dispensare habentes priuilegium.

Difficultas potest esse,quam pęnam incurrat illegitimus,si ordinetur sine dispensatione.

Et sentiunt Doctores incurrere suspensionem ab executione ordinis: hoc enim præcipue intẽdunt iura, vt nõ ordinetur, neque vtatur executione ordinis. Ita docuit Sotus 4.distinctione 25.quæstione 1. articulo 3.Nauarrus libro 1. consilio.lib. 3. de ætate & qualitate ordinandorum circa secundam &tertiam quęstionem.P. Auila p.7.1.3.dub.11.

Auila.

Difficultas verò est,an qui ita suspensus celebraret , incurreret irregularitatem positam contra violantes censuram: & affirmat Nauar.cap.25.n.69.&probat; quia qui violat suspensionem celebrando,fit irregularis.

Sed contrariam opinionem docuit Couarrubias in Clemen.Si furiosus 1. parte §.1.num.3. & alij,quos citat, & sequitur P.Auila supra dubio 11. & Nauarrus in noua editione nõ addit illam particulam, *Fit irregularis*,& cap.27.nu.194.§.3. videtur hanc sententiam sequi Armilla verbo irregularitas n.73.&P.Auila testatur, quòd secũdùm stylum curiæ quando dispensatur cum tali ordinato,non fit mẽtio irregula-

Auila.

irregularitatis: & probant, quia talis suspensio non est posita propter crimen, sed propter defectu: & ex hoc respondent ad argumenta, quod iure irregularitas imposita violanti censuram intelligitur de suspensione, quę est proprie pœna, & censura.

DISPVTATIO LXXII.

De irregularitate ex defectu personali inculpabili.

DVBIVM PRIMVM.

An sit aliqua irregularitas ob defectum animæ.

IN Hac materia aliqui numerant defectu characteris baptismalis ex cap. 1 & cap. Veniēs, de presbytero non baptizato. Legatur Nauarrus cap. 27. numero 205. sed vt bene docuit P. Suarez disp. vltima sect. 1. n. 1. hęc non tam est irregularitas, quàm incapacitas. Suarez.

Alij numerant irregularitatem ex defectu fidei ex apostasia; sed hæc pertinet ad irregularitatem ex delicto.

Alij numerant carentiam vsus rationis, qui defectus ex natura rei impedit susceptionem ordinis, & ita non est proprie irregularitas, nisi vt lege Ecclesiastica cō sideratur, & sub hac possunt comprehendi pueri non habentes vsum rationis, qui etiam possunt dici irregulares ob defectum ætatis, de quo supra, & perpetuo amentes.

Disputari posset hoc loco, an sacramentum ordinis collatum non habenti vsum rationis esset validum: sed de hoc in materia de ordine, & legi potest P. Vazquez tomo 3. in 3. p. disp. 246. & attigit P. Suarez disp. vltima de censuris sect. 1. num. 2. vbi refert contrarias opiniones, & Doctores. Vazquez.

Deinde numerantur furiosi, licèt non sint in perpetuum, de quibus loquitur textus in capite, Maritum, distinctione 33. legatur Nauarrus in summ. cap. 27. numero 203. Maiolus libro 2. de irregularitate capite 14. & si continuò patiuntur hunc defectum, certum est esse irregulares ex Ecclesiæ prohibitione, & ex natura rei, ex congruenti ratione: sunt enim inepti ad officium.

Potest verò esse difficultas, an qui semel incidit in amentiam, vel furiam, perpetuò maneat irregularis, etiamsi sanitatem comparet ex vna parte, in capite, Maritum: in hoc sensu videtur ferri hæc irregularitas, vt indicant illa verba, Neque illum, qui in furiam aliquando versus insanuit: & aliqui seuere sentiunt, & sequitur cum aliis P. Suarez supra numero 4. qui intelligit hanc sententiam de irregularitate ad suscipiendos ordines, nō in ordine ad vtendum susceptis. Suarez.

Item temperat illam, vt intelligatur de amentia, quæ est quasi per modum habitus, id est quæ habet causam perseueran tem fundatam in aliqua dispositione corporis permanente; non tamen de amentia, quæ ex aliquo accidenti semel ita contingit, vt non habeat permanentem causam: & ita habet communis sensus, & vsus, vt notauit Maiolus lib. 2. c. 13. num. 5. & P. Suarez vbi proxime. Suarez.

Deinde si sermo sit de clerico iam ordinato, docent non pauci non priuari ab vsu ordinum perpetuo, sed pro tempore, quo actualiter impeditur per amentiam vel furiam. Ita docent Nauarrus in sum. c. 27. num. 203. quæst. Anton. 3. par. tit. 28. c. 1. in fine P. Suarez supra: requiritur verò, vt tempore, quo est celebraturus, sit valde sanus prudenti arbitrio. Quæ omnia per se se sunt rationi consentanea.

Circa quod Maiolus supra cēset necessarium esse, vt Episcopus iudicet de sanitate recuperata: sed P. Suarez, & alij censent hoc non esse necessarium in hoc euentu, licèt sit tutius. Suarez.

Addit Pater Suarez simili modo loquendum esse de his, qui interiectis quibusdam temporis spatiis amittunt vsum rationis, vt sunt aliqui laborantes cordis dolore: quod etiam considerandum est ad suscipiendos ordines.

(§)



DVBIVM II.

An defectus scientiæ constituat hominem irregularem.

ALiquorum sententia est non constituere irregularitatem, licèt sit impe- *Henriquez.* dimentum. Ita Pater Henriquez capite 8. numero 10. & commentario litera B. & lib. 10. capite 16. numero 2. & in commentario litera Q & hanc opinionem refert; nec refutat P. Sa in summula verbo irregularitas, vbi de irregularitate ex defectu animæ num. 1. & intelligit hanc opinionem, modò ordinatus sciat legere, & scribere.

Sed contraria sententia communis est, ita Maiolus libro 1. capite 22. Pater Auila parte 7. disputatione 4 dub. 1 qui alios *Suarez.* refert, P. Suarez disp. vltima sectione 1. numero 8. & probatur ex capite, Illiteratos distinctione 36. vbi eodem modo est sermo de illiterato, & de corpore vitiato; & tamen vitiatus corpore est vere irregularis iuxta supra dicta: ergo & illiteratus. Quæ verò sciētia sufficiat, declaratur in Concilio Tridentino sessione 23. capite 4. de reformatione. Et ad primam tonsuram requiritur, vt quis Fidei rudimenta, & legere, & scribere sciat: in capite verò vndecimo postulat, vt ad minores ordines saltem Latinam linguam ordinandi intelligant, &c. In capite verò 13. ad subdiaconatum & diaconatum requiritur, vt quis sit instructus in literis, & iis, quæ ad exercendum ordinem pertinent.

Deinde capite 14. postulat ad presbyteratum, vt comprobetur idoneus ad populum docendum: quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & administranda sacramenta.

De scientia verò necessaria in Episcopo idem Conciliū sessione 7. capite 1. de reformatione dicit, id quod statutum erat capite, Cum in cunctis, de electione, nempe literarum scientiam esse necessariam: sessione autem 22 capite 2. addit, Scientia autem polleāt, vt necessitati sui muneris possint satisfacere: & ideo requirit, vt sit magister, aut Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, aut in Iure canonico, vel saltē vt publico alicuius Vniuersitatis testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur: vel si regularis sit, à suis superioribus similē fidem habeat. De his verò solet disputari in materia de ordine.

Ea verò quę diximus, obseruanda sunt ex iure positiuo; iure verò naturali necessaria est ea scientia, quę requiritur ad rectum vsum ordinis suscepti, vt constat.

Restat explicandum, an hæc irregularitas ex defectu scientiæ impediat vsum ordinis suscepti: & docet P. Suarez supra impedire, quoties illiteratus mala fide suscipit ordinem, quia non potest illum rectè exercere: & hoc vult impedire ius positiuum.

Si verò quis bona fide ordinem suscipiat, ignorans dispositionem iuris, posset esse aliquod dubium; nihilominus ait P. Suarez illum manere impeditum, & priuatum vsu ordinis suscepti, donec comparet scientiam necessariam propter argumentum factum. *Suarez.*

Addit P. Suarez, hanc irregularitatem tolli per ablationem ignorantiæ, quando nulla alia contracta est censura, quia sic ordinatus non fuit vsus ordine suscepto. *Suarez.*

An verò tolli posſit per dispensationem, quæstionem habet: & multi sentiunt Summum Pontificem non posse in hoc dispensare, quia est contra ius naturale, quòd ineptus ad officium eligatur, & consecretur ad illud. Ita sensit Maiolus libro 1. capite 32. & alij. Sed Pater Suarez, *Suarez.* supra numero 11. dicit hic posse considerari aliquid iuris diuini, & aliquid de iure Ecclesiastico: & addidit in eo, quod est de iure diuino, non potest Pontifex dispensare, quia est intrinsece malum, quòd quis vtatur munere sine scientia necessaria ad debitum vsum. Verum quòd non est malum habere ordinem, si quis non vtatur illo ante acquisitam scientiam necessariam, in hoc poterit dispensare. Item si ex iure Ecclesiastico maior scientia requiratur, quam ex natura rei sit necessaria, etiam in hoc poterit dispēsare. Quid verò sit necessarium ex solo iure naturali, prudentis iudicio iudicandum est, & præcipue debet considerari vsus ordinis.

Legatur P. Auila supra disp. 4 dubio 1.

(.§.)

DVBIVM III.

Qui defectus corporis irregularitatem inducant.

HIc solent aliqui deferre defectum sexus virilis; sed hic non tam irregularitas, quàm incapacitas censetur: quòd si aliqua persona habeat ęque vtrumque sexum, vel magis inclinet in sexum fœmineum, est irregularis, & incapax ordinis, de quo Pater Vazquez tomo 3. in 3. parte disputatione 245. vbi disputat de sexu necessario ad ordines, & P. Suarez disputatione cit. sectione 2. docent verò authores, istos ob tale corporis vitium esse irregulares, neque posse sine dispensatione ordinari, etiam quãdo in eis præualet sexus virilis.

Vazquez. *Suarez.*

Si verò contingat, (quod dicunt fieri posse) vt fęmina mutetur in virum, P. Suarez putat philosophandum esse, sicut de hermaphrodita, quãdo post talem mutationem manet vterque sexus: si verò maneat tantum sexus virilis, putat posse ordinari sine dispensatione, quia in eo statu vere habet sexum idoneum ad sacros ordines.

Hic etiam numeratur defectus ætatis, nam sacri canones requirunt certam ætatem ad ordines, dę quo in materia de ordine: & ita talis defectus est quoddam canonicum impedimentum.

Difficultas verò est, an ordinatus ante ętatem legitimam fiat irregularis, si exerceat actum ordinis ante completum tempus necessarium: de qua late Couar. in Clem. Si furiosus. Sed breuiter potest solui: diximus enim disp 46. dub. 1. impositam esse suspensionẽ ei, qui ante legitimã ętatem suscipit ordines: & ita violans suspẽsionem hanc, incurret irregularitatem, vt docuit P. Suarez sect. 2.

Suarez.

Querit P. Suarez, an per nimiam ætatẽ contrahatur irregularitas: & respondet per nimiam ætatem non contrahi, si alias quis habeat sufficientem vsum rationis, & dispositionem corporalem idoneam ad vsum ordinis; si tamen ex senectute oriatur morbus, poterit impedire vsum ordinis, sicut de aliis morbis generatim dicemus infra.

(§)

DVBIVM IIII.

Quomodo inducatur irregularitas ex mutilatione, vel defectu membri alicuius, aut morbi.

CErtum est posse induci irregularitatem ex mutilatione membri, ex quo oriatur impedimentum vsus ordinis: de quo P. Suarez supra disp. vltima sectione 2. à num. 2. cum aliis Doctoribus, & colligitur ex multis capitibus distinctione 55. & titulo de corpore vitiatis. Legatur P. Auila par. 7. disp. 3.

Suarez. *Auila.*

Sciendum verò est, aliud esse voluntarie seipsum mutilare, & aliud à natiuitate, vel casu aliquo carere parte aliqua corporis: & ex vtroque modo potest oriri irregularitas.

Deinde si fiat voluntarie, obseruandum est, tunc inducere irregularitatem, quando siue antecedat, siue sequatur ordinationem, siue abscisio sit alicuius membri principalis, siue partis eius, siue notabiliter impediat, aut deformet, siue non, dummodo tanta sit mutilatio, vt seclusa indecentia sine peccato mortali fieri nõ possit. Ita videtur colligi ex capite, Qui partem, distinctione 55. dicit enim illum esse irregularem, qui partem digiti sibi abscindit, cum tamen ea carentia alio modo facta non inducat irregularitatem, vt ibi deciditur: ad hanc enim irregularitatem non tam consideratur defectus relictus ex abscisione, quã ipsa abscisio voluntaria; secus quando quis non voluntarie, & directe abscidit: nam capite 1. de corpore vitiatis non censetur irregularis qui in duello voluntario amisit partem digiti. Legatur P. Suarez supra, & Nauarr. cap. 27. num 198.

Suarez.

Sed dices in illo cap. 1. de corpore vitiat. non simpliciter, sed ex dispensatione Põtificis permittitur clericus ministrare in suo ordine, quia hoc significant illa verba: *Poteris cum eo misericorditer agere, & permittere.* Respondet Nauarrus supra dispensationẽ fuisse ibi necessariam ob graue peccatum clerici voluntarie pugnantis in duello, & sumitur ex illis verbis, Licèt eius excessus grauis admodum extitisset: addit P. Suarez posse dici dispẽsationẽ, vel quia erat dignus suspensione, & non fuit suspensus, vel quia ob circumstantiam infamiæ potuit egere dispensatione.

Deinde docet P. Suarez num. 8 quòd si aliquis non seipsum mutilet, ab alio tamé sua culpa mutiletur, & abscisio sit alicuius mēbri principalis, incurrere irregularitatem, etiamsi membrum sit occultum, & non impediat vsum ordinis. Ita Nauarrus cum aliis supra, & probari solet ex capite, Ex parte, de corp. vitiatis, ex illis verbis: *Qui seipsos* absciderint, vel affecta uerint, vt ab aliis abscindantur.

Suarez. P. Suarez numero illo citato dic it hanc sententiam esse securiorem, & communiter receptam, addit, quòd si iura in rigore inspiciantur, omnia loquuntur de propria culpa seipsum mutilandi ex indignatione, aut ex aliquo zelo indiscreto, vt colligitur ex capite, Si quis 1. 2. & 3. & capite Is qui dist. 55. & capite Maritum distinctione 33. & canone 22. & 23. Apostolorum, & in capite, Ex parte, pendenda sunt illa verba: *Affectauerint*, & verba in hac materia, sicut in materia de censuris secundum proprietatem sunt explicāda. Addit idem Pater hæc probabiliter suadere, non oriri irregularitatem ex speciali ratione mutilandi se voluntarie, bene tamen ex ratione mutilandi, vel quia aliquis est causa suę mutilationis, licèt in directa.

Restat dicendum de mutilatione passiua, nempe de eo qui patitur mutilationem, etiam sine sua culpa: & sermo potest esse, vel de eo, qui non est ordinatus, & respectu ordinis suscepti.

Deinde considerandum est, an talis defectus omnino impediat vsum ordinis, ne securè fiat; vel saltem ita impediat, vt sine scandalo fieri non posit.

His præmissis, dicendum est primò, quoties mutilatio non habet adiunctum aliquod ex dictis impedimentis, non inducit irregularitatem in patiente: est cōmunis doctrina, quam tradunt Summistæ verbo irregularitas, aut verbo corpore vitiatus, Nauarrus in summa capite 27. numero 199. Couartubias in Clement. Si furiosus par. 1. §. 1. num. 5. P. Suarez supra cum aliis numero 10. & colligitur ex citatis capitibus distinct. 55. & can. 22. Apostolorum, vbi sermo est de eunuchis factis sine culpa, & idem iudicium est de aliis.

Secundò dicendum est, quando mutilatio adducit aliquod impedimentum, vel deformitatem supradictam, inducit etiam irregularitatem: est communis sensus, & sumitur ex capite vltimo, distinctione 55. Quæ doctrina faciliùs habet locum, quando inducitur moralis impossibilitas, vt si abscindatur manus, iuxta caput, Exposuisti, de corpore vitiatis, vbi Glossa aduertit idem esse, si digitus auferatur ad fractionem hostiæ necessarius, iuxta caput vltimum de corpore vitiatis.

Tertiò dicendum est, quando mutilatio superuenit homini ordinato, inducit irregularitatem respectu eius vsus, comparatione cuius inducit impedimentum supradictum, est communis, quam tradunt citati Doctores, ex qua colligunt, quòd sacerdos, cuius manus abscissa est, licèt non posit celebrare, potest tamen confessiones audire: idemque iudicium erit de similibus: & hic est iudicandum de cæcitate, quę ante ordinationem omnino impedit susceptionem ordinis, ex canone 77. Apostolorum, vbi de cæco & surdo idem dicitur: & in hanc sententiam inclinat Nauarrus consilio 6. & 7. de corpore vitiatis; quamuis dicat oppositam esse probabilem, quia putat non esse hoc in iure expressum, in quo licèt sit sermo de Episcopo, tamen reuera comprehenditur etiam presbyter: at cæcitas superueniens sacerdoti impediret celebrationem, non tamen audire confessionem, & absoluere: si verò aliquis sit omnino surdus, poterit celebrare, sed non audire confessiones.

Vlterius prædicta irregularitas contrahitur ex notabili deformatione corporis, etiamsi sit sine mutilatione, vel morbo. Ita Sanctus Thomas 4. distinctione 25. q. 1. art. 2. quæstiuncula 4. & colligitur ex capite 2. de corpore vitiatis, vbi committitur Episcopo iudicium, vel dispensatio de oculi macula, quod nō potuit esse nisi ob deformitatē; & intelligendum est de extrinseca deformitate, & in ordine ad celebrandum.

Ex tradita doctrina colligūt Doctores nō esse irregularē, qui caret virtute videndi oculo dextro, quando neque illo caret, neque exteriùs apparet aliqua deformitas: si verò careat virtute videndi in sinistro oculo, esse irregularem, quia licèt absolutè non sit deformitas, est tamen in ipso actu celebrandi. Ita Nauarrus cap.

Suarez. capite 27. numero 199. Pater Suarez cum aliis Doctoribus supra numero 15.

Addit Nauarrus, quòd si quis tanta virtute videndi polleat in oculo dextro, vt sine deformitate possit legere canonem, etiamsi non habeat virtutem videndi in sinistro: non erit irregularis, & Pater Suarez dicit hoc esse certum, si hoc cótingat postq iam quis suscepit ordines: si verò sit ante susceptionem ordinis, dicit etiam esse practicè probabile, licèt maiori iudicio, & prudétia sit opus. Et ex doctrina tradita possunt similia dubia in specie solui: & legi potest Maiolus libro 2. capite 23. vsque ad 26. Tandem Pater Suarez numero 26. docet hoc iudicare excommuni sensu Doctorum pertinere ad Episcopum, vel qui collaturus est ordines, vt Nauarrus supra voluit; vel ad eum qui concedit literas dimissorias, vt voluit Angelus verbo corpore vitiatis num. 5.

Suarez. Tandem ex dictis solui potest difficultas circa vltimam partem dubij de irregularitate ex morbo, Toletus in summa libro 1. capite 58. §. 5. idem Angelus verbo corpore vitiatus numero 7. Armilla numero 8. Manuel Rodriguez in summa capite 158. & Pater Suarez disputatione vltima sectione citata numero 17. generatim docent illum morbum corporis inducere irregularitatem, qui licèt non efficiat mutilationem, facit tamen notabilem deformitatem, & est moraliter incurabilis. Legatur Couarrubias in Clement. Si furiosus 1. parte in principio num. 5. S. Thomas 3. par. q. 82. artic. vltimo.

Ex hac verò doctrina oriri solet peculiare dubium de illo, qui afficitur dolore cordis, qui variis nominibus solet appellari, & interdum priuat vsu rationis. Et difficultas est quando non est continuus; sed certis discretis temporibus: in qua seuere loquuntur Doctores aliqui ex citatis, vt legenti constabit, propter caput communiter, dist. 33.

Dicendum verò est, ex doctrina P. Suarez considerandum esse, an sit continuus, vel per interualla solùm temporis: & addunt viri docti huius ætatis considerandum esse, an infirmus præsentiat, quando insurgere velit actualis dolor, vel accidens, quod impedit vsum ordinis: si enim infirmus hoc præsentiat, putant non impedire susceptionem ordinis, quia non censetur inducere irregularitatem, nisi quatenus inducit impedimentum actuale, & morale periculum abusus ordinis. Legatur Maiolus libro 2. cap. Quòd si superueniant homini ordinato, poterit vti ordine, si agnoscat certa interualla temporis, in quibus moraliter est certus per experientiam, quod poterit celebrare sine periculo abusus, & indecentiæ in celebrádo.

Addendum est, quòd si sit dubium de qualitate morali, iudicium pertinet ad Episcopum, non tamen dispensatio, vt cum aliis Doctoribus docuit P. Suarez sect. citata in fine. Suarez.

DVBIVM V.

De aliis defectibus.

De Defectu famæ constat quid dicendú est de irregularitate ex infamia orta ex delicto, vt ex dictis supra patebit.

Deinde est alius defectus qui dicitur seruitus, id est, status mancipij: hæc autem seruitus inducit irregularitatem ex multis capitibus dist. 54. & ex toto titulo de seruis non ordinandis, & tradunt Doctores in hac materia Iurisperitorum titulum citatum, Theologi in 4 dist. 25. vbi S. Th. q. 2 art. 2. & aliis specialibus tractatibus de irregularitate, P. Suarez supra disp. 3. Maiolus lib. 1. cap. 35.

Addendú est, seruitutem non inducere irregularem perpetuam, sed pro te mpore, quo perseuerat seruitutis status.

Deinde in canone 8. Apostolorum ita dicitur: Seruos in clerum prouehi sine voluntate dominorum suorum non permittimus. Et infra: Si quando seruus dignus fuerit visus, qui ad gradum eligatur, qualis noster quoque Onesimus visus est, & domini concesserint, ac liberauerint, & domibus emiserint, fiat. Loquuntur verò Apostoli de Onesimo, de quo Paulus scribens ad Philemonem.

Difficultas verò esse potest, an sit necessarius cósensus domini ante ordinationem, vel satis sit per ipsam ordinationem fieri ipso facto: nã citatus canon videtur postulare antecedente facultate domini, & cap. Nulli dist. 54. dicitur, Nisi prius à propriis dominis legitimã libertatem consequantur, cuius libertatis charta publicè legatur: & in capite Quicunque, distinct. 54.

ex Concilio Toletano 4. cap.72. vel 73.

Ex alia verò parte alia iura solùm videntur requirere licentiam dominorum.

P.Suarez supra sectione illa tertia, docet necessariam esse antecedentem concessionem libertatis: addit tamen non esse necessariam absolutam, sed sub conditione, si suscipiat ordinem sacrum; nullus enim potest dicere illum seruum manere liberum, etiamsi post concessionem libertatis non suscipiat ordinem.

Addendum est sufficere licentiam Domini, etiam tacitam, vt docent communiter Doctores, & sumitur ex capite, Si seruus dist.64. vbi dicitur: Si seruus sciente, & non contradicente Domino in clericum fuerit ordinatus: & ex his verbis colligunt Doctores sufficere licentiam ad quamlibet ordinationem, quia textus loquitur de ea, qua constituitur clericus, vnã per minores ordines, & per primam tonsuram constituitur quis clericus.

Item disputant aliqui, an manumissio debeat esse omnino libera, vel sufficiat, etiamsi fiat sub aliquo onere, & obsequio faciendo à seruo in vtilitatem domini.

Et Turrecremata in caput Quicumque citatum, refert varias opiniones, & quidam putant necessariam esse manumissionem omnino liberam, & solutam ab omni onere, & probant ex citato capite quicumque.

Alij verò contrarium docent, & probant ex capite, Nullius, de seruis non ordinandis, vbi dicitur: Si quis seruus suum libertate donatum fecerit presbyterum ordinari, & ille postea in superbiam elatus domino suo canonicas horas psallere noluerit, apud Episcopum accusatum, degradari debere. Ex quibus verbis colligitur potuisse dominum imponere onus aliquod.

Aliorum opinio est asserentium seruos Ecclesiæ manere cum obligatione oneris respectu Ecclesiæ, quod non dedeceat clericum, non tamen seruos personæ priuatæ.

Suarez. P.Suarez putat facultatem omnino absolutam nullam inducere obligationẽ, & addit non repugnare, vt fiat manumissio cum obligatione alicuius oneris, vel spiritualis, vel non repugnantis statui clericali: & ita sensit Turrecrem. supra, & alij & mihi placet: quia videtur colligi ex diuersis iuribus citatis, & aliàs ex natura rei non repugnat.

Sed quid dicendum est, si seruus ordinetur sine facultate domini. Respondet P. Suarez manere ordinatum, quia seruitus non potest impedire effectum ordinis. Sed docet, quòd si solùm suscipiat minores ordines, non liberatur a seruitute: & probat ex cap.2 de seruis non ordinandis, & ex cap.2. dist.54.

Si verò ordinetur subdiaconus, paulo post dicam quid sit sentiendum.

Quòd si ordinetur Diaconus cum scientia Episcopi ordinantis, liber efficitur; tenetur tamen Episcopus demum compensare, & satisfacere domino per duplicitatem pretium, aut per duos seruos, iuxta caput, Si seruus absente dist. 54. & idem sumitur ex cap. Per venerabilem, qui filij sint legitimi.

De subdiaconatu res posset videri alicui dubia, quia in citato cap. Si seruus, solùm fit mentio diaconi, & presbyteri, & lex 6. tit.22.p.4. eodem modo loquitur de subdiaconatu, & de minoribus ordinibus, quod oriri potuit, inquit P. Suarez, ex eo quòd tunc non reputabatur ordo sacer: iã verò certum est subdiaconatum esse ordinem sacrum, & ita in hoc æquiparatur diaconatui, vt expresse docent Alex. III. capit. Miramur, de seruis non ordinandis.

Difficultas verò esse potest, an quando solũ ordinatur seruus minoribus ordinibus contra voluntatem domini, sciente Episcopo, teneatur Episcopus in conscientia duplex illud pretium reddere domino. Ex vna parte videtur non obligari, nisi solùm ad satisfactionem æqualem. Nam quã tum ad excessum videtur lex pœnalis: & ideo in conscientia non videtur obligare ante sententiam.

Ex altera parte non potest cogi dominus ad dimittendum seruum, nisi impleta lege alia, & soluto pretio, quod assignatur: & ideo hanc partem eligit P. Suarez supra, & videtur probabilior.

Deinde si Episcopus ignorans conditionem seruitutis conferat ordinem sacrum seruo, tenebitur ad prædictam satisfactionem faciendam ille, qui Episcopum ad ordinandum induxit. Ita disponitur in dicto cap. Si seruus absente.

Quòd si nullus sit in culpa, tenebitur seruus ad eam satisfactionem reddendam, quan-

quantam possit, iuxta caput, Ex antiquis, distinctione 54. Quod si seruus non possit facere hanc satisfactionem, iura distinctione vtuntur inter presbyterum, & inferiores: nam diaconū & subdiaconum redigunt in seruitutem, vt dicitur in capite, Ex antiquis citato, & cum multis Doctoribus Pater Suarez supra propter iniuriam, quam seruus facit domino: si verò ordinatus fuerit sacerdos, non redigitur in seruitutem, etiamsi integram satisfactionem non possit domino reddere, sed cogitur amittere proprium peculium iuxta dictum caput, Ex antiquis. Quòd si peculium non habeat, poterit obligari ad satisfaciendum in proprio sacerdotali officio, iuxta caput frequens dist. 54.

Suarez.

Tandem disputant aliqui, de qua seruitute sit intelligenda hæc irregularitas. Et dicendum est esse intelligendam de omni illa, quæ constituit hominem in statu mancipij. Et ita definit Leo epistola 1. capite 1. Gelasius epistola 1. capite 15. & habetur capite, Generalis, & capite, Admittatur distinctione 54.

DVBIVM VI.

De defectu obligationis ad ratiocinia.

AD Defectum propriæ libertatis reducitur quædam irregularitas, quæ dicitur oriri ex obligatione ad ratiocinia, iuxta rubricam de obligatis ad ratiocinia non ordinandis: & certum est hanc obligationem inducere irregularitatem ex capite vnico in dicto titulo, & distinctione 54. capite 3. quia talis obligatio est vinculum quoddam temporale reddēs homi nem impeditum ad Ecclesiastica ministeria: & ita docent Theologi 4. distinctione 25. Sanctus Thomas quæstion. 2. art. 2. quæstiuncula 1. Iurisperiti in hac materia, Summistæ verbo ordo, aut verbo irregularitas, vel ratiocinium, Maiolus lib. 2. cap. 5. & ponuntur exempla in Concilio Carthaginensi 1. cap. 8. vbi numerantur procuratores, actores, executores, seu curatores pupillorum, seu tutores, & P. Suarez supra num. 15 existimat idem indicium esse de omni publica administratione forensi temporalium, & secularium

Suarez.

rerum, quæ eodem modo implicet hominem: quod potest colligi ex cap. 2. & 3. distinct. 51.

Deinde oportet considerare ipsum officium, & obligationem, quæ manet etiam post finitum officium reddendi rationem eius, & quomodo officium ipsum possit constituere hominem irregularem, deducendum est ex dictis de irregularitate orta ex defectu perfectæ lenitatis, & habetur distinctione 51. quatuor primis capitibus.

Sed difficultas est de clericis, qui in curia principū habent officium iudicis curā tes causas ciuiles, de quo P. Suarez supra cū aliis Doctoribus docet hoc esse specialiter concessum: quod aliqui probare volunt ex aliquibus capitibus, quę non videntur conuincere (vt docuit Pater Suarez) & ideo probandum est ex vsu, & consuetudine: ita enim receptum est, vel ex expressa concesione Pontificis, vel ex consuetudine illi satis nota.

Suarez.

Addendum item est, administrationem circa bona Ecclesiastica non inducere irregularitatem, quia non censetur secularis, iuxta caput primum, Ne clerici, vel monachi, vt cum aliis notat Pater Suarez.

Rursus non dicitur hæc irregularitas quando administratio fit ex causa necessaria in salutem pauperum. Plura legi possunt apud Maiolum libro 2. cap. 5. citato.

Dubitatur, an maneat hæc irregularitas quando relinquitur officium, & affirmatiuè respondent Doctores, si maneat obligatio ad reddenda ratiocinia ex officio præterito, quia est satis expressa in iure.

Item disputant aliqui, an hoc habeat locum in omni administratione, & obligatione, quę ex illo relinquūtur. In quo sunt varij modi philosophandi, mihi placet, quod docuit P. Suarez, considerandum esse an officium tale sit, vt inducat hanc irregularitatem, tunc enim obligatio ex illo relicta inducet; secus quando officium nō inducit, quia non ita impedit munus Ecclesiasticum.

Sed manet explicandum, quid dicendū sit, quando ratiocinia sunt reddita, & non est facta debiti solutio. In quo etiam non desunt diuersę opiniones: & P. Suarez num. 23 putat probabile in hoc casu nō manere irregularitatē, ius enim loquitur de obligatione reddendi ratiocinia.

Tandem

Tandem aliqui reducunt ad hanc irregularitatem, quando aliquis non potest ordinari ob paupertatem, iuxta decretum Concilij Tridentini sessione 21. cap. 3. de reformatione. Ita P. Suarez supra num. 24.

Et ex dictis facilè possunt plura dubia in specie solui.

Hæc omnia subijcimus correctioni sanctæ Matris Ecclesiæ.

Ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, eiusque Sanctissimæ Matris Virginis Mariæ.



INDEX
DISPVTATIONVM, DVBIORVM, ET CONCLV- sionum pro materia de censuris, & irregularitate.

* Du-

Con-

Conclusio est negans.

Dubium tertium.

An priuata oratione possit quis orare pro excommunicato?

Conclusio est affirmans.

DISPVTATIO IX.

De alio effectu excommunicationis, qui est priuatio communicationis in Sacramentis.

Dubium primum.

Quod sit ius nouũ Concilij Constãtiẽsis?

Refertur Decretalis, quæ cõmuniter tribuitur Cõcilio Cõstãtiensi.

Dubium secundum.

Quis dicatur notorius percussor clerici?

Conclusio est, Ad hoc vt quis dicatur notorius clerici percussor, requiritur vt constet occisionẽ esse clerici, & ita apertè à multis visum sit homicidium, vt nulla possit tergiuersatione celari.

Dubium tertium.

An sit licitũ Presbytero non excommunicato ministrare Sacramentum alicui homini excommunicato ante denunciationem, & publicationem nominatim factam?

Conclusio est, licitũ esse ex vi præcepti Ecclesiastici, secus verò ex vi præcepti diuini, & naturalis.

Dubium quartum.

An Sacramenta, quæ recipit excommunicatus, sint valida?

Conclusio est, Sacramentũ Pœnitẽtiæ non esse validũ, in aliis verò, posita materia & forma, Ecclesiã illa irritare non posse; in Baptismo autem quæstio locum non habet.

DISPVTATIO X.

De ministro administrationis Sacramentorum.

Dubium primum.

An ab excommunicato ante denunciationem liceat Sacramentum petere?

Conclusio est negans.

Dubium secundum.

An possit excommunicatus administrare Sacramentum ad vitandam propriam infamiam?

Conclusio est negans.

Dubium tertium.

An possit in aliquo casu excõmunicatus vitandus administrare Sacramẽta?

Conclusio est negans.

DISPVTATIO XI.

De communicationis prohibitione in aliis rebus sacris præter Sacramenta.

Dubium Primum.

An excommunicatus priuetur externa communicatione in Missa audienda?

Conclusio est affirmans.

Dubium secundum.

Quæ sint alia diuina officia, quibus excommunicatus priuetur.

Prohibita sunt excommunicato officium canonicum septem horarum, publica processio, celebrare, vel audire Missam; & si clericus sit, canere solemniter Euangelium, & Epistolam, item his officiis laicorum more inseruire.

Dubium tertium.

An excommunicatus priuetur

DISPVTATIO XIIII.

De priuatione iurisdictionis.

Dubium Primum.

An excõmunicatus possit esse iudex in iudicio seculari?

Conclusio est negans.

Dubium secundum.

An excommunicatus possit eligi in iudicem?

Conclusio est negans.

Dubium tertium.

An excommunicatus possit esse actor in iudicio, vel saltem vt reus comparere?

Conclusio est negans, quoad priorem partem, extra casum propriæ excommunicationis etiã per procuratorem: quoad secũdam verò est affirmans in qualibet causa.

Dubium quartum.

An excõmunicatus possit exercere officium tabellionis, vel ad iudicium vocari, vt ferat testimonium?

Conclusio est negans quoad vtramque partem.

Dubium quintum.

An excõmunicatus possit esse aduocatus, vel procurator in iudicio?

Conclusio est negans.

DISPVTATIO XV.

De priuatione actiuæ electionis beneficiorum.

Dubium primum.

An excommunicatus priuetur iurisdictione spirituali?

Conclusio est affirmans, si sit occultus excommunicatus.

Dubium secundum.

An sit nulla collatio beneficij facta ab excommunicato?

Conclusio est, Post ConciliũConstantiense collatio beneficij est valida, quandiu excommunicatus non est denunciatus.

Dubium tertium.

An præsentatio beneficij facta ab excommunicato sit valida?

Conclusio est negans, si excommunicatus sit denunciatus.

DISPVTATIO XVI.

De priuatione passiuæ electionis beneficiorum.

Dubium primum.

An excommunicatus priuetur passiua beneficiorum electione?

Conclusio est affirmans.

Dubium secundum.

An sit valida acceptatio beneficij facta ab excommunicato, quando electio fuit valida ante tempus excommunicationis?

Conclusio est affirmans.

DISPVTATIO XVII.

Dubium primum.

Quo iure sit interdictum, cũ excommunicato communicare?

Conclusio est: Communicatio in actibus humanis prohibita est iure humano: communicatio verò in diuinis officiis solo iure Ecclesiastico: in Sacramẽtis autem iure diuino naturali.

Dubium secundum.

An sit mortale, vel veniale peccatum communicare cum excommunicato?

Conclusio est, Communicatio in humanis si fiat absque contem-

sed in publico est obseruanda.

Secunda cõclusio, Si sit iniusta, sed valida, obligat ab obediendum in publico, secus in occulto.

Dubium secundum.

An prædicta excõmunicatio inducat omnes pœnas veræ excommunicationis?

Prima cõclusio, Talis excõmunicatus non excluditur ab orationibus Ecclæsię generalibus, à quibus excludũtur excõmunicati.

Secũda conclusio, Pęnas externas incurrit tam in publico, quàm in secreto.

Tertia cõlusio, Pęnas quas incurrũt violãtes censuras, nõ incurrit, si fiat contra sententiam in occulto, secus in publico.

Dubium tertium.

Quid dicendum sit de sententia excommunicationis, de qua probabiliter dubitatur, an sit valida?

Conclusio est, Si reuera non est valida, non incurret excommunicatus pęnas, quę sunt à vera excommunicatione.

DISPVTATIO XXI.

De excommunicatione minori.

Dubium primum.

Quid sit excommunicatio minor, & quem habeat effectum?

Prima conclusio est, quòd sit *censura priuans Sacramentorum participatione.*

Secunda conclusio, Excõmunicatio minor non priuat suffragijs Ecclesiæ, quibus priuat maior; nec electione actiua ad beneficia, adquę validè poterit eligi sic excommunicatus: peccabit autem lethaliter Sacramenta administrans.

Dubium secundum.

An excõmunicatus minori excommunicatione ita sit remotus ab administratione, vt Sacramenta eis collata careant effectu?

Conclusio est negãs, excepto pœnitentiæ Sacramento.

Dubium tertium.

Propter quam causam incurratur excommunicatio minor?

Cõclusio est, Incurritur prædicta excõmunicatio ob indebitam communicationem cum excõmunicato maiori excommunicatione.

DISPVTATIO XXII.

De potente ferre hanc censuram excommunicationis.

Dubium primum.

An omnis superior possit excommunicare?

Conclusio est affirmans, dummodo non sit fęmina, nec coniugatus, & vt minimum debet habere primam tonsuram.

Dubium secundum.

Cui possit delegari potestas excommunicandi.

Conclusio est, necessariũ esse rationis vsum in persona, cui talis delegatur potestas: requiritur præterea status viatoris, vt sit baptizatus, & vt aliquo modo sit clericus.

DISPVTATIO XXIII.

Qui possunt excommunicari.

Dubium primum.

An solus homo in statu viatoris possit excommunicari?

Conclusio est, Solus homo in statu viatoris directè potest excommunicari, si sit baptiza-

poterit in articulo mortis:aliàs sufficiet quòd prębeat cautionē,vel fideiussorē,vel promissionem iuramento firmatam.
Secunda conclusio, si hæc conditio ponitur in Bulla,aut Iubileo, similive priuilegio, valida erit absolutio cū eisdē cōditionibus.

DISPVTATIO XXV.

De eo qui potest absoluere à censura propter peccatum hæresis.

Dubium primum.

An Episcopus possit absoluere ab hæresi?
Cōclusio est,talis facultas cōcessa fuit illis per Concilium Tridētinum, sed iam est reuocata.

Dubium secundum.

An virtute Bullæ Cruciatæ possit quis absolui ab hæresi?
Conclusio est negans.

DISPVTATIO XXVI.

De eo qui potest absoluere ab excommunicatione minori.

Dubium primum.

Quis possit absoluere ab hac censura?
Cōclusio est, si lata sit ab homine, poterit ab illa absoluere qui eā tulit, & illo superior, & qui ab his habuerit facultatē. Si lata sit à iure, poterit absoluere Parochus,quo nomine comprehenditur omnis Sacerdos iurisdictionem habens ad absoluendum à mortalibus.

Dubium secundum.

An habens beneficium cum cura animarum,sed nondum ordinatus est Sacerdos,possit absoluere ab excommunicatione minori?
Conclusio est affirmans.

DISPVTATIO XXVII.

De quibusdam excommunicationibus latis ab homine.

Dubium primum.

An iudices Ecclesiastici licitè, & validè possint pro causis temporalibus ferre excommunicationem.
Conclusio est affirmans.

Dubium secundum.

An excommunicatio lata, vt reueletur secretum, vel vt manifestetur crimen occultum, vel vt manifestetur scriptura aliqua, semper obliget?
Conclusio est affirmans, quoties ante excommunicationem tenetur quis sub mortali manifestare scripturam, vel reuelare crimen.

DISPVTATIO XXVIII.

De excōmunicationibus Papæ reseruatis in Bulla Cęnæ Domini.

Dubium primum.

Quales sint censuræ in Bulla Cœnæ latæ?
Conclusio est, excommunicationem in ea Bulla latam esse maiorem,& à iure.

Dubium secundum.

Quæ sint delicta, ob quæ fertur excommunicatio in Bulla Cœnæ, & quomodo intelligantur quatuor primæ censuræ?
Prima conclusio, ob viginti casus fertur prædicta censura.
Secunda conclusio, Quatuor continētur censurę in hoc dubio,

Pri-

Prima fertur in hæreticos. Secūda in eos, qui à mādatis Summi Pōtificis pro tēpore existētis ad Concilium generale appellant. Tertia cōtra piratas, cursarios, & similes latrunculos marinos.

Quarta contra omnes illos, qui Christianorū quorūcumq; nauibus tēpestate iactatis, seu quo quomodo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eisdē, siue in mari, siue in litore incerta cuiuscumque generis bona in cuiuscumq; maris regionibus & litoribus surripiunt.

Dubium tertium.

De quinta, sexta, septima, & octaua ex communicatione Bullæ Cœnæ?

Quinta excōmunicatio fertur in eos, qui in terris suis noua pedagia, vel gabellas, vel tributa imponūt, vel augēt, prȩter quā in casibus à iure cōcessis, seu priui legio speciali Sedis Apostolicæ.

Sexta fertur contra falsarios literarum Apostolicarum.

Septima contra deferentes Turcis aut hæreticis arma, & similia, quibus impugnāt Christianos: & contra eos qui certiores faciūt hæreticos, aut infideles prædictos de rebus ad statū Reipub. Christianæ pertinentibus.

Octaua contra eos qui impediunt deferre victualia in Curiam Romanam.

Dubium quartum.

De nona, decima, vndecima, & duodecima excōmunicatione huius Bullæ?

Nona excōmunicatio fertur contra eos, qui accedētes ad Romanā Sedem, vel ab ea recedentes, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, detinent, aut capiunt.

Decima fertur in omnes interficientes, mutilantes, vulnerātes, detinētes, seu deprædantes Romipetas causa deuotionis, seu peregrinationis ad Vrbem accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes.

Vndecima fertur in omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capiētes, incarcerantes, detinentes, vel hostiliter sequētes S. R. Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios.

Duodecima fertur in omnes, qui occasione causarū, vel negotiorū occidunt, seu quoquo modo percutiūt, aut bonis spoliāt per se, vel per alios omnes Ecclesiasticos, vel seculares ad Romanā Curiā super eorū causis & negotiis recurrētes, ac illa in eadē Curia prosequētes, aut procurantes, negotiorūque gestores, aduocatos, procuratores, & agentes, vel etiā auditores, vel iudices super dictis causis, vel negotiis deputatos: & additur extēsio ad cooperatores.

Dubium quintum.

De decimatertia, decimaquarta, decimaquinta, & decimasexta excommunicatione huius Bullæ?

Decimatertia fertur cōtra appellātes ad potestatē laicā in causis Ecclesiasticis ad impediendā executionem literarum Apostolicarum.

Decimaquarta fertur in eos, qui causas spirituales ad se aduocant prætextu literarum Apostolicarum, vt illarum executionem impediant.

Decimaquinta fertur contra trahentes ad tribunal seculare personas Ecclesiasticas, vel facientes statuta, quibus libertati Ecclesiasticæ derogetur.

Decimasexta fertur contra impedientes Prælatos Ecclesiasticos, ne sua iurisdictione vtatur.

Dubium sextum.

De alijs excõmunicationib^9 huius Bullæ?

17. Fertur cõtra vsurpãtes iurisdictionem, aut fructus ad personas Ecclesiasticas pertinentes ratione beneficiorum.

18. Fertur contra imponentes, aut recipiẽtes decimas, aut alia onera personis, aut bonis Ecclesiasticis absq; Pontificis licentia.

19. fertur cõtra Magistratus, & iudices, notarios, scribas, executores, & subexecutores, quomodolibet se interponẽtes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, capiendo, cõtra illas proferẽdo, vel exequẽdo sine speciali, aut specifica, & expressa sanctæ Sedis Apostolicæ licentia.

20. Fertur cõtra destruentes, inuadẽtes, occupãtes terras Romanę Ecclesiæ subiectas in totum, vel in partẽ almã vrbẽ, Regnũ Siciliæ, insulas Sardiniæ, & Corsicæ, & alias ciuitates, terras, vel loca, vel iura ad Romanam Ecclesiam pertinentia.

DISPVTATIO XXVIII.

De excommunicationibus reseruatis Pontifici in Decretis.

Dubium primum.

Quomodo sit intelligenda excõmunicatio lata contra iniicientes manus violentas in clericum?

Vt hæc excõmunicatio incurratur, requiritur, Primò manuũ iniectio. Secundò, vt sit violenta. Tertiò debet esse peccatũ mortale. Quartò debet esse contra clericum.

Dubium secundum.

Quis excusetur ab hac censura?

Excusatur qui percutit clericũ iocose, vel fortuitò, vel in defensionem propriã, vel turpiter inuentũ cum vxore, vel matre, vel sorore, vel filia, vel cũ prudenter ignorat esse clericũ, vel quãdo percussus est realiter excõmunicatus, vel se immiscet negotiationibus prohibitis, & ter admonitus à Prælato non desistit; vel si relicto clericali habitu arma deferat militaria; vel quando relinquit habitũ clericalẽ, qui in veste & tonsura consistit, & ter admonitus nõ obedit; vel quãdo clerici se faciunt ioculatores, goliãdos, bufones; vel quando publicè & personaliter exercet officiũ tabernariũ, vel si ter admoniti nõ desistant, vel si post admonitionẽ reuertãtur. Excusatur prætereà, si percutiat clericũ, qui facto induxit ad actum carnalem, & quando ad correctionem, & disciplinam sit leuis percusio.

Du-

in personis,vel in bonis suis, vel suorum, & qui tali licentia vtuntur.

Secunda excommunicatio est cōtra eum, qui absolutus à reseruatis sub conditione comparēdi coram Summo Pontifice nō implet conditionem tempore debito.

Dubium secundum.

De alijs excommunicationibus,quæ habentur in Sexto Decretalium.

Alia excommunicatio fertur contra eum,qui in Cardinalem manus iniecerit, violauerit, aut illum hostiliter fuerit insequutus.

Alia est, ne eligatur in Senatorem Romæ, vel in officium eius vrbis vllus,Imperator,Rex,Princeps, Dux, Marchio,Comes, Baro, aut vllus alius notabilis excellentiæ, aut frater, filius, vel nepos prædictorum. Et ne vllus eligatur in prædictam dignitatē vltra annum sine licētia Pontificis, & per literas expressas.

Alia fertur contra omnes imponentes tributa clericis,& clericos soluentes.

DISPVTATIO XXXII.

De excommunicationibus reseruatis Pontifici in Clementinis.

Dubium primum.

De duabus excommunicationibus ex Clementina prima, & ex Clementina secunda de priuilegiis.

Prima fertur contra Inquisitores, vel eorum vicem gerentes, si in suo officio ex odio, vel amore aliquo peccent.

Secunda fertur contra Religiosos, qui clericis, aut laicis ministrant Sacramentum Extremæ Vnctionis,vel Eucharistiæ, vel Matrimonium solemnizant,nō habita licētia Parochialis presbyteri.

Dubium secundum.

De aliis excommunicationibus,quæ habentur in Clementinis.

Alia fertur contra percussores Episcoporum.

Alia contra Religiosos & Clericos seculares violatores Constitutionum Bonifacij.

Alia habetur Clement. Grauis,cōtra violantes interdictum aliquomodo ex ibi dictis.

DISPVTATIO XXXIII.

De aliquibus excommunicationibus reseruatis in Extrauagantibus.

Dubium primum.

De aliquibus excommunicationibus,quæ habentur in Extrauagantibus.

Prima fertur contra dilacerantes corpora defunctorum,vt conseruentur,vel vt decoquantur, vt possint ossa in alia loca deferri.

Secunda fertur cōtra eos,qui dāt, vel recipiunt aliquid ob ingressum Religionis per modum pacti,& conuentionis.

Tertia fertur contra Religiosos Mendicantes ad aliam Religionem transeuntes,excepta Carthusiensi,absque Sedis Apostolicæ

clesiasticis, quia eligere noluerunt eum, pro quo rogabatur.

Quarta fertur contra eos, qui in Ecclesiis, aut piis locis titulum defensionis, aut similem de nouo vsurpantes, iura ad alia loca pertinentia, aut eorum bona, quando talia loca vacant, occupare præsumunt.

Quinta fertur contra Prælatos, vel alios laicos, qui vocantur, vt intersint electionibus monialiũ, si aliquid fiat, ex quo possit oriri, vel nutriri discordia inter ipsas moniales.

Sexta fertur cõtra partẽ, quæ procurauerit, vt cõseruatores se intermiserint ad iudicandũ scienter tam de aliis, quàm de manifestis iniuriis, & violentiis.

Septima fertur contra eos, qui per vim, vel metum aliquid extorquent.

Dubium secundum.

De alijs septem excõmunicationibus in Sexto.

Prima est, qua statuitur, ne fœminæ cogantur personaliter venire in iudicium ad ferendum testimonium, & decernitur, vt per tabellarium, vel aliam personam petatur ab eis testimonium, vel quòd iudex ipse personaliter accedat, si casus id postulet; ita tamen vt casus nõ fingatur; aliàs qui casum finxit, incurrit excommunicationem.

Secunda fertur contra compellẽtes prælatos, vt res Ecclesiæ laicis submittant, & contra eos, qui res sic habitas non dimiserint, & fertur excommunicatio contra eos, qui quando celebratur contractus licitè harum rerum, aliquid vsurpant iniustè.

Tertia fertur contra quosdam Religiosos in tribus casibus: primo, si aliquem ad suam professionem de nouo admittant: secundo, si nouam domum, vel locum acquirant: tertio, si habita alienent sine licentia Sedis Apostolicæ.

Quarta fertur contra imponentes tributa personis Ecclesiasticis.

Quinta includitur in 13. & 14. Bullæ Cœnæ.

Sexta fertur contra temporales dominos, qui suis subditis præcipiunt, ne personis Ecclesiasticis officia cõmunia exhibeant.

Septima fertur contra Religiosos dimittentes habitum in scholis, vel alibi: vel accedẽtes ad quælibet literarum studia sine licentia sui Prælati cum consilio sui conuentus, vel maioris partis eius.

Dubium tertium.

De aliis sex excommunicationibus non reseruatis, quæ habentur in Sexto.

Prima fertur contra scienter tradentes Ecclesiasticæ sepulturæ corpora hæreticorum.

Secunda fertur in fauorem sanctæ Inquisitionis.

Tertia contra mandantem Christianum aliquem per assassinũ interfici, siue sequatur mors, siue non sequatur.

Quarta contra personas Ecclesiasticas

siasticas Episcopis inferiores locantes domum, vel sub alio quouis titulo concedentes vsurariis alienigenis.

Quinta contra seculares concedētes repressalia aduersus personas Ecclesiasticas, si ea intra mensem non reuocauerint.

Sexta contra inuadentem hostiliter personam Cardinalis.

DISPVTATIO XXXVI.

De excommunicationibus non reseruatis, quæ habentur in Clement.& Extrauag.

Dubium primum.

De sex prioribus excommunicationibus, quæ habentur in Clementinis, & non reseruantur.

Prima fertur contra impedientes sequestrationem fructuum factam ab ordinario, vt ei, qui vicerit, adseruentur.

Secunda contra eos, qui tempore interdicti corpora mortuorum sepeliunt in loco sacro in casibus non concessis à iure, & contra eos, qui prębent huiusmodi sepulturam publicè excōmunicatis, interdictis, & vsurariis.

Tertia contra Religiosos accipiētes decimas, vel earum solutionem impediētes in casibus prohibitis.

Quarta contra Religiosos, qui iugo obedientię regularis abiecto per curias discurrunt, pensiones, seu alimenta à Prælatis extorquendo per vim, vel grauem metum, & contra tenentes arma intra septa monasteriorum sine suorum Abbatum licentia.

Quinta contra impedientes visitatores monialium in suo munere.

Sexta contra quasdam fœminas, quæ Beguinæ dicebantur, si talem profiteantur statum, & cōtra religiosos ad id consilium, auxilium, vel fauorem præbentes.

Dubium secundum.

De aliis quatuor excommunicationibus non reseruatis, quæ habentur in Clementinis, & de aliquibus quæ habentur in Extrauagantibus.

Prima est contra varias personas ob matrimonium sacrilegè contractum.

Secunda contra Inquisitores, & Commissarios eorum, & Episcoporum, seu capitulorum sede vacante prætextu officij Inquisitionis, quibusuis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorquentes, aut scienter Ecclesiarū bona ob clericorum delicta prædicta occasione officij Fisco etiam Ecclesiæ applicantes.

Tertia contra Potestates, Capitaneos, Rectores, Cōsules, iudices, Consiliarios, & alios officiales quarumcumque communitatum, qui presumpserint facere, scribere, dictare præcipientia, vt soluantur vsuræ, vel impedientia, vt non repetantur; vel qui præsumpserint scienter iudicare, quòd solutæ, cùm repetuntur, non restituantur plenè ac liberè.

Quar-

Quarta fertur in aliquos Religiosos propter multas actiones.

In Extrauagantibus, prima excõmunicatio est cõtra eos, qui audent impugnare aliquas literas Apostolicas, quæ ante coronationem emanarunt.

Secunda contra omnes alienantes Ecclesiastica bona.

Tertia contra impedientes legatos Summi Pontificis quantum ad executionẽ sui muneris, vel non recipientes illos.

Quarta contra profitentes religionem Fratricellorum, seu Beguinarum, & contra Episcopos, vel Prælatos hos admittentes sine speciali facultate, & approbatione Summi Pontificis.

DISPVTATIO XXXIIII.

De excommunicationibus, quæ habentur in Concilio Tridentino.

Dubium primum.

De quatuor primis excommunicationibus Concilij Tridentini.

Prima est contra omnes imprimẽtes, & imprimi mãdantes, vẽdẽtes, apud se retinentes libros de rebus sacris sine nomine autoris, & sine approbatione, & examine ab ordinario factis, & contra scripto eos euulgantes, aut communicantes.

In secunda renouantur pœnę, & constitutio Sixti Quarti, circa immaculatam Virginis Cõceptionem.

Tertia fertur contra prædicantes, vel docentes, vel pertinaciter asserentes non esse necessariam Confessionem Sacramentalem habita copia Sacerdotis ante Communionem ei, qui peccatum habet mortale, etiamsi contritus accedat.

Quarta contra eos, qui in proprios vsus conuertunt, vel vsurpant, vel impediunt, ne ab his, ad quos de iure pertinent, percipiantur quæcumque bona, quę in ministrorum, & pauperum necessitates conuerti debent.

Dubium secundum.

De aliis excommunicationibus Concilij Tridentini.

Alia censura fertur contra raptores mulierum, & dantes eis auxilium, vel fauorem.

Alia contra eos, qui directè, vel indirectè subditos suos, vel quoscumque alios cogunt, quominus liberè matrimonium contrahant.

Alia fertur contra omnes magistratus, qui ab Episcopis inuocati non præbent auxilium ad restituendam, vel conseruandã monialium clausuram, & ad eã pescendum pœnis inobedientes, & contradictores talis clausuræ.

Alia fertur contra ingredientes septa monasterii sine legitima licentia.

Alia fertur contra cogentes fœminam aliquam ad ingrediendum monasterium, vel suscipiẽdum habitum religionis, aut professionem facere, & contra dantes consilium, auxilium, vel fauorem in aliquo ex dictis, & con-

Dubium primum.

Quis possit ferre hanc censuram?

Conclusio est, Solus ille potest suspendere, qui potest excommunicare.

Dubium secundum.

Quis modus sit seruandus in ferenda sententia suspensionis?

Prima conclusio, si suspensio sit à iure, nulla alia forma est necessaria nisi verba legis.

Secunda cõclusio, si sit ab homine, debet præcedere monitio, & nõ requirit determinata verba.

DISPVTATIO XLIII.

De causa materiali, seu fundamẽto suspensionis, id est de eo qui potest suspendi.

Dubium primum.

Quas conditiones debeat habere persona quæ potest suspendi hac censura?

Conclusio est, quòd puniendus debeat esse clericus.

Dubium secundum.

An & quomodo suspensio in communitatem ferri possit?

Conclusio est affirmans secũdum quod communitas est vnum corpus morale.

DISPVTATIO XLIIII.

De potente absoluere à suspensione.

Dubium primum.

Quis possit auferre suspensionem, quæ est pura pæna.

Prima conclusio, si suspensio sit lata ab homine pro determinato tẽpore, eo elapso, ipso iure tolli tur; potest etiã cessare ex volũtate superioris, à quã pendebat illa perseuerantia, etiamsi lata sit absque vlla temporis designatione.

Secũda conclusio, si suspensio sit à iure, & canone, solũ ab authore canonis potest auferri ante elapsum tempus.

Dubium secundum.

Quomodo, & à quo tollatur suspensio, quæ fertur ob contumaciam?

Conclusio est, hæc suspensio tollitur per absolutionem; si lata sit ab homine, potest ab illo tolli, qui tulit illã, vel à suo superiori: si lata fuerit à iure, & reseruata, poterit absolui ab authore, vel superiori illius, si non reseruata ab ordinario.

DISPVTATIO XLV.

Quomodo differant suspẽsio & depositio.

Dubium primum.

Quomodo differant depositio, & suspensio à beneficio, & ordine?

Prima conclusio, in eo differũt depositio, & suspensio à beneficio, quòd illa significat priuationẽ beneficij, hæc verò fructus illius.

Secũda conclusio, depositio, & suspensio ab ordine differunt pénes quòd illa significat priuatio nẽ perpetuam, non tamen hæc.

Dubium secundum.

Quomodo degradatio à suspensione, & depositione differat?

Conclusio est, degradatio, & depositio differũt, primò per solemnitatem; secundò, quia illa priuat priuilegio clericali, non tamen depositio.

& sui familiares, & nō seruant cō stitutionē Innocentij Quarti in c. Romana, Duedecimò, qui con ferūt, vel recipiunt beneficia eorū, que pro suis negotiis ad Romanā Curiā profecti sunt, vel qui in ea Curia aliqua negotia exercēt. Decimotertiò iudex Ecclesiasticus, vel delegatus, qui in iudicio facit aliquid contra iustitiā cum grauamine alterius partis. Decimoquartò, iudices, cōseruatores qui de aliis quā de manifestis iniuriis & violētijs se intromiserūt scienter, vel suam extenderunt potestatem ad alia, quæ iudicialem indaginem exigunt.

Dubium quintum.

De suspensionibus, quas clerici incurrunt ob peccata alijs hominibus communia?

Prima imponitur aduersus concubinarios: secūda ob peccatū sodomiæ: tertia ob crimen simoniæ.

Dubium sextum.

Quæ suspensiones sint ipso iure latæ contra Episcopos?

Prima ob collationē simoniacā. Secūda ob collationē ordinis, quādo ordinatus manet suspēsus. Tertia ob defectus aliquos in officio pastorali. Quarta, si sibi vsurpēt sine iusto titulo bona dignitatum, &c. quarūcumq; Ecclesiarū vacantiū, & ad ipsorum curam, seu prouisionē pertinētiū. Quinta, si vtatur potestate sibi cōmissa in detrimentū Ecclesiæ in causa alienationis rerū Ecclesiasticarū. Sexta si suas domos locent, vel alio modo concedant ad exercendū fœnus vsurarū alienigenis, vel aliis non oriundis de terris ipsorum, vel etiam si eos in terris suis permittāt. Septima, si gratiæ, vel odij, vel lucri causa cōtra iustitiā omittant procedere contra quēcūque, vel posuerint impedimenta ex officio Inquisitionis. Octaua, si procurent vt clerici capiātur à dominis tēporalibus, vt beneficia renuncient, vel citati ad Apostolicā Sedem à iure, vel ab homine, nec ad ipsam veniāt. Nō na suspenduntur Episcopi, qui ab Apostolica Sede confirmationē recipiunt, aut ab ea promouentur, si absq; literis autheticis eiusdem administrationem suarum Ecclesiarum recipiant.

Dubium septimum.

De suspensionibus specialiter latis ipso iure contra Religiosos?

Prima fertur cōtra eos, qui in apostasia perseuerantes recipiunt ordinem.

Secunda fertur in Religiosos Prædicatorū, & fere omnes Mendicātes, si aliquem ante completum probationis annum ad professionem recipiant.

Tertia in Religiosum præsidentem alicui monasterio, prioratui, Ecclesiæ seu administrationi, concedentē alicui ad vitā, vel ad certū tempus, reditus, aut possessiones eiusdem religionis sine sufficienti necessitate, aut vtilitate, & consensu superioris.

Quarta in Religiosos, qui sibi iniustè vsurpant decimas, vel defraudantes Ecclesias, in hoc si intra duos menses non satisfecerint.

Quinta in Religiosum non vtentem habitu, & vestitu iuxa formam

Du-

Dubium primum.

Quorum Sacramentorum vsus per interdictum prohibeatur.

Conclusio, vsus Baptismi non prohibetur interdicto personali; prohiberi autem interdicto generali est tutius in praxi. Confirmatio & Pœnitentia prohibitæ non sunt nisi danti causam illius.

Dubium secundum.

An tempore interdicti sit licitus vsus Eucharistiæ.

Prima conclusio, licet in articulo mortis ægroto accipere, & Sacerdoti ministrare, dummodò ministrans causam non dederit.

Secunda conclusio, extra mortis articulum iure communi prohibitum est, sed excipiuntur aliquæ personę.

Dubium tertium.

Quid sit in hoc dicendum de Matrimonio, & de Ordine?

Prima cõclusio, spõsalia sunt valida, & licitè fieri possunt. Benedictio autẽ nuptialis prohibetur, & illicitum est matrimonium contrahere.

Secunda cõclusio, vsus ordinis prohibetur per interdictum.

Dubium quartum.

Quod peccatum sit violare interdictum in materia Sacramentorum.

Conclusio, ex genere suo est mortale sacrilegium.

DISPVTATIO XLIX.

De alio effectu interdicti, qui est prohibitio diuinorũ officiorum.

Dubium primum.

Quomodo Missæ sacrificium per interdictum generale prohibeatur.

Conclusio, sacrificium Missæ non prohibetur per interdictum generale loci seruatis aliquibus circunstantiis.

Dubium secundum.

Quomodo sacrificium Missæ per alia interdicta prohibeatur.

Prima conclusio, interdicto speciali loci, si in eo Eucharistia seruetur, non prohibetur Missa priuata cum debitis circunstantiis.

Secunda conclusio, interdicto personali prohibitæ sunt celebrare, vel ministrare, vel asistere sacrificio Missę omnes personę interdictæ.

Dubium tertium.

Quæ alia diuina officia prohibẽtur per interdictum.

Conclusio, Prohibetur officiũ Ecclesiasticũ, quod ab Ecclesia designatur pro suis ministris, & in uoluit orationẽ ad Deum, vel Dei laudem; sed conceditur iure nouo prædicti officij celebratio sub conditionibus, quibus & Missa.

Dubium quartum.

Quomodo intelligatur concessio diuinorum officiorum supradicta.

Conclusio est, Tempus pro his officiis computatur à primis vesperis vsque ad completorium diei festi.

Dubium quintum.

Quomodo peccent Ecclesiastici violantes interdictum.

Conclusio, Talis violatio ex

personali generali, si omnes par tes mutentur, verbigratia, omnes collegæ alicuius collegij, desinit interdictum.

Dubium tertium.

Quomodo cesset interdictum personale particulare.

Conclusio, Si interdictus personali interdicto particulari moritur, necessaria est interdicti relaxatio quoad alios.

Dubium quartum.

Qui possunt relaxare interdictum.

Prima conclusio, interdictū latum ab homine potest relaxare qui tulit, vel eius superior, vel alius ex commissione.

Secunda conclusio, latum à iure, si fertur ob contumaciam cum reseruatione, non potest auferri nisi à suo superiore, vel alio ex eius licentia.

Tertia cōclusio, si fertur sine reseruatione, & est locale, generale, vel particulare, potest tolli ab Episcopo; si verò sit personale speciale, tolli potest à quouis proprio Sacerdote, qui potest absoluere à mortalibus.

Dubium vltimum.

Quæ forma sit reseruata in relaxatione interdicti.

Conclusio est, quantum ad substātiam nulla determinata sunt verba; sed illa sufficiūt, quę significant voluntatem relaxandi tale interdictum.

DISPVTATIO XLV.

De interdictis in specie à iure latis.

Dubium primum.

Quæ & quot interdicta sint ipso iure lata in Bulla Cœnæ, in Decreto, in Decretalibus, in Sexto.

In Bulla interdicuntur Vniuersitates, Collegia, & Capitula, quę ad futurum Concilium appellant à sententiis Summi Pontificis.

In Decreto fertur interdictum. Primò in eum, qui Episcopatū, vel Abbatiam, vel quamcumque inferiorem Ecclesiasticam dignitatem de manu laicæ personæ suscipit, quousque locum non deseruerit.

Secundò fertur in omnes clericos in sacris constitutos in crimine fornicationis iacentes.

In Decretalibus interdicitur, qui excommunicatus profert sententiam in aliquem, nisi cōmpetenti admonitione præmissa, & personis præsentibus, per quas posit admonitio præberi.

In sexto fertur, Primò interdictum in iudicem Ecclesiasticum, qui in ferendis censuris nō seruat formam ibi præscriptam.

Secundò fertur in Episcopos, & eorum superiores, qui vsurpant bona Ecclesiarum, aut beneficiorum vacantium, vel fructus eorum ad ipsorum vtilitatem pertinentes, vel ad eos qui in talibus beneficiis succedunt.

Tertiò, in omnes quantumuis exemptos, cuiuscumque ordinis,

ligenda est de celebratione publica, non priuata.

Dubium tertium.

An in cessatione à diuinis habeat locū priuilegium capitis Alma mater, pro interdicto in quatuor festiuitatibus.

Conclusio est negans.

Dubium quartum.

De priuatione Sacramentorum.

Conclusio est, tempore cessationis potest administrari Baptismus paruulis & adultis, & Pœnitentia morientibus; eisdem etiam Eucharistia. Circa Cõfirmationē seruari poterit consuetudo introducta. Sacramentum Ordinis, & Extremæ vnctionis, ministrari non poterunt: de Matrimonio verò philosophandum est sicut disput. 48.

Dubium quintum.

De priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ.

Conclusio est, per hanc priuationem prohibetur officium, quod dici solet ad sepeliendum, non verò sepultura in loco sacro, licèt hac in re tutius sit consuetudinem seruare.

Dubium sextum.

De causa materiali, & formali cessationis.

Conclusio est, causa materialis potest dici locus, in quo cessatur à diuinis, vel personæ, quæ obligantur ad cessandum: forma verò seruanda decem conditiones requirit.

Dubium septimum.

Quam pœnam incurrant violantes cessationem à diuinis.

Conclusio est, violans cessationem siue particularem, siue generalem, non incurrit irregularitatem. Solùm lata est excommunicatio contra Religiosos illam non seruantes.

Dubium octauum.

Quis possit ferre, & auferre cessationem.

Prima cõclusio: Qui ferre potest interdictum, potest & cessationē. Secũda conclusio, solũ potest tolli ab eo qui posuit illam, vel successore, vel superiore.

DISPVTATIO LVII.

De irregularitate.

Dubium primum.

Quid sit irregularitas?

Conclusio est, irregularitas est inhabilitas, seu impedimentum canonicum ex se directè, & primariè impediens acceptionem ordinum, & consequenter illorum vsum.

Dubium secundum.

Quotuplex sit irregularitas, & generatim per quem actum incurratur?

Prima cõclusio, irregularitas alia est propter decētiam, alia propter culpā: rursus diuiditur in eā quæ contrahitur ex proprio actu, & quę sine actu proprio contrahitur.

Secunda conclusio, quoad actum, ob quem incurritur, philosophandum est sicut in simili de excommunicatione.

Dubium tertium.

An solo iure humano incurratur irregularitas?

Conclusio est affirmans.

Du-

Con-

Conclusio est affirmans in multis casibus.

Dubium quartum.

An per indignam ordinis vsurpationem incurratur irregularitas?

Conclusio est, incurrere irregularitatem qui ministrat in ordine, quem non habet.

Dubium quintum.

Quando per indignam administrationem Sacramenti incurratur irregularitas.

Prima cõclusio, quando clericus ligatus est censura, & actu exercet ordinis, manet irregularis.

Secunda cõclusio, per indignã administrationem ordinis non incurritur irregularitas, quando administratio non est contra censuram.

DISPVTATIO LXII.

De irregularitate ex aliis delictis distinctis ab homicidio.

Dubium primum.

An per crimen hæresis incurratur irregularitas?

Conclusio est affirmans.

Dubium secundum.

Quas personas comprehendat irregularitas, quæ ob crimẽ hæresis imponitur.

Conclusio est cõprehendere, Primò eos, qui exteriùs tantùm fiũt apostatę ob aliquam vtilitatẽ. Secũdò, fautores hæreticorum, receptatores, & auxilium eis dãtes. Tertiò, suspectos de hæresi. Quartò, hæreticorum filios vsque ad secundam generationẽ, siue legitimos, siue illegitimos, quando patres conuersi non sunt ante mortem. Quintò, neophytos etiam.

Dubium tertium.

De irregularitate ob simoniam, vel alia peccata contra religionem.

Prima conclusio, ob simoniam nõ incurritur irregularitas.

Secunda conclusio, per crimen sacrilegij non incurritur, neque propter alia crimina ab homicidio distincta, neque ob perseuerantiam in illis.

DISPVTATIO LXIII

De irregularitate propter homicidium voluntarium.

Dubium primum.

Quæ voluntas in præsenti sit necessaria, vt homicidium dicatur voluntarium.

Conclusio est, necessariam esse voluntatem directam.

Dubium secundum.

An ad hanc irregularitatem necessarius sit effectus mortis reipsa sequutus.

Conclusio est affirmans.

Dubium tertium.

Quas personas comprehendat hæc irregularitas.

Conclusio est, comprehendere, Primò homicidam. Secũdò, qui præbet causam, ex qua sequitur homicidium. Tertiò, mandantem, si homicidium fiat, dummodò non reuocauerit mandatum, ita vt mandatario constet reuocatio.

Dubium quartum.

An causa consulens incurrat hanc irregularitatem.

Conclusio est affirmans.

Du-

Con-

Conclusio est negans, si homicidiũ fiat cum debitis circunstantiis.

Dubium quartum.

An incurratur irregularitas ob defensionem licitam proximi?

Conclusio est negans.

DISPVTATIO LXVI.

De homicidio licito, quod dicitur ex defectu lenitatis.

Dubium primum.

An iudex ferens sententiam in causa sanguinis fiat irregularis?

Conclusio est affirmans.

Dubium secundum.

An accusator in causa sanguinis fiat irregularis.

Cōclusio est negans, si protestatio fiat, quòd pœna sanguinis non intendatur.

Dubium tertium.

An testis, vel aduocatus in causa sanguinis sit irregularis morte sequuta.

Conclusio est affirmans.

Dubium quartum.

An sit irregularis cōfessarius, qui est causa vt iudex ferat mortis sententiam?

Conclusio est affirmans.

DISPVTATIO LXVII.

De irregularitate ex deformatione, vel mutilatione membri.

Dubium primum.

An qui ex percussione ita debilitat membrum, vt non possit suam actionem exercere, sit irregularis?

Conclusio est negans.

Dubium secundum.

An vnius auricula, mamilla, aut oculi, aut digiti abscisio sufficiens sit ad irregularitatem?

Conclusio est negans de auricula; affirmans verò de mamilla in fœminis: de digitis res est dubia; sed de oculis conclusio etiam affirmat ob vnius abcissionem incurri irregularitatem.

Dubium tertium.

Quomodo sit philosophandum de amente, furioso, ebrio, & dormiente circa homicidium, vel mutilationem.

Conclusio est, si aliqua occurrerit cogitatio de eo effectu, & culpa sua in talem statum incidant, fient irregulares.

DISPVTATIO LXVIII.

De irregularitate propter homicidium, vel mutilationem factam in bello.

Dubium primum.

An occidentes, vel mutilantes aliquem in bello, sint irregulares?

Prima conclusio, si bellum sit iniustum, philosophandum est sicut de homicidio iniusto.

Secunda conclusio, si sit iustum, & ob defensionem, philosophandum est sicut de homicidio ob solam defensionem.

Tertia conclusio, si bellum sit iustum, & aggresiuum, qui mutilat, vel occidit, manet irregularis.

Dubium secundum.

Quomodo clerici in bello contrahunt irregularitatem.

Conclusio est, clericus occidens alium in bello iniusto, vel etiã iusto, fit irregularis.

DISPVTATIO LXXII.

De irregularitate ex defectu personali inculpabili.

Dubium primum.

An sit aliqua irregularitas ob defectum animae.

Conclusio est affirmans.

Dubium secundum.

An defectus scientiae constituat hominem irregularem?

Conclusio est affirmans.

Dubium tertium.

Qui defectus corporis irregularitatem inducant?

Cõclusio est, si quis habeat vtrumque sexum, vel magis inclinet in femineum, est irregularis. Defectus etiam aetatis ad ordines suscipiendos inducit irregularitatem.

Dubium quartum.

Quomodo incurratur irregularitas ex mutilatione, vel defectu membri alicuius, aut morbi?

Prima conclusio, si mutilatio voluntarie fiat, tũc inducit irregularitatem, quando siue antecedat, siue sequatur ordinationẽ, siue abscisio sit alicuius membri principalis, siue partis eius, siue notabiliter impediat, aut deformet, siue nõ, dummodò sine peccato mortali fieri non posit.

Secunda conclusio, quando mutilatio fit sine mutilati culpa, si impediat vsum ordinis, ne secure fiat, vel ita vt sine magno scandalo fieri non posit, inducit irregularitatem.

Tertia conclusio, quando mutilatio superuenit homini ordinato, inducit irregularitatem respectu eius vsus, comparatione cuius inducit impedimentum: & praedicta irregularitas contrahitur etiam ex notabili deformatione corporis, etiãsi sit sine mutilatione, vel morbo.

Quarta cõclusio, morbus ille corporis inducit irregularitatem, qui notabilẽ facit deformitatẽ adhuc sine mutilatione, & est moraliter incurabilis.

Dubium quintum.

De aliis defectibus.

Conclusio est, status mancipij inducit irregularitatem, non perpetuam, sed pro tempore quo durat seruitus.

Dubium sextum.

De defectu obligationis ad ratiocinia.

Conclusio est, ex praedicta obligatione irregularitatem incurri.

INDICVLVS.
Rerum.

Irre-

Pro indice rerum, vide indicem conclusionum.

FINIS.

MATRITI

Apud viduam Ludouici Sanchez
Regni Typographam.

Anno M.DC.XXVIII.



MATRITI

Apud viduam Ludouici Sanchez
Regni Typographum.

Anno M.DC.XXVIII.